

ORTHODOXARVM EXPLICATIONVM LIBRI DECEM,

In quibus omnia ferè de religione capita, quæ his temporibus ab hæreticis in controuersiam vocantur, apertè & dilucidè explicantur;

Præsertim contra Martini Kemnicij petulantem audaciam, qui Coloniensem Censuram, quam à uiris societatis Iesu compositam esse ait, unà cum eiusdem sanctissimæ societatis uitæ ratione, temerè calumniandam suscepit.

AVCTORE R. D. DIEGHO PAYVA ANDRADIO LVSITANO.

Quæ hoc uolumine continentur, sequens pagina indicat.

Accessit rerum, & verborum memorabilium, nec non locorum sacræ scripturæ, quæ in his libris illustrantur atque explicantur, Index locupletissimus.



CVM PRIVILEGIO.

VENETIIS, M. D. LXIIII.
EX OFFICINA IORDANI ZILETI.

INDEX EORVM, QVAE HOC Opere continentur.



INVICTISSIMO
ATQVE RELIGIOSISSIMO
SEBASTIANO PRIMO,

Diuino beneficio Lusitaniæ & Algarbiorum Regi, Africæ, Aethiopiæ, Arabiæ, Persiæ, Indiæque Domino Opt. Max.

Dieghus Payua Andradius
S. sempiternamq́ felicitatem D.



I exigua essent Maiestatis tuæ in me merita, aut uulgaribus pater meus, uniuersaq́ eius familia ab auo, atque proauo tuo Augustißimis Regibus beneficijs aucta, atque exaggerata esset, omnes quidem neruos contendissem, ut singularem meam erga Maiestatem tuam pietatem & obseruantiam, summumq́ tui colendi, & maximis in rebus tibi gratifican-

di ſtudium uerbis aliqua ex parte declararem. At cùm tot illa, ac tanta ſint, ut nullam eorum partem non modò referenda, ſed ne cogitanda quidem gratia conſequi poßim, in multorum ſanè reprehenſionem incurrerem; fœdißimamq́ ingrati animi notam ſubirem, ſi quæ officijs teſtari debeo, oratione explicare cogitarem, atque pro innumeris tuis beneficijs tam uili orationis munere defungerer. Cùm præſertim Ferdinandus Aluarez Andradius pater meus omni ſemper officiorum genere, non ſolùm ſingularem grati animi erga patres maioresq́ tuos ſignificationem dederit, ſed ſatis apud omnium animos teſtatum reliquerit, omnem ſuam poſteritatem eximio quodam tui colendi ſtudio inflammatam iri, nihilq́ antiquius habituram, quàm ſalutem ipſam pro Maieſtatis tuæ amplitudine in quoduis ſummum diſcrimen inijcere. Quem egregium animum atque uolunta-

tem

tem omnes ſpero, qui ab illo originem ducimus, in dies magis ac magis re ipſa declarabimus. Ne uerò aliquam ipſe tibi gratificandi occaſionē prætermiſiſſe uiderer, Tridentum à te miſſus ueni, ubi perſtiti quouſque tandem ſacroſanctum et œcumenicum Concilium feliciter perfectum, & magna cum laude, & diuini honoris amplificatione abſolutum eſt; atque ibi quidquid in me ingenij fuit (quod ſentio quàm ſit exiguum) adhibui, ne quidquam eorum prætermitterem, quæ ad Chriſtianam fidem illuſtrandam, diuinam gloriam amplificandam, Maieſtatisq́; tuæ Auguſtiſsimum nomen exornandum facere poſſe, exiſtimarem. Ea enim tua eſt erga Deum pietas, & religio, eoq́; es diuinarum rerum ſtudio incenſus, ut quidquid diuinam gloriam auget, tuam etiam mirabiliter illuſtrare putes. Cùm igitur Tridenti uerſarer, & in præclaris hiſce ſtudijs toto corpore, atque

omnibus ungulis, ut dicitur, incumberem, ecce incidi in libellum quendam Martini Kemnicij, Theologiæ Ieſuuitarum præcipua capita, inſcriptũ, quem eò auidius perlegi, quò exiſtimabam acriori ingenio, maioriq́; acumine opus eſſe, ut Ieſu ſanctiſsimam ſocietatem omnium uirtutum genere ſpectatiſsimam, eruditionísque præſtantia ornatiſsimam calumniari poſſet, qui tamen egregium illud uitæ inſtitutum tam procaciter irridet & condemnat, tam perfidè eruditiſsimorum hominum doctrinam exagitat, atque tam petulanter omnia ferè de religione capita deprauat, & corrum pit, ut maximo illius profligandi ſtudio ſubitò exarſerim, cùm præſertim ea ſit Ieſu ſocietas, ut illius non modò patrocinium lu benter ſuſceperis, ſed Maieſtatis tuæ præclariſsima adoleſcentia, in qua eximia quædam paternæ auitæq́; uirtutis ſignificatio elucet, eruditione ab illa inſtituatur, atq;

ad

ad pietatem mirificè informetur. Quibus accessit summa Ferdinandi Martinez Mazcarenij multis nominibus illustrissimi & integerrimi uiri, Maiestatis tuæ ad sacrum Tridentinum Concilium oratoris auctoritas, qui cùm multorum sermone intellexisset, hos Kemnicij commentarios magno cum hæreticorum omnium applausu et gratulatione exceptos fuisse, uehementer me incitauit, ut tempus omne à Concilij negotijs liberum, in hoc unum, quod ipse piorum omnium commune esse ducebat, conferrem: quippe quod & diuino numini gratissimum, & Maiestati tuæ non iniucundum fore affirmabat. Ego uerò, qui morum illius integritatem ab omnibus sacrosancti Concilij Patribus suspici & uenerari intuebar, qui illius singularem prudentiam à sapientissimis quibusque uiris mirum in modum commendari; qui illius de grauissimis rebus iudicium, & plurimi

ab

ab omnibus fieri, & auidiſsimè à multis requiri conſpiciebam, ignari & ſtulti hominis eſſe exiſtimaui, illius cohortationes & conſilia pietatis pleniſsima abijcere, quæ alij ueluti ex Apollinis Pythij (quod in fabulis eſt) oraculo edita complectebantur. Quare quanuis doctorum hominum iudicium ancipitésque ſcribendi euentus ualde formidarem, his tamen ſtimulis concitatus, omnem uituperationem ſubire, atque temeritatis famam ſuſtinere ſtatui, ut optimos & eruditiſsimos uiros, qui laboribus immenſis ab uniuerſa ferè Germania peſtem redimunt, florentiſsimámque prouinciam paucorum ſcelere perturbatam, in priſtinum iuſtitiæ ſplendorem, & antiquam religionis puritatem reſtituunt, ab acerrimis, & grauiſsimis calumnijs uindicarem, Chriſtianamq́ doctrinam Kemnicij perfidia deprauatam, quoad eius fieri poſſet, dilucidè aperirem. Quam omnem

cum


cum Martino Kemnicio diſputationem, Orthodoxam explicationem inſcripſi; quia omnia ferè de religione capita, quæ ab hæreticis his temporibus in controuerſiam uocantur, decem libris explicaui. Quos etiã antequàm ſcriberem, Maieſtati tuæ deſtinaueram, eò quòd nihil aptius mihi uidebatur, quàm ſocietatis Ieſu defenſionem ad illum deferre, cuius illa innumerabilibus beneficijs in dies magis ac magis augetur, & amplificatur, Orthodoxarúmque explicationum libros illi deſpondere, cuius auſpicijs orthodoxa fides non in Luſitania modò, ſed in omnibus Luſitano imperio ſubiectis prouincijs, in tanta rerum omnium perturbatione ſarcta tecta conſeruatur. Nam cùm ego præſentẽ Chriſtianæ Reip. ſtatum conſidero, florentiſsimorum Regnorum, ampliſsimarúmque prouinciarum perturbationem mecum expendo, cùm fidem uariè diſſectam, religionem miſerè concul-

conculcatam, pietatem paßim ſpretam intueor, omniáque ita perturbata eſſe uideo, ut tot ſint de religione ſententiæ, quot capita; non poſſum non Maieſtatem tuam feliciβimam iudicare, quippe quam diuina clementia elegerit, ut Luſitaniam miſeris hiſce calamitosíſque temporibus incorruptam, nullaq́; hæreſis labe reſperſam conſeruaret ac tueretur; & cui diuino beneficio contigit, ut Henricus Cardinalis patruus tuus, Princeps clariβimus, & Antiſtes uerè Apoſtolicus, qui Regnum tuo nomine integerrimè nunc adminiſtrat, fidei rebus præeſſet. is enim incredibili prouidentia peſtilentiβimis erroribus aditum obſtruit, & Iudaicæ perfidiæ funeſtas radices euellit, ac funditus extrahit, uitiorum licentiam comprimit, uirtutis ſtudia incendit, Regnum denique florentiβimum in fide, ac religione continet: et qui nunquam, ut ingentes opes ſibi compararet, la-

borem

borem ullum ſuſcepit; dum uerò pro fidei integritate dimicat, nullum uel laborem, uel ualetudinis periculum recuſat. Quid igitur à me fieri potuit elegantius, quàm libros de Orthodoxis explicationibus illi deſtinare, cuius numine, atque auxilio uera & integra fide Luſitania fruitur? quibus Maieſtatis tuæ pijſsimis ſtudijs, non dubito quin diuina prouidentia perpetuò faueat, ſalutem tuam, ut optamus, tueatur, uitam diutiſſimè conſeruet, uires amplificet, potentiam exaggeret, quam omnem in diuina gloria augenda, atque illuſtranda inſumis.

PRAEFATIO.



QVANTVM momenti poſitum ſit in liberali puerorum educatione, atq; honeſta iuuentutis ingenuaq; inſtitutione, uel ad Rempublicam conſeruandam, uel funditus euertendam, omnes, qui de adminiſtrandis rebus publicis ſermonem inſtituunt, ſatis apertè demonſtrant. Cum enim Reſpublicæ cum ipſis mortalibus hominibus non intereant, ſed ciuium aſsidua uiciſsitudine diutiſsimè conſeruentur; illarumq; felicitas non ex urbium natura & ſitu, non ex ædificiorum pulchritudine & nobilitate, non ex agrorum ubertate, rerumq; omnium abundantia, ſed ex optimorum ciuium frequentia exiſtat: quis dubitare poterit, nihil eſſe Reipublicæ utilius, quàm eam erudiendæ iuuentutis rationem inire, ut uberes & optati ex eius ſtudiis, cum uſus fuerit, fructus conſtare poſsint? Quare Xenophon præſtantiſsimam atque florentiſsimam Perſarum Rempublicam deſcripturus, talem Cyri pueritiam, talemq; omnium iuuenum educationem principio deſcripſit, ut ex ea non niſi præclariſsimus Princeps, atque optimi ciues exiſtere poſſent. Ferè enim fit, ut teneræ ætatis inſtitutioni uniuerſæ uitæ actiones reſpondeant. quæ cauſa fuit, ut etiam Diuus Paulus piam atque honeſtam parentibus filiorum diſciplinam ſæpius commendarit. Ita enim ad Epheſ. ſcribit. Et uos patres nolite ad iracundiam prouocare filios ueſtros, ſed educate illos in diſciplina & correptione Domini. *Ad Eph. cap. 6.* Siue ut uerba Græca habent, ἐν παιδίᾳ καὶ νουθεσίᾳ κυρίου, hoc eſt in caſtigatione non acri & acerba, ſed quæ ira & contumelia uacet, Chriſtianamq; lenitatem deceat: cum qua tamen νουθεσία, id eſt admonitio (ut Hieronymo placet) coniuncta ſit. Quod ipſum repetit in epiſtola, quã ad Coloſſenſes ſcribit, Patres (inquit) nolite adindignationem prouocare filios ueſtros, ut non puſillo animo fiant: quam enim timiditatem, quam'ue uirtutis deſperationem ætas illa conceperit, ſerò deponit: Sicut & nihil tenacius noſtris inhæret præcordiis iis rebus, quas ſimul cum la-

Aug. confessionum lib.3.c.4. ðe ſuximus. Quare Diuus Auguſtinus adhuc Manichæus, & à uera fide ualde abhorrens, cùm libri illius, quẽ Cicero Hortenſium inſcripſit, lectione mirificè delectaretur, non potuit tamen non fateri, ſibi magnam uoluptatis partem præreptam fuiſſe, quòd in illo Chriſti ſanctiſsimum nomen deſideraretur: quod cùm ipſi à piiſsima matre cum lacte propinatum fuiſſet, ita in ipſas quaſi uenas permanauerat, atq; adeò ipſis etiam uiſceribus inſederat, ut, quæ ſanctiſsimo illo nomine ua cua eſſent, ea ſordeſcere & ueluti putida exiſtimaret. Hinc factum eſt, ut etiam Chriſti hoſtibus ſolenne eſſet, puerorum mentibus ſimul cum primis elementis peruerſam doctrinam & Chriſti odium inſtillare; quòd unà cum ætate coaleſceret, atq; ita intimis animis hæreret: ut ab illis nulla unquã poſſet ratione diuelli. Atque id quidem à Maximino tam acri Chriſti hoſte, ut illo nullum acerbiorem, aut truculentiorem experta unquam fuerit antiqua Eccleſia, uafrè, ac ueteratoriè factitatum legimus. *Euſeb. li. 9.c. 8.* Is enim ut ſanctiſsimo Chriſti nomine, quod immani, & crudeli odio inſectabatur, ex hominum mentibus exempto, impium eis dæmonum cultum infunderet, tueretur, quædam acta ſub Pilati nomine confinxit execrandis blaſphemiis innumeriſq́; in Chriſtum opprobriis & contumeliis plena: atque Imperatorio edicto præcepit, tum, ut in omnibus imperio ſubiectis ciuitatibus, locis, ac agris affigerentur: tum ut ludorum magiſtri ea pueris diligenter honeſtarum diſciplinarum loco traderent: omnemq́; operam nauarent, ut illa animo accuratè percepta æterna memoria cuſtodirent. Neq; enim fieri poſſe putauit, ut quam in prima pueritia peruerſam de Chriſto opinionem concepiſſent, poſtea unquam abiicerent. Hanc teneris annis inſitam eſſe naturam poeta quoque lyricus ſcitè admodum iis uerſibus pinxit.

Horat. epiſt.1. lib. epiſt. 2.

Fingit equum tenera docilem ceruice magiſter,
Ire uiam, quam moſtrat eques uenaticus: ex quo
Tempore, ceruinam pellem latrauit in aula,
Militat in ſiluis catulus. nunc adhibe puro
Pectore uerba puer: nunc te melioribus offer.
Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem *Teſta diu.*

Cum

Cum uerò huius nostri temporis hæretici, in eodem gymnasio cum Maximino fuerint uersati, atque eodem præceptore, dæmone inquam usi, nihil mirum si eisdem præceptis abundent, eisdemq; armis ad euertendam Christianam Rempublicam satis sint instructi. Omnem enim operam, industriam, atque cogitationem ponunt, in puerorum animis falsa doctrina imbuendis, ueræq; Ecclesiæ odio inflammandis. Quod inter cæteros fecit quidam Ioannes Monhemius ludimagister Dusseldorpensis, qui nulla in re magis se, aut parentibus, aut pueris gratificari posse est ratus, quàm si simul cum primis grammaticæ elementis, Lutheri, Caluini, aliorumq; similium sordibus, teneras puerorum mentes inquinaret. Quod ut cumulatius præstaret, catechismum composuit non modò impium, sed & uersutum ac calidum: ut quem præceptorem tenera puerorum ætas parentis loco obseruaret & coleret, impiam eius doctrinam imis sensibus exceptam, ad extremum usque uitæ cursum perduceret, pertinaciterq; defenderet. Cui tanto malo florentissima Coloniensis Academia graui errorũ, quibus Satanicus ille catechismus scatebat, censura, & accurata quadam explicatione, repente occurrendum putauit, ut technis reseratis, atque exitiosa fraude patefacta, parentes resipiscerent, & filiorum saluti, quæ sub impio præceptore periclitabatur, consulerent, atque prospicerent. Quam prouinciam totam Academiam dedisse doctissimis, & religiosissimis uiris instituti societatis Iesu (quos uulgus Iesuitas uocat) Martinus Kemnicius illorum capitalis hostis, auctor est. In eadem enim Coloniensi ciuitate insigne illorum quoddam collegium positum est, magis quidem uiris egregia doctrina, singulari pietate, integra in Deum fide, summa religione inflãmataq; quadã ĩ proximos charitate, illustre, quàm splendidis magnificisq; ædificiis florens. Quòd si patres Academiæ illius moderatores, tale tantumque munus talibus hominibus ut Kemnicius testatur, detulerunt, est ab illis non modò prudenter (quod ex libri præclara eruditione constat) sed iustè ac legitimè factum. Est enim puerorum patrocinium illis propemodum suo iure debitum, qui hac nostra ætate præ

cæteris uiris omnibus, in teneris annis pietate, informandis, diuino timore ac charitate, omnisq; Christianæ disciplinæ præceptis, literarumq; cognitione imbuendis, accuratisſimè & prouidentisſimè inuigilant. Cum enim uiri isti & uitæ integritate ſanctisſimi, & in diuino honore amplificando prudentisſimi, ſatis intelligerent, uirtutum ſemina, quæ in teneram ætatem ueluti in concipientem compræhendentemque naturam, iaciuntur, uberrimos ac præclaros fructus edere, qui cum ætate concreſcunt & augentur; nullis uigiliis parcunt, nullos labores detrectant; nullam non moleſtiam perferunt, nullam occaſionem prætermittunt, ut pueros ad Chriſtum perducant, utque in illius amplexibus adoleſcant, & cum eo perpetuò uiuant. Quo labore quantum profecerint, felix infelici hoc ſæculo, Luſitania cumulatè teſtari poteſt. cum enim ualde abundet collegiis ſanctisſimorum huius inſtituti hominum copia abundantibus, poſtquam eorum curæ ac fidei uniuerſa ferè Luſitana iuuentus commiſſa & credita eſt; quantum cum literis pietas ſimul aucta ſit, uix dici poteſt, adeò ut uel ſolùm propter piam iuuentutis educationem, Regni illius chriſtianiſſimi fides & religio ſarta tecta eſſe poſſet. Suntque inter cætera illorum collegia, in Luſitania duo, omni ex parte florentisſima, alterum in ciuitate Conimbricenſi, & loci natura amœnisſima, & Academia omni literarum genere clariſſima, admodum celebri, in qua ipſe ab ineunte ætate literarum ſtudiis incubui: alterum in urbe Eburenſi nobilisſima, munificentia clarisſimi Henrici Cardinalis, Luſitaniæ Principis, eiuſdemque ciuitatis præſulis uerè apoſtolici conſtructum, & egregia liberalitate ſuſtentatum. In quo non ſolùm in iuuentute diuinis inſtitutis omnibusque liberalibus diſciplinis excolenda operam nauant, ſed & ſacras literas ſumma cum laude, doctorumque omnium applauſu atque gratulatione tradunt. Quòd ſi Academiarum gloria magis literarum, & uirtutum ſplendore quàm antiquitate conſtat, hæc certè paulò ante conſtituta, cum antiquisſimis & toto Orbe celeberrimis iure certare poterit. Satis enim illa præ ſe fert ſpecimen integritatis, prudentiæ, pietatis, fidei, & religionis,

quibus

quibus mirum in modum excellit Henricus Princeps clarissimus, qui illam egregiè fundatam, mirificè auctam, omnibus necessariis rebus munitam nobis & posteritati exædificauit. In hæc igitur duo potissimùm loca ex omnibus ordinibus Lusitana iuuentus confluit, ubi sub disciplina societatis Iesu educata, omnibus bonarum rerum disciplinis exculta, Christianoq; homini necessariis uirtutibus ornata, tandem domum redit. Neque uerò in solis Lusitaniæ urbibus hoc uerè Christiani hominis officio perfunguntur, sed etiam in exteris ac barbaris prouinciis, quæ Lusitano Imperio longè lateque patenti subsunt; non minus agrestibus, feris, ac barbaris moribus, ab humanitate dissidentibus, quàm locorum interstitio à nobis disiunctis. Vt autem solos Brasilienses populos commemorem, uel solo humanarum carnium esu horribiles & formidabiles, quos ἀνθρωποφάγους Græci scriptores appellant, ad quos si humano cõsilio carnis'ue prudentia societatis Iesu uiri ducerentur, nihil certius quàm esus eorum fieri sperare potuissent: cum tamen diuino spiritu impellerentur, ardentis charitatis flammas, barbaræque gentis commiserationem, omnibus uitæ periculis prætulissent, Deo eorum uotis annuente, uix credi potest, quàm breui innumeri feritate exuta, execrando atheismo abiecto, puram diuinæ cognitionis lucem, Christi charitatem, Euangelii suaue iugum, sint amplexati. Quod ut præclarum opus & cumulatius præstarent, & diutius conseruarent, puerorum sibi maximam rationem habendam esse, sunt rati: atque ædibus extructis, puerorum magnam multitudinem sibi asciuerunt, quos summa cura & perennibus laboribus, ex natiua illa feritate ad iustitiam, mansuetudinemq; transferunt, fide instruunt, pietate informant, uirtutibus excollunt, præclarissimisq; disciplinis exornant: ita ut in multis iam cernere liceat patrium stridorem potius, quàm linguam, in Latini sermonis elegantiam atque lenitatem conuersum, & in animo religione & bonis literis exornato neque uestigium quidem pristinæ belluarum feritatis reperiri. Vnde illorum puerorum multi, ad uicinas uillas & castella commeant; ut parentes, affines, cognatos,

uniuer-

uniuersam denique plebem, diuinam legem doceant, & uitia immanitatemque increpent: non sine magna agrestis gentis admiratione, diuinæque gloriæ amplificatione. Qui igitur ultimas terras lustrant, ut omnibus gentibus diuini uerbi lumen affulgeat, inque barbaris pueris excolendis, plurimos maximosq; labores insumunt, ut ita tandem Christo Iesu nouam terram nouumque cœlum restituant, paterentur'ne domi in patrio solo, propriisque laribus Monhemii impudentiam & impietatem? illi omnibus conatibus obsistere: an non horum hominum proprium est ac peculiare munus? quos si quis publicos eosdem optimos Christianæ iuuentutis magistros ac moderatores nominet, is sanè uerissimo eos nomine appellabit. sed Monhemio iam superato, illiusq; imposturis, fallaciis, & impietatibus, summa cum doctrina, perspicuitate, & euidentia reseratis, ecce tibi Satan alium rursus pseudoprophetam Martinum Kemnicium Braunsuicentium ut audio Doctorem excitauit, qui clarissimæ ueritati tenebras obducere conaretur. Is libello quodam edito, quem Theologiæ Iesuitarum præcipua capita inscribit, in sanctissimum illud seuerioris cuiusdam, & ad ueterem Ecclesiæ disciplinæ normam conformatæ uitæ institutum inuehitur, illudq; contumeliosè damnat, atque in morem rabidi canis, quos dilacerare dilaniareque uitiorum commemoratione non ualet, latratibus immodicis prosequitur: omnesque eruditionis scilicet, & eloquentiæ uires comparat, ut catholicæ, ueræ, piæ, & excellentissimæ doctrinæ impietatis notas inurat, aliosq; ut id abundantius præstent, prouocat. In quem libellum cum incidi, uenit mihi in mentem illustris ille Philo Iudæus, qui cùm legatus à Iudæis Alexandrinis ad C. Cæsarem Romam missus esset, ut lites inter Iudæos & Gentiles obortas coram Cæsare dirimeret, à Caioq; contumeliosè exciperetur, ad collegas suos sese conuertens ait. Bono animo estote, iam enim re ipsa Deus demonstrat causæ nostræ patrocinium suscepisse; quando iratum ac aduersarium Caium experimur. Ita cum ego Kemnicii iudicium de uiris instituti societatis Iesu, cũ ipsorum uita mihi satis perspecta & explorata, animaduersionesq;

Eusebius hist. Eccl. lib. 2. c. 5


nesq; illius, cum Colonienſi cenſura, quā ipſe carpit, confero, eius impudentiam ſatis quidem demirari non poſſum. Illud tamen interim perſuaſum habeo, illos non tantum gloriæ ex multorum commendatione, quantum ex impia & petulanti Kemnicii improbatione, comparere potuiſſe. Neque enim ab improbis atque ſceleratis uiris improbari, quàm ab egregiis atque laudatis commendari, minore in laude ponendum exiſtimo. Quare cum ſæpe & multum mecum cogitarem de ſocietatis Ieſu uitæ inſtituto, à petulanti Kemnicii animaduerſione uindicanda, me retardabat egregia hominis procacitas & impudentia, quam non fieri poſſe putabam ut quenquam latere ulla ratione poſſet. Quod uerò attinet ad religionis noſtræ dogmata, quæ petulanter ipſe redarguit & refellit, ſatis uidebam tam accuratè, diligenter, & circunſpectè in Colonienſi cenſura explicata eſſe, ut in profligando Monhemio, Kemnicii etiam impietatem ante præuiderit & exterminauerit. Quare exiſtimo illum cum ad ſcribendum animum appulit, iudicum iniquitate fretum magis, quàm cauſæ æquitate id feciſſe. Cum tamen intueor magnam Germaniæ ſalutis ſpem, in ſocietatis Ieſu opera, diligentia, & laboribus poſitam eſſe, uereor ne illius gloriam & exiſtimationem apud aliquos magis infringat noſtra intẽpeſtiua taciturnitas, quàm Kemnicii importuna loquacitas. Quamobrem tum diuini honoris amor, tum Luſitaniæ meæ debitum officium, me ad hanc optimorum uirorum ſuſcipiendam defenſionem incitauit. Cum enim Sebaſtianus Luſitaniæ Rex, Dominus & Princeps meus clementiſſimus, à religioſiſſimo & doctiſſimo huius ordinis uiro Luiſio Gonzalez à Camara, & bonis artibus inſtituatur, & ad pietatem informetur, quamplurimiq; eiuſdem inſtituti uiri, in omnibus Luſitaniæ ditionis, prouinciis, latè & uariè diffuſis, ſaluti animarum, Euangelii luci amplificandæ, non ſine ſanguine incumbant, ſi hanc cauſam deſeruiſsem, non tam ſocietati Ieſu, quàm debito patriæ meæ officio defuiſſe iure uideri poſſem. Quia uerò hominis iſtius, cum quo mihi res eſt, in laceſſendo procacitas me cogit, ut principio de origine, moribus, & uitæ inſtituto, ſocietatis Ieſu, agam, Deum teſtem

inuoco

inuoco in animam meam, quòd neque calumniandi libidine, neque commendandi ſtudio uel tranſuerſum unguem à uero diſcedam. Quòd ſi æquis utamur iudicibus, non dubito quin nuda ueritate propoſita, nullis uerborum lenociniis eloquentiæ'ue luminibus exornata, nullaq; argumentorum ui fulcita, cauſam facilè obtineam. neque enim fieri poteſt, ut qui ſcelere & inuidia non fuerit cœcus, illuſtris atque candentis ſolis radios non uideat.

DIEGHI PAYVA ANDRADII LVSITANI, ORTHODOXARVM EXPLICATIONVM LIBER PRIMVS.

De origine ſocietatis Ieſu.



EI Optimi Maximi prouidentia mundum adminiſtrari, eumq; conſulerę rebus humanis, non ſolùm uniuerſis, ſed etiam ſingulis, qui rerum admirabilem ordinem, & uiciſſitudinem, temporum commutationem, euentuumq; certiſſimam cum ſuis cauſis connexionem, atque eorum omnium, quæ naturæ opera & adminiſtratione fiunt, diſpoſitionem conſiderauerit, ſatis intelliget. neque enim tam conſtans, & tam perennis ordo in rebus mentis conſilijque expertibus temerè euenire, aut caſu conſeruari ullo modo potuiſſet. & niſi Dei nutu, atque poteſtate cuncta regerentur, fieri certè non poterat, quin inuerſa eſſent, & immutata omnia, atque admirabilis hic totius uniuerſitatis concentus exciſus & euerſus iacêret. Quæ, etſi magna ſint diuinæ prouidentiæ argumenta, ſi cum ijs tamen, quæ ſingulis diebus edit, inflammati cuiuſdam ſtudij, ardentiſq; deſiderij, homines ad ſui amorem felicitatiſque communionem pertrahendi conferantur, exigua illa ſanè, & exilia uidebuntur. Ita enim in hanc quaſi cu-

ram æterna bonitas incumbit, ita omnes rationes init, omnes uias persequitur, quibus mortales ad sui amorem cultumq; alliciat; ita omnes machinas adhibet, ut durum, & ferreum humanum cor ad pietatem & religionem flectat, ac si inde illius uniuersa dignitas, deitas, felicitas, omnipotentia & amplitudo penderet. Cum igitur rebus prouidere, sit eniti ut res omnes, fines sibi à Deo atque à natura perscriptos consequantur; earum uerò mentium, quæ rationis sunt participes, finis sit cœleste ipsum numen, in quo solo & feliciter conquiescunt, & in quem concitato cursu ferri debent, in illis profectò diuinæ mentis consilijs, & operationibus, quæ humanæ uitæ cursum, ad hunc præclarissimum finem dirigunt, arcanæ prouidentiæ magnitudo & excellentia magis elucet, & splendescit; atque quò animi hominum, qui hac prouidentiæ ratione procurantur, cæteris corpore constantibus longius præstant, illorumq; finis est longè præclarior, eò magis in illis administrandis uberior quædam Dei sapientia, cura, ac prouidentia enitet. Si enim ad præclaros uiros, qui se per omnes ætates diuino cultui mãciparunt, animum aduertamus, planè uidebimus, eorum uitam, non modò singulari rerum omnium auctoris atque opificis prouidentia gubernatam, amplissimisq; beneficijs auctam semper fuisse, eumq; illis leges, uitæq; instituta tanquam sapientissimum dominum præfixisse, sed ut patrem fouisse, aluisse, texisse, & omnia, quæ illorum in pietate & religione progressum retardare, ac impedire poterant, curiosè remouisse, atque arcuisse. Vnde sunt sanctorum

rum perennes illæ uoces, quibus æternæ pro uidentiæ, atque erga se liberalitatis magnitudinem prædicant, illi omnes suas fortunas atque bona referunt accepta, pro acceptis beneficijs gratias agunt, & quam de suis curam gerit, admirantur. Hinc Moses cœlum ac terram conuocat, utq; Israeliticos homines summæ ingratitudinis condemnent, obtestatur; quippe qui summi amoris, quo illos iam inde ab initio Deus fuerat prosequutus, & curæ, quam illorum commodis impenderat, memoriam deposuissent, Memento (inquit) dierum antiquorum, cogita generationes singulas, interroga patrē tuum & annunciabit tibi, maiores tuos & dicent tibi; Quando diuidebat altissimus gentes, quando separabat filios Adam, constituit terminos populorum iuxta numerum filiorum Israel. Hoc est, ita Deus omnia condidit, & administrat, ut solis populi sui Israelitici rebus prospicere uideatur. Prætermitto quam Christus Iesus Dei filius operam nauauit, ut humanum genus, grauissimo Dæmonum iugo expulso, sempiterna felicitate perfrueretur. Quanta uigilantia cœli uiam cōmonstrauit; quot labores pertulit, ut illam firmissimis sacramentorum præsidijs muniret; quantis sudoribus ac cruciatibus illius obseratas & occlusas fores nobis reserauit; quæ ac quanta in terris reliquit ardentissimæ charitatis in nos suæ pignora, felicitatisq; sempiternæ obsides, qui infirmitatem nostram leuarent, debilitatem repellerent, algidas mentes inflammarent, languentem spem excitarent, tepentem charitatem magis ac magis accenderent, atque dimissos animos & ter-

Deuter. cap. 32.

restrium rerum curis oppressos cœlestium recordatione erigerent,& recrearent: adeò ut nihil sit,quod cursum nostrum ad Deum remorari aliqua ex parte possit, cui ipse non multò ante prouiderit, atque præcauerit, ne quidquã saluti nostræ, præter nos ipsos incõmodare aliqua ratione posset. Quam hominum curam haud quidem cum mortalitate Christus deseruit, neque cœlestis principatus functione nostri memoriam abiecit, & uigilantissimam procurationem deposuit; sed ita nostræ saluti de cœlo prospicit, ità nostris ægritudinibus medicinam adhibet, nouasq; rationes continenter init, ut nos à caducis cupiditatibus alienatos ad se pertrahat, ut facilè intelligamus, illum non tam sese à nobis subtraxisse, quàm cerni corporeis oculis noluisse.

CVIVS diuinæ prouidentiæ, & in hominum salute curanda flagrantis studij, maximo documento sunt clarissimi uiri, qui cœlestis charitatis facibus accensi, uitæque melioris amore incitati, se ipsos ab hominum cœtu familiariq; consuetudine abducentes, diuinis se rebus solùm tradere, humana contemnere, cœlestia meditari, arctius uiuendi genus & ad perfectam Euangelicæ disciplinæ normam accommodatum ingredi, non modò in animum induxerunt, sed quamplurimis, ut idem facerent, auctores fuerunt: quorum opera & exemplo, languens christiana disciplina, æternarumq; rerum memoria, quæ in multorum mentibus extincta propè, & deleta erat, maxima ex parte erecta & excitata fuit. Nanq; eorum, qui in fragilium & caducarum rerum amorem immersi, nihil perenne & sempiternum cogita-

gitabant plurimi, rei miraculo perculsi, & caligine, quæ mentem obscurabat, discussa, nouoq; splendore illustrati, atque de arctissimo quasi somno experrecti, quæ in oculis ferebant, contempsêre, temporalium rerum amores in grauissima odia conuerterunt; cœlestia, quæ paulò antea despiciebant, admirati arctissimè complexi sunt; atque ita christianæ uitæ institutio sensim instaurata fuit; non inter eos solùm, qui ad noua illa monasticæ uitæ, cœlestiaq; castra confugiebant, sed apud illos etiam, qui sanctissimorum hominum monitis & exemplis prouocati, non tam sensibus, quàm Sancti spiritus fulgôre ducti, uitam ad Euangelicæ legis regulam componebant, quanquàm domicilia, sedes, fortunasq; ipsas cum uestibus retinerent. Neque enim uitæ magni illius Antonij admiratio, pauciores ad ueræ pietatis cultum in medijs urbibus incitauit, quàm ad horridam eremum, uitæq; monasticæ æmulationem allexit. Quod satis quidem ardentissimæ illæ Augustini, innumeris adhuc cupiditatum uinculis constricti, ad Alipium uoces indicant, Quid patimur? quid hoc est, quod audisti? surgunt indocti, & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis nostris sine corde ecce ubi uolutamur in carne & sanguine. An quia præcesserunt, pudet sequi? & non pudet neque saltim sequi? Ita enim, audita à Potitiano magni Antonij illustri atque planè angelica uita, permotus fuit, ut sui ipsius pudorem, scelerumq; conscientiam ferre nullo modo posset. Quibus autem fluctibus illius fuerit mens agitata, cùm narrantem Potitianum audiebat, hisce uerbis ornatissimè explicauit, Tu autem

Aug. 8. lib. de cõfess. c. 8.

Confeſſ. lib.8.c.7 autem Domine inter uerba eius retorquebas me ad me ipſum, auferens me à dorſo meo, ubi me poſueram, dum nollem me attendere, & conſtituebas me ante faciem meam, ut uiderem quàm turpis eſſem, quàm diſtortus, & ſordidus, maculoſus, & ulceroſus, & uidebam, & horrebam, & quò à me fugerem non erat: etſi conabar à me auertere aſpectum, narrabat ille quod narrabat, & tu me rurſus opponebas mihi, & impingebas me in oculos meos, ut inuenirem iniquitatem meam & odiſſem. noueram eam, ſed diſſimulabam, & conniuebam, & obliuiſcebar. Tunc uerò quantò ardentius amabam illos, de quibus audiebam ſalubres affectus, quòd ſe totos tibi ſanandos dederant; tantò execrabilius me comparatum eis oderam. Quo circa exiſtimo, ſanctam Dei eccleſiam diuino illi Antonio magna ex parte debere, quòd ſanctiſſimo Auguſtino tanta nunc cum uoluptate, atque commodo fruatur. Nam ille, qui nullis unquam perſuaſionibus ceſſit, uitæ magni Antonij commemoratione, ſanctiſſimorumq; duorum militum pia æmulatione ad uirtutum ſtudia flecti atque commoueri potuit. Cùm igitur nouæ, & inuſitatæ uirtutis admiratio, ad animos hominum pietate & religione informandos plurimùm ualeat; Chriſtus Ieſus Eccleſiæ ſuæ prouidentiſſimus moderator, ſingulis propè ætatibus, nouos quoſdam ſoles ueluti lumina quædam accendit, qui uitiorum tenebras Chriſtiani Orbis finibus arceant; nouosq; Moſes exuſcitat, qui plebis ſuæ corda ab Aegyptiorum tyrannide eripiant, à fœdiſſima ſpurcitia, turpiſſima lue, profligatiſſimisq; moribus, ad flagrans uirtutis ſtudium

dium traducant. Magnos illos uiros planeque diuinos, rigidæ solitudinis incolas, quibus tota olim Græcia uniuersaq; Aegyptus feliciſſimè abundauit, taceo; qui cum in retrusis locis, magisq; abditis terræ penetralibus uitam degiſſent, ferarumq; familiaritatem, hominum aspectui & consuetudini quàm longiſſimè antetuliſſent, illorum tamē sola uitæ admiratio maiorem uim habuit, ut multorum animos percelleret, & obdurata longa peccandi consuetudine pectora leniret, elata flecteret, algentia charitate inflammaret, à uitijs ad uirtutum studium conuerteret, quàm doctiſſimorum & eloquentiſſimorū hominum ornatiſſimæ orationes. Quòd si ad illa tempora cùm monasticum uiuendi genus lenius ac mansuetius diuina prouidentia factum est, illiusq; sectatores incultis eremis relictis, urbes habitare, inq; hominum luce uersari cœperunt, animum conuertamus, uidere sanè existimabimus, ardentes charitatis flammas de cœlo decidiſſe, quæ hominum mentes inflāmarent, atque ita pristina illa nascentis ecclesiæ tēpora magna ex parte restituta fuiſſe. Humani enim animi tanto splendore, tantaq; pulchritudine illecti, in omne se uirtutis studium tradebāt. Cùm præsertim egregij illi uiri omnes neruos contenderent, ut quem ipsi humanarum rerum contemptum cœlestiumq; amorem animo inclusum habebant, ad omnes alios transfunderent. Vt uerò cæteros uiros sanctiſſimos taceam, qui ad duo illa Orbis lumina Dominicum & Franciscum animum diligenter aduerterit, satis perspiciet, diuina illos fuiſſe prouidentia incitatos, ut homines à uitijs ad uirtutem

tutē auocarent, perfectiſſimamq; apoſtolicæ uitæ regulam Orbi reſtituerent. Quòd ut cumulatius præſtarent, ſapienter exiſtimarunt, externis indumentis, & corporis cultu, ſuos à cæteris omnibus ſecerni, ac ſeiungi debere; non quòd in ueſtium ſqualore & ſitu uirtutem & pietatem potiſſimùm ineſſe ducerent, ſed ut eorum filij, & imitatores perpetuo eſſent admoniti, non minus pœnitentiæ auſteritate, morum puritate, uitæque ſanctimonia cæteris præſtare debere, quàm eſſent ueſtibus externoq; corporis cultu ab alijs diſcreti: illoſque puderet, non eam humilitatem, integritatem, innocentiam, humanarumque rerum contemptionem moribus exprimere, quam ueſtibus pollicerētur: omnium etiam ſuorum actiones & uoluntates ab unius uoluerunt arbitrio pendêre, ut cùm unam eandemq; uoluntatem diuinis rebus addictam omnes conſeruarent, peccatorum omnium fibræ facilius extirparentur, eſſetq; illis peccandi licentia ſimul cum impunitate & occaſione præciſa. Cùm igitur omnes ſuas rationes ad gloriæ Chriſti amplificationem, integramq; euangelicæ diſciplinæ reſtitutionem contulerint, quis non uidet, ſtrenuam eos Satanæ operam nauare, qui ſanctiſſimorum hominum præclara ſtudia damnant, & rectam uiuendi rationem oppreſſam & extinctam cupiunt? Cum uerò Kemnicius inſtituti Diuorum Franciſci & Dominici ſtudioſos calumniatur, quòd regulas ab hominibus excogitatas Chriſti mandatis præferat, ſatis indicat, odio ſe atque inuidia obcœcatum non perſpicere, in euãgelica perfectione monaſticæ uitæ rationem potiſſimùm ſitam eſſe.

Sanctiſſimis

Sanctissimis uerò Dei præceptis atque uoluntati ad uersari illa minimè possunt, quæ ab apostolicis sacræq; legis studiosissimis uiris, ad perfectam eiusdẽ legis conseruationem inuenta atque excogitata fuerunt. sed nihil miror caligantes Kemnicij oculos, tetraq; inuidiæ nebula circunfusos, illustrem diem, caliginosam esse noctem arbitrari, neque tantam supremæ prouidentiæ magnitudinem percipere; cum audiam Diuum Paulum asserentem, hominem carnis cupiditatibus immersum, sordidis & abiectis desiderijs implicatum non percipere, quæ sunt spiritus Dei, stultitiamq; illa esse existimare, quæ admirabilia diuinæ mentis consilia continent. 1. ad Corint. c. 2.

HAEC uerò uigilans & industria Dei prouidentia, quæ præteritis sæculis excitauit Antonios, Basilios, Augustinos, Benedictos, Franciscos, Dominicos, cæterosq; egregios uiros monasticæ uitæ parentes, qui torpentes animos uirtutis stupore percellerent, nostris hisce tẽporibus cœlesti beneficio Christiano Orbi donauit Ignatium Loyolam Cantabrũ, non minùs generis claritate; quàm singulari prudentia infractaq; fortitudine illustrem: cuius plurimis maximisq; in rebus, multa ac præclara documenta dedit. eo præsertim tẽpore, quo Galli arcem Pompeiopolitanam munitissimam obsederunt, uehementissimeq; oppugnarunt. in qua obsidione tam strenuè se Ignatius gessit, ut illi uni Hispani omnes primas facilè deferrent. Qui tamen honos tanti illi constitit, ut altero crure bombardæ ictu comminuto, in altero uerò grauissimo uulnere accepto, à Gallis captus fuerit: quorum tamen lenitate & humani

tate usus, liber paulò pòst domum redijt. Quæ corporis uulnera, cœlestia quædam medicamenta fuerunt, quibus mens, quæ cupiditatum erat ictibus saucia atque intermortua, integram ualetudinem recuperauit. Nanque grauissimis illis doloribus diuturnaq; ægritudine tãquam diuinis quibusdam uocibus excitatus, & labentium rerum uanitatem intueri, æternarumq; amore inflammari cœpit; atque adeò oculos, quos illi honorum uoluptatumq; illecebræ occluserant, ærumnæ, & calamitates reserarunt. Cum enim iam non tam externis, quàm domesticis ac proprijs exemplis admonitus, rerum uniuersarum statum debitis põderibus examinare cœpit, facile fuit humana, quæ antea admirabatur, contemnere, diuina uerò, quæ priùs non admodum curauerat, prosequi & admirari. Cum præsertim is
Act.c.9. esset, quem Christus Seruator prælegerat, ut eorum dux foret, qui sanctissimum eius nomen portarent coram gentibus & populis, & ijs, qui sunt ueri filij Israel. Corpore igitur aliquantulùm firmiore, non dum tamen omnino confirmato, Cæsareis armis repudiatis, omnibusq; humanis curis & cogitationibus abiectis, Christianæ se militiæ addixit, atque sub eo duce stipendia mereri decreuit, qui men
Luc.c.6. suram bonam, & confertam, & coagitatam, & supereffluentem in eorum sinum dat, qui se illi uerè
Genes. cap. 12. & ex animo tradunt. Quare ut uerus Abrahæ filius haberi, benedictionumq; illius particeps esse posset, in ipso ætatis flore (erat enim 26. annos natus) domo, patria, ac proprijs laribus relictis, in templum Deiparæ Virgini dicatum, antiquitate & quamplurimis

rimis miraculis illuſtre, quod Montem ſerratum uocant, ſemigrauit; atque cùm ueterem hominem ibi prorſus exuere ſtatuiſſet, neque antiquas quidẽ ueſtes retinere uoluit. Quocirca ſacco indutus, immodicas illas delicias, quibus eius fuerat corpus delibutum, ueterem faſtum, inſolentiam, temeritatem, cæteraſq; animi cupiditates, rara quadam & inſolita uitæ auſteritate, humilitate, patientia, uirtutumq; omnium flagrante ſtudio cœpit compenſare. in quo tam diu, & tanta cum omnium admiratione perſtitit, ut multorum poſtea animos, non tam eruditionis præſtantia, qua tunc erat deſtitutus, quàm illuſtris ſanctitatis exemplo, ad uerum Dei amorem à uitæ prauitate conuerteret. cum præſertim conſilia prudentiæ, pietatis, amoriſque pleniſſima ſæpius cum illo coniungeret. Nam poſtquam aliquandiu tam auſtera acerbaq; pœnitentia cupiditatum impetus coërcuiſſet, & refrenaſſet, ut omnibus corporis uoluptatibus ſibi ſponte interdixiſſe uideretur, repentina quædam ac cœleſtis lux illi exorta fuit; tantaq; ſancti Spiritus dulcedine fuit delibutus, atque diuinæ cognitionis tanto lumine illuſtratus, ut in tertium cœlum raptus ibique arcana Dei uerba quodam modo audiuiſſe uideretur. Tanta item in proximos charitate ſubitò exarſit, ut in illorum ſalutem omnem operam, atque laborem non ſine maximo fructu & admiratione collocaret. *2. ad Corint. c. 12*

CVM uerò in hac pœnitentiæ, charitatis, uirtutumq; omnium palæſtra ſe aliquãdiu egregius hic uir Ignatius exercuiſſet, Hieroſolymam ſanctiſſimam urbem ſe contulit, ſanctiſſimi illius ſepulchri ado-

randi,& cætera loca, in quibus adhuc Christi extant expressa uestigia, uisendi gratia: quorum fuit aspectu tantopere animatus, ut nihil iam ardentius optaret, quàm cum Christo unà pro fratribus sanguinem fundere; uitamq; sibi esse acerbam putaret, quam non in eorum salute curanda insumeret. Hierosolyma uerò discedens, in Hispaniam redijt, ubi miris modis exagitatus, atque sicut olim Abraham, & Iob à Deo tentatus, illustrissima dedit singularis cuiusdam fidei & pietatis documenta. Quibus laboribus tantum profecit, ut familiaribus dicere solitus fuerit (quod ipsis referentibus, sæpius ipse audiui) nihil esse in rebus creatis tam amplum atque egregiũ, quo ipse perpessas calamitates & ærumnas libenti animo commutaret. Quia tamen intelligebat, plurimùm ad uitæ rationem, quam inierat, literarum cognitionem ualere, illarum se totum studijs tradidit, non tam eruditionis pulchritudine, uoluptateue illectus, quàm charitatis in proximos ignibus incitatus. In quibus studijs cùm aliquantum profecisset, in Parisiorum Lutetiam bonarum omnium literarum altricem se contulit, ubi unà animarum saluti, & eruditioni operam nauabat. At quantis laboribus in his rebus perfungeretur, uix dici potest, cum & summa quadam paupertate oppressus, & uarijs esset corporis ægritudinibus penè confectus. Sed tamen in his omnibus superauit propter eum, qui dilexit nos, & tradidit semetipsum pro nobis. *Rom. cap. 8.* In qua amplissima academia cùm decem annos in literarum studia impēdisset, tantosq; in illis progressus fecisset, quanti animarum saluti, quam sitienter optabat,

optabat, procurandæ sufficere uiderentur, atque socios aliquot æmulos, & imitatores studiorum suorum sibi adiunxisset, in Hispaniam rursus proficiscitur, anno salutis nostræ 1536. deinde Romam, quò etiam illius in pietate optimi filij & commilitones Petrus scilicet Faber, Franciscus Xanier, Iacobus Laines, Claudius Gaius, Ioannes Coduri, Alphonsus Salmeronius, Simon Rodericus Lusitanus, & Nicolaus Bouadilha se cōtulerunt, ut à Christi Vicario Romano Pōtifice facultate accepta, sacra Hierosolymæ loca peragrarent. Ex quibus hodie quatuor adhuc uiuunt superstites, Iacobus scilicet Laines huius sanctissimæ societatis Præpositus generalis dignissimus, atque de Dei Ecclesia bonorum omnium iudicio optimè meritus, Alphonsus Salmeronius, Simon Rodericus, & Nicolaus Bouadilha. quia uerò totum iter pedibus confecerant, neque aliud uiaticum præter mendicitatem, inediam, pœnitentiæq; ardens studium sibi quæsiuerant, ad urbem maximis laboribus penè cōfecti appulerunt, sub initium Quadragesimæ, anno subsequēti 1537. Cum tamen suauissimum iam Christi odorem Venetijs aliquandiu sparsissent, & tanta cum humilitate in pauperum hospitijs, quæ πτωχοτροφεῖα uocantur, uersati essent, tantamq; diligentiam ac solicitudinem in eorum morbis curandis, uulneribus obligandis, molesta, graui, ac putida sanie abstergenda, impendissent, totq; edidissent raræ cuiusdam uirtutis & charitatis documenta, ut omnes in sui amorem admirationemque pertraxissent, impetrata à summo Pontifice, quam optabant facultate, Venetias ubi
recentia

recentia adhuc erant eorum pietatis uestigia reuertuntur, ut unà cum ijs, qui ad sacra Palæstinæ loca singulis annis religionis ergò nauigant, commearet. Cum tamen æterna Prouidentia, quæ Christiani gregis utilitatibus semper inuigilat, statuisset, ex paruis hisce initijs, & quasi seminibus, magnam quandam syluam exsuscitare, quæ nutanti Ecclesiæ suæ plurimum opis adiumentiq; afferret, pijssimi uoti compotes fieri pijssimi uiri non potuerunt. Cum enim pacis foedera, quæ felix illa, amplissima, atque uerè illustris Venetorum Resp. cum Thurcis percusserat, eo anno fracta fuissent & uiolata, nemini Hierosolymam nauigare licuit. Quod tamen nihil religiosos uiros ab incoeptis charitatis studijs retardauit. Nam cum non sibi, sed Deo placere studerent, intellexerunt, quasi coelestibus se uocibus admoneri, ut quæ amoris officia Christi hostibus tribuere cogitabant, in fideles, Christianosq; homines tunc conferrent. quod ut commodius præstarent, ex ipsis aliqui sacris initiari uoluerunt. Cum uerò ecclesiastica lege caueatur, ne quis sacris initietur, qui aut hæreditarijs, aut ecclesiasticis bonis, unde honestè uiuere possit, caruerit; amplissimam sibi hæreditatem esse Deum ipsum, lautissimumq; patrimonium, nudos nudum Christum sequi affirmarunt, pro quo egêre, extremamq; penuriam pati, maximas opes ducerent. Quod copiosissimum esse, & Christiano sacerdote dignissimũ patrimonium cùm sũmus Pont. Paulus eius nominis tertius iudicaret, facultatem dedit, ut spontaneæ paupertatis, atque sufficientis eruditionis nomine ad sacros, quos uocant,

cant, ordines proueherentur. Quam pontificiam uereq; Apostolicam facultatem cùm Verallus Archiepiscopus Rosanensis, qui per id temporis Venetijs Apostolicæ erat sedis Legatus, postea uerò Cardinalis factus est, admisisset, atque egregia illos esse eruditione exornatos pronunciasset, perpetuam spontaneamq; paupertatem Deo ante eius pedes promiserunt, egregioq; illo patrimonio ita constituto, ex illis septem sacerdotio inaugurati sunt, facultasq; ipsis data est, ut secretas, atque occultas peccatorum confessiones liberè audire ubique possent. Prætermitto quanta cum diuini honoris amplificatione, christianæq; Reip. utilitate, docendi populum sanctissimum munus auspicati sint. Nam cùm illi proprij nominis & existimationis cura prorsus abiecta, se totos ad Dei gloriam illustrandam, salutemque mentibus afferendam conferrent, atque per eas Italiæ urbes, quæ Illustrissimæ Venetorum Reip. subiectæ sunt, Euangelium sparsissent, uix credi potest, quàm breui plurimos in sui admirationem æmulationemq; pertraxerint.

CVM autem iam tempus illud aduentaret, quod Dominus firmando & amplificãdo sanctissimo huic uitæ instituto præfixerat, Romam rursus se omnes contulerunt, anno 1538. datisque in ea urbe singularis fidei, pietatis, modestiæ, integritatis egregiæq; eruditionis clarissimis documentis, grauissimis sunt molestijs exagitati: quæ tamen magis ad eorum nomen & innocentiam illustrandam, quàm aliqua ex parte obscurandam fecerunt. Nam cùm Satan diuini honoris, Christianiq; nominis perpetuus hostis, iam

iam sibi à tam egregijs initijs timere inciperet, omni bus opibus, uiribusq; elaborabat, ut ea in ipsis quasi faucibus cōprimeret, atque sanctissimorum hominū animos frangeret, salutaresq; conatus irritos face-
2.Pet.2. ret. sed Deus, qui nouit, pios de tentatione eripe- re, iniquos uerò in diem iudicij reseruare crucian-
1.Pet.1. dos, effecit, ut probatio fidei illorum multò precio- sior auro, quod per ignem probatur, inueniretur, in laudem, & gloriam, & honorem in reuelationem Iesu Christi. illorum nāque fides atq; integritas tam sæua tempestate iactata, omnibus euasit notior at- que testatior. Cum uerò aliqui illustri eorum exem plo incitati, se illis iam socios ascripsissent, ne san- ctissimum uitæ institutum unà cum ipsis interiret, à Paulo III. Pontifice Maximo, Reuerendissimo Car- dinale Contareno uiro integerrimo & prudentissi- mo internuntio, petierunt, ut si Diuino id honori expedire iudicaret, ratum illud ac firmum haberet, ut apostolica auctoritate munitum atque firmatum, conseruari perpetuò posset. Quod sapientissimus Pontifex eò libentius fecit, quò magis experientia didicerat, quantum ea uitæ ratio extremis Ecclesiæ necessitatibus esset accōmodata, quantumq; eam la bantē iuuare, Christianæq; reipublicæ usui esse pos- set, atque adeò diuino quodam spiritu, qui in Pon- tificibus peculiari quadam ratione residere solet, afflatus, prædixit, hanc uitæ rationem maxima in- staurandæ Christianæ reip. antiquæ disciplinæ resti tuendæ, Ecclesiæq; puritati atque candori resarcien do auxilia esse allatúram. Ne uerò inconsideratè tantam rem gessisse uideretur, principio cauit, ne plures

plures quàm sexaginta uiri ad eam societatem ascriberentur. Quæ acta sunt anno salutis nostræ 1540. At posteaquàm idem Paulus III. Pontifex prudētissimus, & in rebus agendis circunspectissimus intelle xisset quàm illi se indies præclarius in curãda anima rum salute gererent, & quãtum pietate, fide, honesta te, grauitate, innocentiaq; excellerent, ne Spiritui sancto, quem instituti huius auctorem, atque procuratorem esse apertissimis indicijs cognouerat, resistere uideretur, anno à Christo nato 1543. illud ipsum rursus firmauit, & apostolica auctoritate com muniuit. Neque ullis ipsum terminis, aut uirorum numero circunscriptum esse uoluit, quod augeri atque amplificari summopere iam optabat. præuidebat enim sanctissimus Pontifex, nullam fore tam barbaram & incultam gentem, ad quam horum ho minum ardentissima charitas non esset peruasura, nec ullum tam apertum ac ingens periculum, cui se pro Christi gloria non illi libenter offerrent. Hæc sunt, Kemnici, societatis Iesu initia, hæc illius prima origo, quam tu falsò à Ioanne Petro Carapha, qui postea Cardinalis, & tandem anno 1555. Pontifex factus, Paulus Quartus dictus est, priusquàm ad fasti gium illud eueheretur, Venetijs primùm institutam fuisse asseris. Cum tamen nullum sit uitæ institutum, quod Paulum Quartum auctorem potissimum, primumq; institutorem habuerit. Immo uerò Clemente Septimo Pontifice Maximo uniuersalem Ecclesiam moderante, magnæ quidam auctoritatis uiri pietatis ardore accensi in separatum quendam, & à uulgi consuetudine secretum locum unà conuenire

frequenter solebant, ut precationibus, sacramentorum frequentationi, pietatis, charitatisq; officijs sedulò uacarent. Quæ ideò Diuini amoris sodalitas dicebatur. Quorum exemplo Paulus Quartus Pont. Max. qui tum Ioannes Petrus Carapha dicebatur, excitatus, eorum se numero aggregauit. Cùm uerò se aliquandiu in illis præclaris operibus cum reliquis exercuisset, ex pijs illis ac religiosis uiris quatuor, Paulus hic scilicet Quartus, tum Episcopus Theatinus; Caietanus nobilis Vicentinus Protonotarius Apostolicus; Bonifacius nobilis Pedemontanus, domo Alexandria; & Paulus quidam Romanus, peculiari nescio qua Spiritus sancti impulsione incitati, cœlestis amoris singulari ardore inflammati, magnoque & iusto dolore commoti, quòd sacer hic noster clericorum ordo à primæua sinceritate ac puritate tam turpiter degenerasset, ac magno Ecclesiæ detrimento obsolesceret, egregiam quandam rationem inierunt, qua illius antiquum splendorem, aliqua ex parte reuocare ac conseruare possent. Omnium nanque bonis in communem usum sepositis, ut pro cuiusque necessitate in singulos dispertirentur, rerumq; omnium humanarum curis abiectis, se totos diuinis laudibus concinendis rerumq; cœlestiũ meditationi tradiderunt; illamq; in rebus omnibus uiuendi rationẽ sunt ingressi, quam antiquæ puritati simillimam esse iudicarunt. Quare presbyteri regulares appellati sunt. At quoniam Paulus IIII. Pont. Max. relicto tunc Episcopatu Theatino, hanc uiuendi rationem magna cum omniũ admiratione suscepit, uulgò Theatini omnes

dicti sunt. is tamen inter eos sicut episcopali dignitate, ita auctoritate, ut par erat, plurimùm semper excelluit, estq; uitæ illud institutum religiosissimum eius opera auctum & amplificatum. Quod quidem non Venetijs, ut ais, sed Romæ initium habuit. Venetias tamen haud multò pòst Diuina prouidentia magis, quàm humano consilio uenit. Nam, cùm Caroli Quinti Augustissimi Imperatoris exercitus, eo inscio, atque adeò inuito (erat enim per id temporis in Hispania) sub Borbonio duce in urbem Romam inuasisset, illamq; latrocinijs & excursionibus depopulatus esset, uiri isti quietis amantissimi, Venetorum triremibus, quæ tunc fortè ad Tyberinum ostium erant, uecti, Venetias pacis & quietis egregium domicilium appulerunt. Quorum sanè uiuendi genus, ut est societate Iesu antiquius, ita in uiuendi ratione ab illa ualde differt. Illi enim sacrarum æternarumq; rerum meditationi atque psalmodiæ potissimùm uacant; isti uerò cum Diuinorum mysteriorum assidua contemplatione, docendæ plebis, Euangelij amplificandi, sacramenta administrandi, atque reliqua omnia apostolica munera cõiungunt. Illi nondum Italiæ finibus excesserunt, in qua magna cum laude uersantur, & uitam degunt omnium iudicio spectatissimam: isti uerò ultimas iam Orbis oras lustrarunt, atque Christum Iesum crucifixum uniuerso ferè generi humano annuntiarunt. usque adeò ut nulla sit tam barbara & inculta gens, cui societatis Iesu nomen non sit notissimum. Neque mihi persuadere possum, alia te ratione fuisse inductum, ut Paulum Quartum Pont. Max. societatis Ie-

ſu auctorem fuiſſe diceres, quàm ut tuis omnibus pro odio, quod in ſanctiſſimos Romanos Pontifices conceperunt atque exercent, fieret illa ſuſpecta & inuiſa. Quæ quidem ſatis oſtendunt, quæ ſit uobis, Kemnici, fides habenda in his, quæ paſſim in magnum Romanæ Eccleſiæ dedecus, ſanctiſſimorumq; Pontificum ignominiam iactatis. Cum enim in eam curam atque cogitationem potiſſimùm incumbatis, ut innumeris fraudibus ac calumnijs adhibitis, Romanæ Eccleſiæ nomen in ſummam populi inuidiam adducatis, neque in ueritate inquirenda diligentes, neque in mendacijs peruulgandis atque amplificandis tardi eſtis. Quare nihil miror ſi commilitonum tuorum libri ita mendacijs ſcateant, ut cum leuiſſimis Poetis certare meritiſſimò poſſint. Neque enim ita multò antea in quendam incidi, qui quorundam hominum ineptiſſimorum Auguſtanam confeſſionem profitentium, proteſtationem aduerſus ſacroſanctum & Oecumenicum Tridentinum Concilium continet, qui ex fraude totus atque mendacijs compoſitus de induſtria fuiſſe uidetur, atque adeò tam multa nefanda accidiſſe Tridenti mentitur, ut ad riſum nobis, qui teſtes illic perpetuò adfuimus, mouendum, confictus fuiſſe uideatur. Sed do huic ueſtræ procacitati ueniã. Nam cùm iniquiſſimæ cauſæ diffidere iam incipiatis, illaq; excidere uereamini, nihil mirum ſi omnibus eam fallacijs, & impoſturis fulcire, & ſuſtentare conemini.

Vt uerò ad inſtitutam narrationem reuertamur; Firmato iam atq; communito, à Paulo Tertio Pont. Max. ſanctiſſimo uitæ inſtituto ſocietatis Ieſu, per

omnes se uiri illi officiosissimi Italiæ urbes spargebant, omnesq; neruos in sacramentorum uirtute atq; efficacitate inculcanda contendebant, in quibus iustitiæ, sanctitatis, salutisq; nostræ præsidia Christum collocasse intelligebant. Quantum uerò ea in re profecerint, locupletissimus testis est Bononiensis ciuitas florentissima, quæ eorum persuasionibus inducta, tanto cum ardore ac pietate sanctissima eucharistiæ, & pœnitentiæ sacramenta per id temporis frequentabat, ut plurimi noctu ædium, in quibus illi habitabant, parietes conscenderent, quò illis primo diluculo confitendi peccata locus pateret, neq; aduenientium multitudine retardari, atq; impediri possent. Erat fortè per id temporis Romæ Petrus Mazcarenhas, uir & maiorum nobilitate & maximarum rerum usu & experientia illustrissimus, ab inuictissimo Ioanne Tertio Lusitaniæ Rege ad summum Pontificem orator, qui cùm singularem quandam prudentiam haberet cum egregia pietate & religione coniunctam, religiosissimiq; Regis sui animum uirtutum omnium domicilium, satis notũ haberet, & exploratum, intellexit quàm præclarè & de pijssimo Rege, & de charissima sibi patria mereretur, si ex illis uiris aliquot eius opera atq; industria in Lusitaniam concessissent. Quare acceptis ab optimo Rege literis, pietatis in sanctissimum hoc uitæ genus amorisq; plenissimis, multis cum Paulo Tertio Pontifice Maximo egit, ut ex uiris illis duos in Lusitaniam mitteret: quo tandem impetrato, illò profecti sunt, Franciscus Xauier, & Simon Rodericus Anno 1541. raræ cuiusdam atque spectatæ uirtutis uiri, quam maximis

maximis postea & grauissimis documentis declararunt. Alter in India ultimisq; Orientis regionibus, alter in Italia & Lusitania. Nam cum Ioannes ille Tertius Lusitaniæ Rex Opt.Max. ex India ac cæteris Orientis prouincijs, quæ Lusitano imperio subsunt, cœlestes magis, quàm terrenas opes quæreret, diligentiusq; curaret, diuinum ibi nomen amplificari, quàm summam inde auri copiam transportari, relicto apud se Simone Roderico, qui cùm Lusitanus esset, sanctissimæ Iesu societatis in Lusitania prima fundamenta iacere commodius poterat, curauit, ut Franciscus Xauier in Indiam nauigaret, ut & Christum Iesum barbaris hominibus cum reliquis religiosis uiris, qui illud iam ibi munus præclarè obibant, annuntiaret, & nostros, qui ibidem degunt, in officio, religioneq; contineret. Quàm uerò hæc Francisci nauigatio Ecclesiæ faustè feliciterq; successerit, paulò post aperiemus.

Dvm hæc in Lusitania geruntur, Ignatius, qui omnes cogitationes in Christi gloriam Ecclesiæq; splendorem conferebat, cùm intueretur, quàm esset miserandus religionis status in Germania, quæ paulò antea Lutheri in Apostolicam sedem maleuolentia, ab illa, hoc est, ab ipsa Christi Ecclesia magna ex parte defecerat: atque intelligens, non aliter huic malo mederi, quàm per pios, religiosos, fideles, officiosos, eruditosq; concionatores posse, aliquos huius instituti uiros eodemq; charitatis ardore inflãmatos in Germaniam misit, qui neq; aperto discrimine deterriti, neque rei difficultate retardati, sola uerò spe atque charitate erecti, & animati, officiosissimam

prouin-

prouinciam acceperunt, qua tam præclarè perfuncti sunt, atque tam multos ab errorum tenebris ad claram fidei lucem reuocarunt, ut in magnam omnes salutis Germaniæ spem uenerint, si operarij tantæ messi pares ac conuenientes non deessent. Quod cùm intueretur Reuerendissimus Ioannes Moronius S.R.E. Cardinalis, Episcopus Prænestinus perquàm dignissimus, singularemq; quandam haberet prudentiam cum egregia pietate, religione, integritate, uitæque innocentia coniunctam (cuius ut plurimis alijs in rebus tum maximè nuper in Sacrosancto Cõcilio Tridentino, in quo Apostolicæ fuit sedis Legatus ac Præses in Reuerendissimi Cardinalis Mantuani demortui locum, præclara documenta dedit) atque Germaniæ mores percalleret, ubi Apostolicæ sedis legatione tam feliciter functus erat, ut non minori Ecclesiæ hostes eius singularem prudentiam & integritatem obseruantia, quàm pij & catholici homines pietate, atque amore prosequerentur: cùm inquam intueretur quantum societatis Iesu uiri, qui Apostolico munere in Germania felicissimè perfungebantur, calamitosæ illi prouinciæ utilitatis afferrent, cum Ignatio, quem propter egregiam prudentiam cum admirabili sanctitate coniunctam suspiciebat, communicauit, quanto Christianæ Reipub. usui esse posset, si Romæ amplissimum Collegium construeretur, in quo maxima Germanorum adolescentium multitudo bonis literis instrueretur, & ad fidem pietatemq; institueretur, ut tandem in patriam redeuntes, collapsam atque conculcatam religionem instaurare aliqua ex parte possent. Quæ tamen oratio haud qui-

quidem officiosissimum Ignatij animum imparatum offendit. Nam cùm uerissimo in Germanos Romanæ Ecclesiæ olim decus & ornamentum amore æstuaret, atq; intueretur, ex Italia, Gallia, Hispania, cæterisq; adhuc integris & incorruptis prouincijs doctores illò commodè ire propter Germanicæ linguæ difficultatem non posse, omnes uias persequebatur, ut tantæ huic necessitati succurrere aliqua ratione posset. Quare tanti Antistitis auctoritate & auxilijs animatus, uehementiusq; incitatus, egregium opus aggressus est Anno 1553. Quoniam uerò Germanos hosce adolescentes erudiendi munus, officiosissima Iesu societas, & ad communem Christianæ Reipub. utilitatem nata suscepit, atque maxima cum laude & omnium gratulatione obit, fuit Ignatij opera & prouidentia illorum collegium haud procul à societatis Iesu collegio Romæ constructum, atq; ædificatum. cui Reuerendissimus Moronius usque adeò fauet, ut non minorem ad illud sustentandum & amplificandum, quàm ad instituendum opis adiumentiq; afferat. Quantum uerò hæc res utilitatis Germanis afferat, satis conijci ex Kemnicio potest, qui tantopere ab ea sibi ac suæ factioni timet, ut hac una de causa affirmet, societatem Iesu in Germaniæ Euangelijq; perniciem fuisse potissimùm comparatam. Neque dubito quin diuino beneficio horumq; adolescentium opera & diligentia, Germania præreptam sibi fidei lucem aliquando recuperet, atque patrum corda in filios Deus tandem, imperfectosq; ad scientiam iustorum conuertat. In eo tamen maximè fallitur, ut solet Kemnicius, quòd Germanos hosce adole-

Luc. c. 1.

adolescentes non alia de causa in illud Collegium conuenire affirmat, quàm, ut in societatis Iesu ordinem tandem cooptentur. Nam etsi illos alendi sustinendi, moderandi, instituendiq́; curam, societatis Iesu uiri gerant, non tamen ad eorum uitæ institutum suscipiendum, aut impelluntur, aut ratione aliqua inducuntur. Nam cùm ad hunc laborem suscipiendum solùm salutis Germaniæ desiderio fuerint incitati, nihil habent antiquius, quàm illi quacunque ratióne consulere atque prospicere. Quare, uiri Germani, si aliquem adhuc grati animi sensum retinetis, si humanitatẽ, si antiquam uestrorum morum suauitatem, si in reddendis officiis integritatem, si illam omnium sermone prædicatã comitatẽ lenitatemq́; conseruatis, hi certè uobis debent esse in primis grati, hi quãmaximè chari, qui cùm nullam à uobis gratiam inire, aut sibi à uobis referri cupiant, cùm nulla beneficia ambiãt, honoribus'ue ullis augeri uelint, solis calamitatibus uestris commoti, charitate inducti, amore incitati, omnem operam, industriam, cogitationem in uestram salutem conferunt: & qui sibi ostiatim uictum frequenter quærunt, filiis uestris omnium, quibus natura indiget, abundantiam, & copiam suppeditant, pietate imbuunt, religione informant, eruditione excolunt, ut & illis uos frui maiori cum uoluptate possitis, & ipsi uobis Euangelii clarissimam lucem flagitiosorum quorundam hominum atrocissimo scelere præreptam, aliquando restituant.

NEC uerò in his solùm adolescentibus erudiendis operam nauant, sed tam Romæ, quàm omnibus aliis in locis, ad quæ eos uenire contigit, non modò

sacras literas, sed eas etiam, quæ ad humanitatem spectant, magna cum laude profitentur, ut pietatem simul cum eruditione pueri imbibant. Quocirca hanc inquit Kemnicius uiuendi rationem à Romanis Pontificibus fuisse excogitatam, ut labantem Ecclesiã fulcire aliqua ex parte possent, quod à cæterorum ordinum religiosissimis uiris non posse iam fieri calumniatur. quippe quia *partem* (inquit) *illam regulæ Francisci, quæ sic habet, Nescientes non curent literas discere. omnes solicitè obseruant: quare ordinem* (inquit) *fratrum ignorantiæ factum fuisse uniuersalem.* Quod calumniam esse maleuolētiæ, falsitatisq; plenissimam, uos sanè omnes, Kemnici, non sine maximo animi uestri dolore experimini. Nisi enim tot uiri ex omnibus ordinibus religiosissimi & eruditissimi extitissent, qui nefarijs uestris conatibus obsisterent, petulantiam coercerent, uenenatos impetus comprimerent, assiduoq; diuini uerbi ministerio populum in officio religioneq; continerent, & contra pestiferos uestros ictus munirent, infelicius sanè Christianæ Reipub. commodis consultum foret, uestra autem impietas longius tanquàm uibratus quidam draco serpsisset, atque progrederetur. At cùm illi pro fratribus salutem libentissimè exponant, & ne fidelium animæ falsis pestiferisq; persuasionibus concidant, uestris ictibus uitam sponte obijciant, uires uestræ pluribus in locis fractæ, potentia debilitata, impetus, ueluti æneo quodam muro opposito, propulsati sunt. Quod quanti illis constiterit, testatur locupletissimè Gallia, quæ martyrum sanguine adhuc madere inundareq; uidetur. Cum enim in his ciuilibus bellis, quibus nuper exarsit, à

Dei

Dei Opt.Max.Regiæq; maieſtatis hoſtibus ſacerdotum circiter ſex millia capta fuerint, qui reiecta ſalutis impia cōditione, maluerunt diuerſis cruciatuum generibus affecti interire, quàm debitam Romano Pont. obedientiam abijcere, atque ueram ſanctiſſimi corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam cum Caluino ſceleratè denegare, ex illis tria ferè millia fuerunt omnium ordinum monachi religioſiſſimi, quorum ſanguis ad Deum è terra clamans, non minorem ſanè ſceleribus ueſtris ultionem comminatur, quàm uniuerſæ Galliæ, totiq; Chriſtiano Orbi pacis religioniſque inſtaurationem pollicetur. Quanta uerò eruditione omnes monachorum ordines abundent, teſtantur quidem libri, qui ab illis paſſim eduntur, et quæ ad populum ſumma cùm eloquentia & doctrina conciones habentur. Quòd ſi antiquorum temporum memoriam repetas, facilè uidebis, Theologos ſcriptores magna ex parte ex monaſtico ordine fuiſſe, uſque adeò ut diuinarum rerum ſtudia, illorum uigilantia conſeruata, induſtria aucta, operaque amplificata & illuſtrata fuiſſe uideantur. Neque uideo qua tu fronte ordinem D. Franciſci fratrum, ignorantiæ ordinem uocare audeas, qui innumeris ſemper uiris eruditione præſtantiſſimis abūdauit ac floruit, niſi fortè ueſtras fallacias detegere, impoſturas explicare, impietatum fontes aperire, ſtrenueque refellere, ignorantiæ tu nomine digna exiſtimas. ſed non memineram tam tibi eſſe inuidioſa Alphonſi à Caſtro, Andreæ à Vega, Titelmani, Adami Sasbout, Ioannis Feri, cæterorumque huius ordinis eruditiſſimorum uirorum, qui ma-

ne facetè ludit, illudq; uariè interpretatur. Nam & Iebusitas,&, dempta priori syllaba, Suitas, eos uocat. Nulla tamen ei interpretatio magis arrisit ea, quæ ex Romanorum historijs desumpta est, *Sicut* (inquit) *olim Romanorum Imperatores dicebantur Africani, Germanici, Asiatici, non quòd amici & socij essent illorum populorum, ita dicti sunt Iesuitæ, quasi professi & coniurati hostes Iesu.* Illius scilicet, (ut ego interpretor) qui Islebij (quam uos in Lutheri gratiam, nouam Bethlem appellatis) natus est, illiusq; Euangelij, quo ipse uerum Christi Euangelium sceleratè corrupit & deprauauit. Sed agedum, uitæ eorum instituta cum Christi Euangelio conferamus, ut de illis sententiam ferre æquè & legitimè possimus. Nam si fidem aliquam Christo esse habendam existimas, ueros à falsis prophetis ex operibus esse internoscendos confiteberis. Diuinæ legis summam in charitate positam esse, omnium est Euangelistarum & Apostolorum monimentis consignatum. nouum nanque mandatum suumq; præceptum, idest, legi Euangelicæ quàm maximè peculiare uocauit Christus, sese mutuò diligere, & D. Ioannes, eos dixit plenè & cumulatè legem obseruare, qui diligunt fratres, non quidem lingua & uerbo, sed opere & ueritate; hoc est, qui charitatis Christi æmuli atque imitatores, sese in apertum discrimen pro fratrum salute conijciunt; quemadmodum Christus pro humano genere seipsum truculentissimæ morti deuouit. Paulus uerò hac oratione fideles omnes ad charitatis officia incitat & allectat, Alter alterius onera portate, nam sic adimplebitis legem Christi. Cùm igitur Iesu hæc societas ad charitatis

Islebia Lutheri est patria

Ioan. c. 3.

Epist. 1. c. 2.

Gala. c. 6

ritatis officia uniuerſo humano generi præſtanda, ſit potiſſimùm comparata, nullùmque tam moleſtum ac difficile officium excogitari poſſit, quod ſibi prætermittendum eſſe uiri iſti arbitrentur, non uideo quid tibi in hoc uitæ genere cum Ieſu ſanctiſſimo nomine atque gloria pugnare uideatur. Eſſe uerò in charitatis muneribus uitæ huius rationem potiſſimùm poſitam, ſatis uiri illi ſanctiſſimæ huius ſocietatis primi inſtitutores explicarunt, cùm uitæ atque conſiliorum ſuorum rationem his uerbis Paulo Tertio Pont. Max. expreſſerunt. Quicunque in ſocietate noſtra, quam Ieſu nomine inſigniri cupimus, uult ſub crucis uexillo Deo militare, & ſoli Domino atque Romano Pontifici eius in terris Vicario ſeruire, poſt ſolenne perpetuæ caſtitatis uotum, proponat ſibi in animo, ſe partem eſſe ſocietatis ad hoc potiſſimùm inſtitutæ, ut ad profectum animarum in uita & doctrina Chriſtiana, & ad fidei propagationem, per publicas prædicationes & uerbi Dei miniſterium, ſpiritualia exercitia & charitatis opera, & nominatim per puerorum ac rudium in Chriſtianiſmo inſtitutionem, ac Chriſti fidelium in confeſſionibus audiendis ſpiritualem conſolationem præcipuè intendat, curetq; primò Deum, deinde huius ſui inſtituti rationem, quæ uia quædam eſt ad illum, ſemper ante oculos habere, & finem hunc ſibi à Deo propoſitum totis uiribus aſſequi: unuſquiſque tamen ſecundum gratiam ſibi à Spiritu ſancto ſubminiſtratam, & uocationis ſuæ proprium gradum (ne quis fortè zelo utatur, ſed non ſecundum ſcientiam) proprij cuiuſque gradus iudicium, & officiorum

In bulla prima cōfirmationis.

rum discretio, ac distributio tota sit in manu præpo siti seu prælati per nos eligendi, ut congruus ordo seruetur in omni bene instituta cõmunitate necessarius &c. plurimisq; alijs demonstrant, esse in potissimis sodalitatis huius legibus, ire in mundũ uniuersum, prædicare Euangelium omni creaturæ quotiescunque illorũ quiuis à Romano Pon. aut à supremo ipsorum generaliq; prælato missus fuerit, nulla non modò mercede accepta, sed ne itineris quidem subsidio postulato. quippe qui amplissimum esse uiaticũ ducunt, in illius prouidentia conquiescere, qui uolatilia cœli, quæ non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, abundantissimè pascit. Quæ quàm præclarè ipsi præstare soleant, uobis quidẽ, uiri Germani, locupletissimi sanè testes sunt, Colonia, Moguntia, Treuere, Ingolstadium, Henipontum, Augusta, Monachium, Trinauia, Tellingua, Vienna, Praga plurimæq; aliæ Germaniæ urbes, in quibus istorum hominum Collegia diuina prouidentia cõstructa sunt, qui sceleratis hominibus cum Deo reconciliandis, infirmis in fide suscipiendis, collapsis erigendis, nutantibus confirmãdis, pueris piè atq; religiosè instituendis, atq; omnibus iis officijs, quæ ad humanas mentes cœlesti amore inflãmandas ualent, præstandis, uigilantissimè, atq; sine ulla cupiditatis significatione incumbunt, usq; adeò ut si in iudiciũ uos omnes uocare uellent, rectè sanè uerbis illis uobiscum agere potuissent, quibus olim Samuel in corruptam suam iustitiã atq; æquitatem uniuerso populo Israelitico exprobrauit. Ecce (inquit) præstò sum, loquimini de me coràm Domino. & coràm Christo eius.

Marc. c. 16.


Matth. c. 6.

1. Regum c. 12.

Gallia, Hispania, Lusitania, Hungaria, Bohemia, Brabantia, atque in omnibus ferè terrarum Orbis prouinciis, quæ Romanum Pont. tanquàm Christi Vicarium colunt & obseruant. Et quod in uiris hisce potissimùm admirari soleo, ita excellentissimis istis charitatis officijs addicti sunt, ut nullo patriæ amore tangi, nulla parentum solicitudine commoueri, fratrum charitate affici, amicorum'ue consuetudine cō stricti teneri uideantur: quippe qui incertis semper sedibus uagantur. neque enim ulla ipsis incertior est ea, in qua diutissimè uiuunt. Nam cùm primùm sese diuini honoris amplificandi maior quæuis occasio offerre uidetur, ita facilè solum omnes, sedesq; immutant, acsi nullibi nati essent, aut omnem naturæ sensum exuissent. Nam qui in Lusitania sunt, in Indias; qui in Indijs, in Germaniam; qui in Germania, in Aethiopiam; qui in Aethiopia, in Italiam; qui in Italia, in Africam; qui in Hungaria, in Brasilium, ad mutasq; regiones & sola terrarum ultimarum nihil minus sæpe cogitantes proficiscuntur. Atque queadmodum Helias abire continenter solent quocunque eos fert uoluntas, non ipsorum quidem propria, sed diuina, præpositorum illis imperio significata, quorum uoluntati quantopere sint mancipati, hæc eorum lex apertè indicat; Ne qua (inquit) possit esse inter nos missionum, aut prouinciarum huiuscemodi aut ambitio uel detrectatio, profiteantur singuli, se nunquā directè aut in directè de huiusmodi missionibus quidquam cum Romano Pontifice curaturos, sed omnem hanc curam Deo & ipsi Pontifici tanquàm eius. Vicario & societatis præposito dimissuros.

3. Regū. c. 19.

In institutionis & confirmationis societatis Iesu bulla.



dimissuros. qui quidem præpositus, sicut cæteri, etiam profiteatur, se nihil de suimetipsius missione in alterutram partem, nisi de societatis consilio cum dicto Pontifice esse curaturum. Quare mirum esse minimè debet, si tam præclarè suis muneribus perfunguntur, quæ non ab ipsis quidem conquisita, sed diuino consilio ad eos delata sunt.

QVOD si Indiæ oras mente & cogitatione lustremus, atque quæ ab illis ibi suscipiuntur charitatis officia debitis momentis ponderemus, planè existimabimus, Apostolicum illum spiritum, qui uniuersum Orbem sub fidei iugum olim misit, in obsequium Christi de cœlo decidisse, atque istorum hominum mentes illustrasse & informasse (ut uerò egregios aliorum ordinum uiros, præsertim instituti D. Dominici, atque Francisci, qui in eisdem prouincijs Euangelio amplificando summa cum laude incumbunt, & de Christi Ecclesia perclarè admodum merentur, taceam) uix sanè dici potest, quot hominum millia, diuina in primis uirtute, societatis uerò Iesu opera & industria Idolorũ impietate abiecta fideique lumine illustrati, sacro sunt lauacro expiati, adeò ut non semel Goæ, quæ inter omnes Indiæ ciuitates, quæ Lusitano imperio subsunt, regia est, atque præcipua, tria circiter hominum millia simul baptizati fuerint. Et ut ex eorum ducum, qui in India regis locum ac uicem tenent, literis nuper ad Lusitaniæ Regem potentissimum dominum meum missis constat, intra unum aut duos annos ex barbaris illis hominibus uiginti ferè millia Christi militiæ sese sacramento obligarunt. Quos diligenter sa-

Viginti hominũ millia intra unum aut duos annos nuper baptizati sũt.

lutaribus

lutaribus documentis societatis Iesu uiri imbuunt, atque pietate & religione instituunt. Quid commemorem eos, qui illorum opera & incredibili diligentia quotidie omnem impietatem abijciunt, & sacro lauacro expiantur? in Tana, Cochim, Malacha, Malucho, Amboim, Ormuz, Damam, Coulam, Mannar, ubi octuaginta iam circiter hominum millia in Christi Iesu Euangelijq; dilucidam cognitionem uenerunt. Cùm nullus ferè sit angulus in latissimis illis Orientis regionibus, quem officiosissimi hi uiri præclara Euangelij luce non aliqua ex parte illustrauerint. quibus uerò ac quantis laboribus his in rebus perfungantur, satis intelliget, qui nauigationum discrimina, in perdiscendis barbaris & incultis linguis difficultatem, atque in abducendis agrestibus animis ab ea, in qua nati & educati sunt, perfidia & superstitione negocium secum perpenderit. Inter egregios uerò sanctissimæ huius societatis uiros, qui de Christi Ecclesia perclarè admodum in Orientis regionibus promeriti sunt, fuit Franciscus ille Xauier uaticinandi spiritu (ut ex Lusitanis hominibus, qui cum eo familiariter uixerunt, accepimus) cum primis exornatus, quem omnes Indiæ incolæ ueluti alterum Franciscum Minoritarum parentem habent, & illius corpus (quod integrum huc usque non sine miraculo cõseruatur) religiosissimè colunt & uenerantur: qui cùm crebris aliquorum sermonibus Iapanicæ gentis ingenium, morumq; suauitatem intellexisset, in magnamque spem uenisset fore, ut Iapanici innumerabilibus dijs, quibus maxima cum superstitione sacra facere

 solent,

ſolent, abiectis & repudiatis, ueram Chriſti fidem complecterentur, Chriſtiani que nominis gloriam conſectarentur; illò nauigauit, Chriſtianæq; religionis ibi prima fundamenta iecit, quam alij deinde eiuſdem ſocietatis uiri, nouem iam templis exædificatis, maiorem in modum auxerunt & amplificarunt. quanquàm temporum iniuria, bellorumque, quibus ea prouincia diutiſſimè conflagrauit, tumultus, eorum uotis admodum obſtiterint. Nunc uerò cùm genti illi Dei prouidentia pax reſtituta ſit, ſperamus, ut breui egregia illa atque ampliſſima prouincia, Euangelij luce ſplendeſcat. cùm præſertim ſocietatis Ieſu uiri neque præteritis laboribus atque ærumnis frangi, neque ſacrilegorum ſacerdotum, qui omnes ſuos conatus in eorum perniciem comparare ſolent, perfidia & impietate deterreri unquam potuerint: quinimmo continenter noui doctores illò proficiſcantur, qui miſerorum animos maximarum uirtutum exemplo & admiratione diuiniq; uerbi ui, ab impietate, ad pietatem & ueram religionem traducunt.

INFINITVM quidē eſſet numerando percenſere, quot huius ſodalitatis uiri in hoc docendi Euangelii atque Indicos homines ab impietate auocandi munere, uerberibus cæſi fuerint, quot uinculis obſtricti, quot in carceres miſerè contruſi, quot inedia ferè conſumpti, quot denique ob Chriſti nomen uariis cruciatuum generibus interierint. Vt uerò cæteros taceam, ſilentio ſanè præterire non poſſum Gonçali de Silueira Luſitani, uiri cumprimis nobilis, mihiq; quondam chariſſimi, nunc uerò martyris ſan-

Gonçalli de ſilueira recēs martyrium.

ctissimi mortem, cuius & recẽs memoria in omnium animis adhuc uersatur, & sanguis quasi seruescere atque ebullire uidetur. qui postquàm diligenter in animo pietate uirtutumq; omnium ornamentis excolẽdo magna cum omnium admiratione incubuit, plurimosq; ac maximos labores in Euangelio annunciando suscepisset, ardentissima quadam charitate accensus, sanctoq; Spiritu incitatus, ascito sibi fideli quodam interprete, unà cum septem Lusitanis, qui oras illas sæpius lustrauerant, ex ciuitate Mocambique mercatorum frequentia florentissima, in amplissimum Manamotapiæ regnũ proficiscitur. in magnam nanque spem egregius uir uenerat, posse Imperatorem iuuenem, unà cum matre anu, ad Euangelij lucem adduci. Quanta uerò cum difficultate illuc peruenerit, uerbis sanè explicari uix potest. Nam cùm regio illa plurimis aquis inundet, quàm sæpissimè sacratis uestibus, quibus sacra facere debebat, capiti impositis, maxima flumina nauit, quandoq; uerò ingenti olla inclusus, atque Indorum manibus eductus rapidissimos amnes traiecit, quibus omnibus difficultatibus superatis, Manamotapam ciuitatem amplissimam tandem appulit, anno à Christo nato 1561. ubi à Rege & ipsius matre liberaliter atq; humanissimè exceptus, Christi Euangelium quod Dei uirtutem continet in salutem omni credenti, illis tãta cum dexteritate annunciauit, ut breui ipsi, atque ex primoribus regni quadringenti, omni impietatis significatione abiecta, sacro lauacro fuerint expiati; quorum exemplo tantopere uniuersa plebs fuit prouocata, ut in magnam spem salutis amplissi- *Rom. c. 1*

mæ

mæ illius prouinciæ sanctissimus uir adduceretur. quæ nequaquam eum fefellisset, nisi dæmonis astutia, qui suæ iàm ditioni summopere timebat, impediretur. Nam Maurorum quorundam, qui Christianæ religionis capitales hostes, & Lusitano nomini infestissimi esse solent, animos incitauit, qui iuueni Imperatori diuinarum rerum inscio, humanarumque inexperto persuaserunt, sanctissimum uirum præstigiatorem esse, omnesq; illas ceremonias, quibus in baptismo uti Ecclesia solet, nefarias esse artes, quibus regium ipsius animum à regni curis & administratione auertere, atque ita in Lusitanorum potestatem latissimum Imperium tradere facilè posset. qua oratione ita commotus est iuuenilis animus, ut religionem unà cum sanctissimi uiri amore abiecerit, pristinasq; amicitias in graues inimicitias conuerterit, atque decreuerit, accepta beneficia sacrilega morte remunerare. A' quibus nefarijs conatibus cum abduci nulla unquàm ratione potuerit, en sceleratissimi quatuor satellites multa de nocte sanctissimum uirum, qui Diuino spiritu admonitus, præsentem mortem iam socijs antea exposuerat, atque martyrij palmam summa cum alacritate præstolabatur, inuadunt, & crudelissimè strangulatum in fluuium conijciunt. Cuius sanguis cùm maximis clamoribus à Deo misericordiam genti illi deposcat, atque deprecetur, non dubitamus, quin eam aliquando tandem sit impetraturus. Nam societatis Iesu uiri sanctissima hac & illustrissima martyris fratrisq; eorũ charissimi morte, ita animati sunt, ut nihil ardentius exoptent, quàm aut pari mortis genere oc


cumbere,

cumbere, aut præreptam miseris hominibus Euangelij lucem restituere, fratrisq; semen quoad eius fieri poterit resuscitare. Hæccine, Kemnici, Euangelij Christiq; hostium munera esse existimas? hæc Iebusitarum officia? Nisi fortè Petrum ipsum, Iudæorum apostolum, Paulum gentium, Thomam Indorum, Iacobum Hispanorum, Ioannem Asianorum, cæterosq; Apostolos omnes coniuratos Christi hostes esse ducis, aut certè Euangelij leges ita inuertis, ut prædicare Euangelium omni creaturæ, sese omnibus periculis pro Christi gloria obijcere, pro eius nomine innumeras contumelias pati, pro eo illustrando & amplificando mortem oppetere, atque Ecclesiæ amplitudinem & splendorem omnibus commodis, uoluptatibus, fortunis, uitæq; anteponere, hostium Christi officia esse arbitreris. Sed iam uideo quid tam petulanti oratione significare uolueris, Euangelium scilicet à societatis Iesu uiris corrumpi, fidem peruerti, diuinaq; iura uiolari. Quocirca omnia, quæ in Coloniensi censura, quam ab illis compositam esse ais, reprehensione digna esse censes, perpendamus, ut compertum fiat, non minus eorum doctrinam, quàm uitæ institutum cum Euangelio, Christiq; institutis conuenire.

R. Dn.

DIEGHI PAYVA ANDRADII LVSITANI, ORTHODOXARVM EXPLICATIONVM LIBER SECVNDVS.

De ſacra Scriptura.



QVI miſeram, & infelicem illorum conditionem, qui diuinæ cognitionis lumine orbati, per uaria ſectarum, opinionum, religionumq; mõſtra errant, conſideratè perpẽdunt, facilè intelligunt, quanto illi Dei beneficio deuinćti ſunt, quibus ueritatis præclara lux ita affulſit, ut omnibus ignorationis tenebris expulſis, liberè eius uſura frui poſſint; neque ulla erroris uel minima nebula relinquatur, quæ iucundum illis ueritatis aſpećtum præripiat. Quocirca cùm filii Iſrael infinitis Dei beneficiis eſſent cumulati, hoc unum uelutì omniũ caput Dauid ſæpius prædicauit; atque ſeipſum ad Dei laudes celebrandas, maximorum beneficiorum recordatione incitans, hoc in primis commemorat, cum ait, Notas fecit uias ſuas Moſi, filijs Iſrael uoluntates ſuas. Miſerator & miſericors Dominus, longanimis & multùm miſericors. Siue, ut Hebræa uerba ſonant, ad uindićtam tardus & ſegnis, ad miſerandum uerò ualde propenſus & cõcitatus. Quos enim Deus tantopere dilexit charoſq; habuit, ut illos præ cæteris gentibus in obſcura impietatis nocte

Pſal. 102

nocte

nocte cœlestiumq; rerum ignoratione uersantibus, deligeret, quibus illustrẽ sui cognitionẽ exhiberet; nũquã sanè nouis miserationum generibus cumulare intermittit. est enim hoc unũ ueluti omnium cœlestium beneficiorum fons, atque origo. Quem diuini numinis in suos amorem rursus idem sanctissimus uates prædicauit, Notus (inquit) in Iudæa Deus, in Israel magnum nomen eius; & factus est in pace, siue in Salem, locus eius, & habitatio eius in Syon. *Psal. 75.*
Quæ Prophetæ uerba ego sic interpretor, Cùm per uniuersum terrarum Orbem diuinæ uoluntatis ignoratio simul cùm nefario cultu, & impietate peruaderet, omniumq; animi impia religione inuoluerētur, Deus tamẽ filios Israel elegit, quibus sese indicaret, diuinæq; uoluntatis suæ arcana patefaceret. Quæ Dei certa cognitio ita intra terminos Israelis cõclusa est, ut in eius regionis urbibus, domicilium collocasse uideatur. Quam si diuini numinis, diuinæq; uoluntatis cognitionem quibusdam inuolucris, & quasi uelis tectã, tam studiosè iactat sanctissimus Dauid, quid si perspicua illa omniq; obscuritate uacua frui Israelitica gens potuisset, quæ Christi Iesu beneficio ac opera, Apostolorum uerò ministerio, uniuersum terrarum Orbẽ illustrauit? quo studio animiq; ardore cunctos ad Deum amandum & obseruandum prouocaret? quã alacritate ad diuinas laudes concinendas omnes alliceret, & incitaret? Fuit enim Dei notitia, quam uetus lex suppeditabat, uera quidem omnisq; expers erroris, minimè tamen clara & perspicua, sed quæ tot ac tantis figurarum inuolucris Christi dignitatem occultabat, ut rari admodum fuerint,

&ij non modò literarum cognitione præditi, sed etiam singulari quodam Dei spiritu donati, qui ex illis latebris occultam, & abditam ueritatem eruere potuerint. Quas omnes nebulas paternæ gloriæ splẽdor Christus Iesus fugauit, ignorationis caliginẽ pepulit, abdita reserauit, ueritatemq; dilucidam & perspicuam omnium oculis obiecit. Fuit enim ipsius, dum inter homines degeret, potissimum munus, testimonium perhibere ueritati, quam non modò non

Ioann. c. 18. inuidit nobis, sed eadem docuit, quæ à patre in æternitate acceperat, ut ipse sæpius testatur. Quæ cùm

2. ad Cor. c. 3. multis in locis explicauerit Diuus Paulus, tum maximè in posteriori epistola ad Corinthios, cum ad splendentem Mosis faciem alludit, in quam filij Israel fulgôre obruti, fixis luminibus intueri non poterant. Non sicut Moses (inquit) ponebat uelamen super faciem suam, ut non intenderent filii Israel in faciem eius, quod euacuatur. siue ut græca habent, εἰς τὸ τέλος τοῦ καταργουμένου, idest, in finem illius, quod aboletur. Quibus uerbis existimo, Diuum Paulum aperire allegoriam, qua utebatur, de splendore, quo Mosis facies enitebat. cum enim dixisset, gloriam uultus Mosis nõ tantam fuisse, quæ oculorũ aciem hebetare ui sua potuisset, cùm finem paulò post habitura esset: Nunc iam, inquit, non temerè, sed diuino consilio factum fuisse, ut splendens Mosis facies uelo obduceretur; ut gloria uultus promulgantis legem, filij Israel illecti, diuina iussa in precio haberent; illorum tamen interitũ, ueli tegumento præpediti, cernere nequaquam possent. Quod ipsum magis expli

2. ad Cor. c. 3. cat cum mox addit, Sed obtusi sunt sensus eorum.

usq;

usque in hodiernum enim diem, id ipsum uelamẽ in lectione ueteris testamenti manet non reuelatum, quod in Christo euacuatur: sed usque in hodiernũ diem, cum legitur Moses, uelamen positum est super cor eorum. Quare, te quæso Paule, tanta, obscuritas & obnubilatio, omnium, qui legem studiosè legunt, mentes occupat? Audi iam quantam lucem secum Christus Orbi inuexerit, ut intelligas unde perspicuæ ueritatis tanta ignoratio exoriatur. Cum autẽ, inquit, conuersi fuerint ad Dominum (Iudæos, de quibus sermo est, intellige) auferetur uelamen. Dominus autem, spiritus est: ubi autem spiritus Domini, ibi libertas. Nos uerò gloriam Domini reuelata facie speculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate, in claritatem, tanquam à Domini spiritu. Cum enim Christus Iesus æterni Patris sapiẽtia, hominum mentes è crassis ignorationis tenebris in lucem solus euocare possit; illum prophetarum omnium oracula, legis statæ solennesq; cerimoniæ atque scita potissimùm intueantur, fieri certè non potest, ut claram illi ueritatis lucem aspiciant, qui in diuinarum literarum meditatione ita incumbunt, ut à Christo mentis oculos aliqua ratione auertant. Supersedeo innumeris alijs locis, quibus Paulus idem apertè significat. ad Kemnicij enim calumnias ita properat oratio ut illius cursum cõtinere uix possim.

QVANDIV igitur Dei populus expressam ueritatem intueri minimè poterat, sed soli adumbratæ adhærescebat, neque legis spiritum, sed intermortuam literam complectebatur, atque terrenis quibusdam pollicitationibus in officio continebatur,

tur, tabulis lapideis compræhensam legem habere æquum fuit: quarum intuitu, & labentium rerum recordatione, saxeum illorum pectus emolliretur. Tanta est enim Dei Optimi Maximi in humanarum rerum administratione prouidentia, tantoq; nostræ salutis amore et desiderio tenetur, ut se ad omnium infirmitates blandissimè accommodet. Cum uerò Dei filius humanam naturam induit, doctorisq; hominum munere fungi, humanas mentes terrenis rebus immersas, ad cœlestes euocare; ab inani expectatione ad diuinam & sempiternam erigere; atque diuina mysteria, quæ crassis occultata, & circumfusa tenebris latebant, patefacere uoluit, lapideis tabulis simul cum carnali sensu reiectis, in hominum mentibus intimisq; præcordijs legem exarauit; non calamo aut atramento, sed spiritu suo diuino: id, quod est fœdus illud nouum, quod cum filijs

Ierem.c. 31. Israel ferire pollicetur Deus apud Ieremiam, uetere, quod cum gente Israelitica ex Aegypti ergastulo diuina bonitate educta icerat, antiquato & reiecto: Hoc est inquit pactum, quod feriam cum domo Israel. Post dies illos, dicit Dominus, dabo legem meam in uisceribus eorum, & in corde eorum scribam eam; & ero eis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum. Quibus uerbis cùm Paulus utitur, in

Ad Hebr.c.8. ea, quam ad Hebræos scribit, epistola, disertè admodum & ueterem legem deprimit, & nouam extollit.

CVM igitur Euangelicæ legi propositum & ueluti scopus, in quem omnes Christi actiones atque consilia referuntur, sit, humanā mentem à sensibus,

nefa-

nefarijsq; cupiditatibus abducere, & cum Deo tam arcto charitatis uinculo coniungere, & conglutinare, ut unus atque idem spiritus diuinus humanusq; (quoad eius fieri potest) efficiatur: chartam aliam quærere, præter hominum animos, in qua Euangeliũ ueluti suo digito depingeret, minimè opus fuit. Quare Christus Iesus humani generis Doctor, non quidem spectauit, ut Euangelium literis descriptum, aut in membranis exaratum iacêret, sed ut uerbis explicatum, omni creaturæ promulgaretur. Nam ad patrem iam iam ascensurus, sæpe suos admonuit, ut Euangelium intimis hominum sensibus & præcordijs infigendum curarent. Atque ideò potissimum Euangelij Doctorẽ futurum dixit Spiritum sanctũ, qui omnem ueritatem patefaceret, illamq; humanis animis insculperet. Nulla enim esse potest tanta ingenij uis tanta'ue dicendi facultas, quæ diuini uerbi uim, quam piarum mentium recessus Spiritus sancti opera experiuntur, consequi oratione possit. Sæpe etiam fit, ut permulti in sacrarũ literarum studijs, magnis ac assiduis laboribus defũcti, abdita aliqua Spiritus sancti mysteria consequi nunquam potuerint, quæ in piorum hominum uita graphicè delineata intueri liceat. Nam cùm piæ mentes promptuaria sint diuini uerbi, sãctiq; Spiritus magisterio familiariter utantur, clarius quidem in illorum moribus est Euãgelium expressum, quàm literarum monimentis cõprehensum. Quocirca Diuus Paulus, Corinthios non modò suam, sed & Christi epistolam appellat, à se quidem ministratam & scriptam, non atramento, sed Spiritu Dei uiui: non in tabulis lapideis, sed in

Marc. c.16. Matth. c.28. *Ioann. c. 14. et 16* *2. ad Cor. c.3.*

tabulis

tabulis cordis carnalibus: ex quarum uita diuinæ legis integritatem, solidam & expressam iustitiæ, uirtutumque omnium formam discere omnes potuissent. Quòd si Ecclesiæ annales euoluas, facilè intelliges, barbaras & indomitas gentes, nullo Euangelio scripto, uerbi uerò perquàm exiguo ministerio, Christianarum autem uirtutum admiratione, & quasi miraculo perculsas, idolorum cultum repudiasse, Christiq; Euangelium sponte amplexatas fuisse. Tanta est enim religionis pulchritudo, ut mirabiles sui amores in agrestibus etiam animis excitare soleat. Cuius præclarum extat documentum apud Rufinũ, qui non modò narrat, sed uerissimis etiam testibus confirmat, Iberorum gentem, Christianam religionem suscepisse, uirtutum pietatisque splendore muliercula cuiusdam captiuæ illectam, & excitatam. Quare cùm tanto studio Apostoli, Christi præcepto in Euãgelij prædicatione obsequerẽtur, atq; per uniuersum Orbem dispersi, Christi nomen barbaris hominibus, à Deoque alienatis inueherent, nihil tamẽ operæ & studii posuere, ut illam, quam denunciabãt, nouam fidem, literis cõsignarent, sed cùm uerbo, tum insolitæ uirtutis specie, barbaras gentes docebant: & ut Christus mente potius quàm chartis, ab eis exciperetur, quantum maximè poterant contendebant atque elaborabant. Quòd si nascentis Ecclesiæ primordia memoria repetas, facilè reperies, uiginti annis, aut plus, scripto Euangelio, Ecclesiã caruisse. Sed Orbe propè terrarum ad fidem pietatemque traducto, diuina mysteria ab Ecclesiæ principibus per manus longè latèque propagata fuisse. Cum enim

Rufin. lib. 1. c. 10.

enim ex Hieronymi, Eusebij, Epiphanij, Theophilacti, multorumq; aliorum grauissimis testimonijs con stet, Diuum Matthæum omnium primum, Euangelium literis mandasse: illum tamen non antea quàm Petrus, & Paulus Romæ, Nerone imperante, Christi legem promulgassent, ex Irenæo Eusebius grauis & uerax Ecclesiasticarum rerum cum primis auctor, constanter asserit. Inter annum uerò 18. Tyberii, quo Christus humani generis peccata morte expiauit, & initium imperij Neronis, anni intercessere unus & uiginti, & menses undecim. nisi malueris illorũ sententiæ inhærere, qui Claudij imperio tribuunt menses nouem supra annos tredecim. tunc enim ante Matthæi Euangelium supputabis annos duos & uiginti, & menses septem. Quem non alio consilio scripsisse testatur Eusebius ex Irenæo, nisi ut apud Hebræos, quos primos Apostolus docuerat, ad gentes diuino impulsu profecturus, testatum suum amorẽ relinqueret, atque quos uerbo non poterat, scripto saltem in fide erga Christum, & officio contineret. quare patria ipsorum lingua, hoc est, Hebraicè scripsit. Non tamen sum nescius, Theophilactum arbitrari, Matthæum scripsisse, anno octauo post Christi in cœlos ascensum; Nicephorum uerò anno quintodecimo: at quibus coniecturis ducti, Irenæi, qui temporibus Apostolorum uixit, & Eusebij grauissimis testimoniis refragentur, non satis uideo. Neque mirum est, in hoc falli Theophilactum, sicut & in tempore, quo reliqui Euangelistæ scripserunt: quòd non magno negocio docere possem, nisi longius mihi esset à meo instituto digrediendum.

Eusebius hist. Eccl. lib. 5. c. 8

Euseb. hist. Eccl. lib. 3. c. 23.

Theophilact. i proœmio in Euangel. Matth. ei.

Niceph. lib. 2. c. 45.

AD

AD quod ut reuertamur, tam fuit solenne, nascentis Ecclesiæ temporibus, solo uerbo Euangeliũ tradere, atque uisceribus magis, quàm chartis commendare, ut Diuus Ioannes Euangelista, cùm longo tempore in Asia uersatus esset, atque in instruenda plebe, tantum operæ atque laboris posuisset, ut Euangelium per uniuersam ferè Asiam breui tempore disseminasset: non tamen prius ad scribendum animum admouit, quàm nonagesimum annum attigisset: idq; fecit magis Hebionitarum scelere impulsus, quàm sponte sua: quippe quẽ humilitas (ut D. Epiphanius auctor est) à tanto munere retardabat, quam tamen ardens in Christum amor superauit; cuius diuinitatem ab Hebionitarum impietate uindicare oportebat. Quare si ætatis Ioannis annos ad rationem reuocemus, facilè uidebimus, illum scripsisse Euangelium ante suum obitum anno octauo: post uerò Christi mortem plusquàm sexagesimo. Quæ igitur leuissimorũ, perditissimorũq; quorundã hominum tanta est insolentia, atque impudentia, quæ leges nobis per manus traditas, præ scriptis contemnit? Quæ tanta temeritas, quæ hanc tradendi Euangelium rationem, qua Christi Ecclesia nata & educata est, qua longè lateq; propagata, diuq; conseruata fuit, inanem ac leuem existimat? Qualis per Deum immortalem, & quanta hæc est uesania, quæ leges, quas Ecclesia intimis animi sensibus, uisceribusq; infixas semper retinuit, & conseruauit, à diuinarum legum consortio ablegat, neque in cœtum institutionum Christi admittit? Quæ tamen si contemnendæ sunt, miserrimum illud certè fuit nascen-

Epiphan. contra hæreses. lib. 2. hær. 51 agens contra Alogos.

c A. tis

tis Ecclesiæ sæculum, cui tam inane Euangelium cõtigit: tardi sanè & imperiti admodũ ij Apostoli extiterunt, qui insculpenda hominum mentibus diuina lege, inanem operam posuerunt, literarum uerò monimentis consignanda minimè insudarunt. Quinimmo si istorum hominum sententiam diligentius expendamus, facilè uidebimus, & ipsum etiam Christum Dei filium, patrisq; sapientiam, segnem illos & improuidum facere, qui talem amplificandi, & conseruandi Euangelium, quòd illi tantis laboribus cõstitit, rationem inijt. Quòd si hos nouos Euangelij sui oppugnatores, uerius quàm propugnatores in cõsilium adhibuisset, nihil unquam humanis animis commisisset, sed consilium quidem diuinitatis mutasset, Ieremiæq; uaticinio contempto, omnem industriam, atque laborem ad scribendum comparasset. *Ierem. c.31.* Qui tamen horum hominum consilio destitutus, animum hominis potissimam suæ legis atque consiliorum sedem, præcipuamq; chartam, in qua scriberetur, elegit. Cum uerò fragilitati memoriæ Euangelio scripto succurrendum putauit, ita breue suarum rerum compendium literis tradi uoluit, ut pars maxima, tanquàm magni precij thesaurum, hominum mentibus inclusa, relicta fuerit, ut uel inde constaret, potissimum Christiani hominis officium esse, diuinæ legis diuinorumq; beneficiorum memoriam studiosè conseruare. Quàm uerò multa sint Christianæ religionis instituta, quæ chartis comprehensa non habemus, apertè Diuus Lucas testatur; cum ait *Act.c.1.* Christum post resurrectionem per dies quadraginta apparuisse discipulis, & de regno Dei permulta fuis-

se loquutum: quæ tamen à nemine Euangelistarum scripta extant: nisi fortè tam parui momenti fuisse illa existimes, quæ Christus tanto studio iam iam ad patrem profecturus docuit, ut prætermittenda esse Euangelistæ omnes iudicauerint. Diuus item Paulus accuratè diligenterq; omnia seruari uult, quæ ipse cùm scripto, tùm solo uerbo tradiderat.

2. ad Thessal. c. 2.

NE VERO in inculcandis notis iam, & compertis scripturæ sacræ testimoniis, difficiles & morosi simus, unum Clementem Alexandrinum testem adducam, quem multũ momenti ad propositum confirmandum, habere posse existimo. Qui priori libro stromatωn testatur, se ad scribendum animum adhibuisse, non quidem ostentandi ingenij gratia, sed ad commendationem senectæ, obliuionisq; remedium. Atque quò in ijs (inquit) mihi adumbratio rerum magnificarum, diuinorumq; uerborum, quæ audire merui à uiris sanctis & beatis; quorum ab alio apud Achaiam, ab alio apud Syriã, ab alio in Oriente, & maximè apud Palæstinam institutus sum, ex Hebræorum origine ueniente, ad ultimum autem ipso magisterio usus sum uiri ueritatis & scientiæ meritorum maximè deferẽdi (Papiam intelligit) post quẽ, uelut thesauro in absconditis reperto, aliud quærere ultrà cessaui. & illi quidem diuinæ doctrinæ ueritatẽ mihi, quæ ab ipsis statim primis auctoribus Petro, Iacobo, Ioanne, & Paulo, sanctis Apostolis tradita fuerunt, tanquàm Patres filio commendarunt. Quid autem erat, quòd tanta contentione Clemens à maioribus uiris sanctissimis accepta, literis mandare, atque ab obliuionis iniuria uindicare conaretur, si omnia

Clemens Alexandr. lib. 1. stromat.

aut

aut sacris literis forent compræhensa, aut ad Christianorum animos pietate, fide, & religione informādos, parum momenti habuissent? omitto Ignatium, qui se Christum uidisse testatur; qui apud Eusebiū *Euseb. hist. Eccl. lib. 3. c. 38.* præter diuinum uerbum, traditiones etiam Apostolorum, ut ad perficiendam Christianam religionem ualde necessarias inculcat; utque in omnium mentibus penitus inhæresceerent, cōsulit, & hortatur: quippe quia nouarum hæresum medicinam & antidotum, illas continere arbitrabatur. Quare minimè mirandum est, si sepulcrarum hæresum instauratores, illas tam acerbo odio, tanquàm rationum atque consiliorum suorum perniciem, insectentur, ablegareque ipsas quàm maximè possunt, contendant. Neque prætermittam Irenæum, qui accepit à magno Polycarpo *Euseb. hist. Eccl. lib. 5. c. 20.* disciplinam, Florini impietatem apud Eusebium solò Ecclesiæ communi consensu refellentem, prǽconceptamq; fidelium sententiam tanquàm firmissimū argumentum obiicientem, atque paulò inferius multa se à Polycarpo Ioannis Apostoli auditore accepisse asserentem de Christi tum rebus gestis, tum etiam doctrina; quæ non chartis, sed mente se retinuisse ait. Quòd si uiris ijs, qui aut Christum Apostolosq; audierunt, aut Apostolorum temporibus fuerunt proximi, fides est adhibenda; dubitare certè nemo poterit, non omnia à Christo primoribusq; Ecclesiæ tradita, sacris esse literis consignata, sed multa per manus ad posteros permanasse. Hæc, quæ à me paucis demonstrata sunt, splendidè uerò & illuminatè, summaq; cum pietate in Coloniensi censura à uiris societatis Iesu cōtra Monhemium, qui præ unica scri

ptura cætera omnia contemnenda esse putat explicata: Kemnicius non modò redarguit, sed diuini uerbi illos proculcatores uocat, omnesq; perfidiæ suæ participes ad nefarii sceleris, summæque impietatis & quasi communis exitii animaduersionem conuocat; putatq; Iesuuitarum (ut Kemnicii uerbo utar) nomen impudenter illos usurpasse, qui summis conatibus Euangelii Iesu Christi sacræq; scripturæ auctoritatem deprimere, demoliri, & labefactare nituntur. Cuius hæc sunt uerba, post multa non tã ridiculè (ut ipse putat) quàm per summam impudentiam dicta.

1. Kemnicij axioma. *Avdi igitur nuper creatæ factionis Pontificiæ axiomata de sacra scriptura. quorum hoc est primum, Scriptura sacra, est doctrina mutila, manca & imperfecta, quæ non continet omnia, quæ ad fidẽ moresq; piè uiuendi pertinent; sed ille defectus sarciendus est, assumento traditionum, quarum certitudo & ueritas, usqueadeò ex nullo authentico scripto potest probari, ut ab ipsis Pontificijs ideò appellentur tacitæ. Huius axiomatis sententia extat fol. 230. in scripto Coloniensium.*

Agnoscis, opinor, Kemnici uerba: neque enim alijs quàm tuis uti constituimus, ne pari tecũ iniquitate inuolueremur, ne'ue tuæ perfidiæ nos insimulare potuisses. Nam si Christianæ modestiæ particulam aliquam animo retinuisses, nunquam profectò societatis Iesu nomine, tã indecora, turpia, & contumeliosa uerba, & quæ à singulari moderatione, probitate, & eruditione optimorum uirorum plurimùm absunt, iactare in sacram Scripturam potuisses: cùm præsertim principio recepisses, uerba te ipsorũ, signatis in censura Coloniensi folijs, descripturũ. *Vt scilicet linguam & mentem Iesuitarum lector quasi in tabula spectare posset.*

Vbi

VBI uerò in istorum hominū scriptis offendisti, scripturam sacram esse mancā, mutilam & imperfectam, quam ipsi uerbis egregiè commendant, moribus mirabiliter exprimunt & effingunt; mente uerò colunt & obseruant? Quæ uerò esse potest maior impudentia, quàm uelle, numeratis folijs, cunctis imponere, quæ te folia magni mendacij apertè conuincant? Sed tot sunt alia in tuis scriptis uituperio & contumelia digna, ut hoc unum tibi libenter condonem. fecisti enim id callidè & ueteratoriè. Cum enim, uel tua conscientia teste, quàm turpem causam tuearis, intelligeres, non tibi posse constare laboris tui rationem putasti, nisi ementitis atrocibus & inuidiosis uerbis, plebē in illos concitares, quos ueritate satis tutos esse atque munitos intuebaris. Sed iam te præsentio dicentem, perparum aut nihil à te peccatum fuisse cùm sententiam eandem mutatis uerbis expresseris; quod quàm sit fucatum & fallax etsi disputationis progresio satis monstrabit(neque enim solum uerba, sed sententiam ipsam Deo hominibusq;, ut aiunt, inuitis scelerate inuertisti, atq; corrupisti) sed esto sensum retinueris; quis, quæso, esse potest in sanctorum Patrum lectione tantum uersatus, quantum præteferre studes, qui non intelligat, quanti referat, quibus uerbis, quaue moderatione diuinæ res tractentur? Sed quid sanctos Patres commemoro? tuam conscientiam testem cito, quàm latēre nullo modo poterit quo consilio tam inuidiosis uerbis sacram scripturam incesseris. Neque enim unquam fidem, quam principio dedisti, fefellisses, nisi hanc uerborum mutationem, ad causam

ſam tuam confirmandam, illorum uerò infirmandam, plurimùm ualere arbitrarere. Sed illa, quæ ar guis, & enumeratis folijs citas uerba, patienter auſculta, ut horum hominum modeſtia, tua uerò procacitas teſtata omnibus relinquatur.

De ſanctorum inuocatione ſermo erat, quos nullo modo inuocandos eſſe Monhemius cōtendebat, quia nullo id conſtare ſcripturæ teſtimonio dicebat; cui Colonienſes Patres ſic reſpondent. Quorſum hoc (inquiunt) ingenue lector tendit argumentum, niſi ut nihil planè ſit recipiendum, aut credendum, niſi quod ſcriptura apertè docet. Non igitur celebranda erit dies Dominica, quam ſcriptura non docet? non credendum erit, ſymbolum eſſe Apoſtolorum, quia nuſquàm ſcriptura hoc docet, ab Apoſtolis compoſitum eſſe? Cum igitur hæc hæreſis inter alias peſtilentiſſima ſit, operæpretium, immo neceſſarium fore putamus, eam ſolidiſſimis ſanctæ ſcripturæ, atq; ſanctæ Eccleſiæ conuellere teſtimoniis, ac Apoſtolicas maiorumq; noſtrorum traditiones diligenter conferre: quas tanti D. Paulus fieri uoluiſſe comprobatur, ut non minoris eas, quàm epiſtolas ſuas faciendas eſſe cenſuerit. Idque cùm multis ſcripturæ ſacræ teſtimonijs probaſſent Colonienſes, addunt, An non tibi uidetur, Monhemi, ſi conſcientiam tuam & ſanctam ſcripturam conſulas, plura docuiſſe & feciſſe Chriſtum, & Apoſtolos ſimiliter, quàm chartis commendata habeamus? ut nobis tacentibus, tonat filius tonitrui Ioannes Euangeliſta inquiens, Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, quæ non ſunt

Ioannes c. 20.

ſcripta

ſcripta in libro hoc. Et infrà, Sunt & alia, quæ fe- *Ioā.c.21*
cit Ieſus &c. Quoties uerò apud eundem pollicetur Chriſtus Apoſtolis Spiritum ſanctum, qui docturus ſit eos omnia, quæ, Chriſto adhuc ſuperſtite, aut capere non poterant, aut ſcire non expediebat? Multa igitur fecit Ieſus, quæ non ſunt ſcripta, multa etiam proculdubio docuit, quæ Euangeliſtæ ſcripto complexi non ſunt: idque ipſum ſanctorum Patrum communi conſenſu probare pergunt.

QVID, quæſo, Kemnici hìc eſt, quod de dignitate ſacræ ſcripturæ quicquã detrahat? quid his uerbis poteſt eſſe modeſtius? quid temperatius? illis uerò in horum locum à te ueteratoriè, ſub ipſorum nomine poſitis, & ementitis, quid immodeſtius, procacius, petulantius? Sed iam uideamus quibus machinis ueritatem tam egregiè à Colonienſibus conſtitutam, & firmatam, labefactari poſſe ſperat. Ex multis ſacrarum literarum firmiſſimis teſtimonijs, quibus traditionum auctoritatem Colonienſes confirmarunt, ſola Ioannis uerba elegit Kemnicius, quibus reſponderet: quia Auguſtini & Cyrilli auctoritate, illorum ſe poſſe lucem obſcurare, eſt arbitratus. Ex quorum ſententia fatetur, multa Chriſtum feciſſe, quæ ſcripta non ſunt; electa fuiſſe tamen, quæ ſcriberentur, quæ ſcilicet ſaluti credentium ſufficere uidebantur. Quæ uerba ſi de Kemnicij ſententia intelligantur, perſpicuam ſanè præ ſe ferunt coniecturã, ea, quæ ſcripta non ſunt, minimè fuiſſe aut ad mores informandos, aut ad fidem neceſſaria: quæ ſi uera ſunt, & quæ animorum ſaluti Eccleſiæq; ædificandæ, cui Chriſtus inſudabat, neceſſaria erant, tam

paruo

paruo poterant uolumine compræhendi, inanem certè laborem, & ociosam operam in cæteris omnibus Christus posuit; quæ nihil erant futuris sæculis profutura. Quæ & absurda, & à mente Augustini ualdè aliena sunt; quam ut teneamus, rem paulò altius repetamus oportet. Cùm miris modis D. Augustinus, stupendam Lazari resurrectionem efferre conaretur, ait, miraculum illud Christianis hominibus, non tā admirationis quàm lætitiæ causā esse debere, cùm Deū fuisse operis auctorem intuentur. Cuius opera omnia ita sibi mutuò sunt similia, & maximè gemina, ut unum alteri fidem faciat. Quis enim (inquit) dubitare poterit, Deum illum, putidum ac quatriduanum cadauer ad uitam reuocasse, qui omnia, quæ uniuersitatis ambitu continentur, creauit? Mox illa uerba adiungit, quibus Kemnicius suam tuetur sententiam, Nam cùm multa, inquit, fecisset Dominus Iesus, non omnia scripta sunt. Sicut idem sanctus Euāgelista testatur; multa Dominum Christum fecisse, & dixisse, quæ scripta non sunt, electa sunt autem, quæ scriberentur: quæ saluti credentium sufficere uisa sunt. Qui uerò putat, Augustinum his uerbis docere, omnia fidei nostræ sacramenta, Euangelistas paruo uolumine fuisse complexos, satis prodit se neq; in doctrina Augustini uersatum fuisse, neq; horum uerborum connexionem considerasse. quæ hanc esse Augustini mentem, facilè declarat. Cùm omnia Christi opera stupenda sint, institutioq; uiri Christiani à cōmuni hominum sensu, uiuendiq; ratione ualde sit aliena, non temere quidem & sine delectu Euangelistæ, ex tanta diuinarum rerum congerie pauca

Augusti. tractat. in Ioann. 49.

ric pauca

rie pauca illa, quæ scripta sunt, ad scribendum delegerunt, sed admirabile Spiritus sancti, qui Ecclesiæ est institutor atque moderator, consilio & prouidentia factum est, ut sanctissimi illi uiri ea literis consignarent, quæ ad constituendam fidem aliarum rerum omnium, quæ literis compræhensæ non sunt, satis sufficere poterant. Quam sententiam mox idem Augustinus magis aperit: nam in mortuis, de quibus erat sermo, persistens, ait, Audistis quia Dominus Iesus mortuũ suscitauit. sufficit tibi ut scias, quia si uoluisset, omnes mortuos suscitaret: & hoc quidẽ sibi ad finem sæculi reseruauit. Et paulò inferius, sed oportebat, ut modò aliqua faceret, quibus datis, ueluti suæ uirtutis indicijs, credamus in eum. Sed cùm Kemnitio eiusq; similibus ganeonibus, moris sit, mutilis & decurtatis sanctorum testimoniis agere, nihil mirum, si imperitam multitudinẽ, quæ illis plus æquo fidit, facilè possint circumuenire.

Divvs uerò Cyrillus nihil à D. Augustino diuersum docet, quod satis hæc ipsius uerba indicant, Non igitur omnia, quæ Dominus fecit, conscripta sunt, sed quæ scribentes, tam ad mores quàm ad dogmata putarunt sufficere, ut rectà fide & operibus ac uirtute rutilantes, ad regnum cœlorum perueniamus. Quibus quidem uerbis non asserit, fidei omnia sacramenta sacris esse literis explicata; sed ea, quæ ad omnia diuina mysteria credenda sufficere possunt, Ioannis Euangelio contineri. Nam qui orationis Cyrilli seriem, & quasi consequentiam consideret, negare non poterit, Cyrillum non de uniuersa scriptura sacra hæc, sed de solo Euangelio Ioannis, *Cyrill. li. 12. in Ioann. c. ulti.*

quod explicabat, dixisse. Quod ex iis, quæ paulò superius dixerat, satis erit exploratum. similem enim sententiam ex Ioannis persona, his uerbis profert, Magna (inquit) multitudo signorum Domini, & immensus numerus est: sed hæc, quæ retulimus, sufficiunt ad plenissimam fidem attentè legentibus faciendam. Quòd si Diuus Ioannes omnia ad fidem & iustitiam necessaria complexus est; nihil certè aliud aut facere aut credere oportebit, quàm quæ à Ioanne scripta sunt. Neque igitur impius ille erit, qui Christum in stabulo natum dubitet; qui à Magis adoratum, qui infantes occisos, qui circuncisum Christum, qui in eremo ieiunasse, qui deniq; reliqua omnia, quæ à Ioanne omissa, à reliquis uerò Euangelistis scripta sunt, neget? Quòd cùm impium sit cogitare, liquidò sanè constat; nihil aliud Cyrillum significare uoluisse, quàm quædam in Ioannis Euangelio Christianorum dogmatum fundamenta posita esse, ex quibus facilè uniuersum fidei opus consurgere poterit. Quod & Ioannes apertè innuit cum ait, Hæc autē scripta sunt, ut credatis quia Iesus est Christus filius Dei; & credentes uitam habeatis, in nomine eius. Cùm enim Christianæ fidei quasi status sit, credere Iesum Christum filium Dei, uerumq; hominem, ut Christus ipse cum Patre loquens testatur; Hæc est (inquit) uita æterna, ut cognoscant te uerum Deum, & quem misisti Iesum Christum. qui hoc satis firmè habet animo conceptum, reliqua etiam omnia, quæ ex hac ueluti radice oriūtur, facilè adducetur ut credat. Quod ex eodem etiam Cyrillo discere quiuis facilè poterit.

Ioann. c. 20.

Ioann. c. 17.

Cyril. in Ioann. li. 12. c. 61.

QVOD

QVOD uerò ad Christianam disciplinam attinet, quam etiam Cyrillus commemorauit; Ioannis Euangelium compendiariam esse quandam Christiani hominis institutionem, satis intelliget, qui inflammatam ergaDeum & proximos charitatem, summam esse legis Euangelicæ cum Paulo confitetur: quæ ita exactè D. Ioannes scriptis complexus est, ut nullum illius uerbum sit, quod ardentes diuini amoris flammas non spirare uideatur. Reliqua uerò, quæ sacræ literæ docent, cum ad hanc unicam charitatē referantur, sunt effrenati animi moderationes, languentisq; incitationes. Quod D. Augustinus apertè docet, cùm agens de doctrina Christiana, demonstrat, nullo modo illum, in scripturæ sacræ sensu errare, qui ex quibusuis uerbis sententiam elicit, quibus animus flagrante charitate incenditur. Ita enim ait, Qui igitur scripturas diuinas, uel quamlibet earum partem intellexisse sibi uidetur, ita ut eo intellectu non ædificet, istam geminam charitatem Dei & proximi nondum intellexit. Quisquis uerò talem inde sententiam duxerit, ut huic ædificandæ charitati sit utilis, neque tamen hoc duxerit, quod ille, quem legit eo loco sensisse probatur, non perniciosè fallitur, nec omnino mentitur. & paucis de mendacio interiectis, ita concludit, Sed tamen ut dicere cœperam, si ea sententia fallitur, quæ ædificat charitatem, quæ finis præcepti est, ita fallitur, ac si quisque errore deserens uiam, eò tamen per agrum pergat, quò etiam uia illa perducit. &c. Cùm igitur ea sint sacris literis consignata, quæ ad omnia fidei sacramenta uiam facilè muniunt, atque ad Deum

Quomodo omnia, quæ ad Christianam fidē atque disciplinam sunt necessaria, sacris literis comprahensa sint.

August. lib. 1. de doctrina Christ. c. 36.

totis uiribus diligendum, non modò hortantur, sed incitant & impellunt, præclarè admodum sancti Patres, omnia ad dogmata & disciplinam Christianam necessaria, illis esse compræhensa dixerunt.

SED fac, Kemnici, eam esse mentem & sensum Augustini, & Cyrilli, quem tu fingis; an communem Ecclesiæ consensum, traditionum auctoritatē, Patrum constantem, eandemq; sententiam euerti, labefactari, opprimi ab illis arbitraris? An non magis firmari & stabiliri? O puerilem stultitiam, ò delirationem incredibilem. non te pudet sanctorum Patrum testimoniis uti, ad communem omnium sensum euertendum? Si Patrum omnium constans fides, nihili facienda est, quid nobis Augustini & Cyrilli sententias obijcis? Si te illorum auctoritate satis munitum ac tutum arbitraris; si ijs tantū tribuis, quantum illorum eruditioni, & sanctitati debetur, quæ tua dementia est, ut omnes contemnendos ducas? Si tibi constas, parum te horum auctoritas mouebit: sin minus, non est quòd digladiemur: omnes unà sanctorum Patrum fidem, doctrinamque, simul cum sacra scriptura suspicimus, obseruamus, amplectimur: nisi ita fidem pietatemq; prodidisti, ut nihil ab illis aliud, quàm ipsorummet contemptum mutuari uelis. Sed iam tibi demus quod tu Augustinū Cyrillumq; sentire arbitraris, omnia scilicet ad fidem & mores necessaria, sacris esse literis compræhēsa. Quid tum postea, Kemnici? quid inde consequitur? nullus ne iam relinquitur traditionibus locus? ô egregium Dialecticum. sed non meminit, traditiones ex sacris literis multum firmamenti, uiriumque habere,

habere, illasq; ut ueneremur, ex eadem nos scriptura sacra accepisse. Cùm igitur traditionum auctoritas, scripturæ sacræ testimoniis satis firmata sit; quomodo illos arbitraris harum uim deprimere, qui omnia ad fidem necessaria sacris literis compræhensa esse dicunt? Quinimmo, quia diuinis etiam oraculis accepimus, cùm multa ad nos per manus dimanasse, quæ scripta non sunt; tum constantem totius Ecclesiæ sententiam, Euangelij instar accipiendam atque amplectendam esse, pariq; pietatis affectu (ut sacrosanctum Tridentinum concilium loquitur) ac reuerentia suscipiendam atque uenerandã esse, Ecclesiæque iudicium, fidei esse regulam exactissimam: uerè sanè atque scitè admodum à sanctis istis Patribus dictum est, omnia ad fidem necessaria, scripta esse. eorum enim, quæ scripta non sunt, firmitudo, scriptis satis est oraculis confirmata. *Conc. Triden. sub Pau. III. Sess. 4. c. 1.*

IAM uerò si fidei nostræ arcana, memoria repetas, multa reperies, (Diuo etiam August. teste) quæ sacris literis apertè explicata haudquaquã sunt: sed eorum aperta & certissima ueritas cùm Ecclesiæ communi consensu constet, sacræ scripturæ auctoritate satis munita esse, hoc solo nomine uidetur. Cum enim contra Cresconium de sententia Cypriani agit, qui ab Hæreticis baptizatos, rebaptizandos duxit; ita scribit, Proinde quanuis huius rei certè de scripturis canonicis non proferatur exemplum, earundem tamen scripturarum etiam hac in re nobis tenetur ueritas: cùm hoc facimus, quod uniuersæ iam placuit Ecclesiæ, quam ipsarum scripturarum commendat auctoritas; ut quoniam sancta scriptura fallere *August. cõtra Cresconium. l. 1. c. 33.*

lere non poteſt, quiſquis falli metuit huius obſcuri tate quæſtionis, eandem Eccleſiam de illa conſulat, quam ſine ulla ambiguitate ſancta ſcriptura demon ſtrat. Idem Auguſtinus Euodio ſcribens, his uerbis probat, Chriſtum eduxiſſe Adamum cum cæteris Patriarchis ex Inferno, Et de illo quidem primo ho mine patre generis humani, quòd eum ibidem ſol- uerit, Eccleſia ferè tota conſentit: quod eam nõ in- aniter crediddiſſe, credendum eſt, undecunque hoc traditũ ſit, etiamſi canonicarum ſcripturarum hinc expreſſa non proferatur auctoritas. Sed iam præſen tio, te apud tuos de uera Eccleſia obganniẽté, atq; eam apud uos eſſe, obmurmurantem (ut ueſtri mo- ris eſt omnia immiſcêre, ne unquam ueritas patêre poſſit) nihil tamen moror Kemnici, finge quam tu uoles ueram Eccleſiam, ſiue in Geneuenſi ganea il- lam, ſiue apud Thurcas (ſi mauis) colloca; illi tamẽ, quæcunque ſit uera Eccleſia, credendum eſt, etiam in ijs, quæ in ſacris literis non ſatis aperta ſunt, il- liusq; iudicium apud probos piosq; uiros diuini ora culi inſtar, firmum, ac conſtans eſſe debet. neque e- nim omnia (ſi Auguſtino credis) ita ſunt ſacris lite- ris explicata, ut fides non egeat Eccleſiæ patrocinio atque auctoritate.

Auguſt. Euodio, epiſt. 99.

QVOD ut clarius cognoſcas, memoria quæſo repete ea fidei noſtræ capita, quæ hodiè extra om- nem ſunt controuerſiam, unaq; omnes confitemur. Multa nanque reperies, quæ nõ ita apertis ſacrarum literarum teſtimonijs demonſtrari poſſunt, quin e- geant Eccleſiæ traditionumq; ſubſidio, & auctorita te, quam ſi tollas, nutare iam & uacillare uidebun- tur.

tur. Quo, quæso, scripturæ loco apertè demonstrabis, Deiparam Mariam post partum, Virginem perpetuò durasse? Quòd si Hieronymum perlegas, magis quidem ex Patrum, quàm scripturæ sententijs, constare disces. Si Ecclesiæ communem sensum, Patrumq; doctrinam de medio tollas, qui diuina mysteria in uerbi, siue λόγου uoce abdita enodarunt, unde constare poterit, Patrem tum Filium generare, cùm seipsum intelligit? Aut Spiritum sanctum produci, cùm sese mutuò Pater Filiusq; amant? unionem diuini Verbi non in natura factam esse, sed in persona, si concilium Calcedonense euoluas, non modò scripturæ sacræ testimonijs, sed sanctorum etiam Patrum traditione, qui ibi conuenerunt, Patres firmasse, facilè disces. ita enim magnus Cyrillus scribit, Sic sanctos Patres sensisse comperimus; sic ausi sunt Dei genitricem sanctam Virginem dicere. Lege lepidam & uerè catholicam disputatiunculam inter Theophilum Mamamq; presbyteros, & Eutichetem, & cernes hunc nihil aliud obfirmato animo unquam dixisse, quàm duas Christi naturas nullibi in scripturis reperiri: illos uerò communi Patrum sententia impium dogma refellisse. In quo celeberrimo concilio tanti fecerunt Patres Ecclesiæ communem consensum, ac ueterum doctorum sententias, ut Dioscorus Alexandriæ Episcopus impij Eutichetis fautor & comes, cum uideret suam ad nudam scripturam prouocationem nihili à Concilio fieri, Athanasij, Gregorij, Cyrilliq; Hierosolymitani sententijs falsò adductis, ut hæreticorum moris est, suam impietatem tutari conatus

Hiero. cõtra Heluidium.

Cyrill. ad Nestorium.

Concil. Calcedon. action. 1.

tus fuerit,profundisq; clamoribus dictitare cœperit, magnam se sustinere iniuriam,qui cum Patribus eijceretur. atque Patrum sententias se defendere, neq; ab illis aliqua ratione discedere,clamaret. Quia tamen hæc oratio mēdacij erat atque peruersæ calliditatis plenissima,simul cum Eutichete damnatus est. Quòd si in ea adhuc opinione perstas, ut in scripturis sacris omnia ad salutem necessaria satis esse explicata arbitreris,quid uos sabbato relicto,die Dominico festum agitis, quod sola traditione nos accepisse, etiam ignari nouerunt? Sed reprimo me.uereor enim ne si pluribus urgeā, Kemnicius(ut huiusmodi homines sunt ad fidem deserendam procliues) cùm pro scripturæ dignitate pugnare se arbitrabitur, ex Lutherano, Arrianus, Apollinarius, Nestorianus, Heluidianus,Iudæus'ue euadat: malitq; se omnium impietatibus inquinare, quàm semel procaciter susceptam opinionem deponere & abijcere. Sed non prætermittam magni illius Basilii hac de re uerba, quæ uel sola poterunt Kemnicij petulantem audaciam compescere,Dogmata,inquit,quæ in Ecclesia seruantur ac prædicantur, partim ex conscripta doctrina habemus,partim ex Apostolorum traditione ad nos delata,in mysterio recepimus. Quæ utraque eandem ad pietatem uim habent,& nemo his contradicit,qui uel modicam saltem Ecclesiasticorū iurium experientiam habet.Si enim aggrederemur, non scripto proditas consuetudines, uelut non magnam uim habentes reijcere, imprudentes etiam ipsis principalibus Euangelij partibus damnnm inferremus,immo potius ipsā Euangelij prædicationem, ad nu-

Bas. lib. de Spiritu sancto c. 27.

ad nudum nomen contraheremus; uelut (uerbi gratia) ut eius, quod primum & cõmunissimum est, primam mentionem faciam, figura signare eos, qui in nomine Domini nostri Iesu Christi spem habẽt, quis scripto docuit? Ad Orientem conuersos esse nos, dum oramus, quæ scriptura nos docuit? Inuocationis uerba, dum ostenditur Eucharistia, & poculũ benedictionis, quis sanctorũ scripto nobis reliquit? non enim his contenti sumus, quorum Apostolus, aut Euangelium mentionem fecit; sed & ante, & post, alia quædam dicimus, uelut magnum robur ad mysteria habentia, ex doctrina scripto non prodita assumpta. Benedicimus aquam baptismatis, & oleũ unctionis, insuperque ipsum, qui baptizatur, ex quibus scriptis? non'ne à tacita & arcana eruditione? Ipsam uerò olei illitionem, quæ doctrina scripta docuit? At ter immergi hominẽ, unde est? reliqua itẽ quæ circa baptismum fiunt, & renunciare Satanæ, & Angelis eius, ex qua sunt scriptura? non'ne ex hac non publicata, & arcana doctrina, quam in minimè curioso ac sollicito silẽtio Patres nostri cõseruarunt? Rectè illi, utpote dictorum mysteriorum reuerentiam ac auctoritatem silentio custodiri. Hæc Basilius

SED age nunc Kẽnici uideamus, quis magis auctoritati & integritati sacræ scripturæ consulat, tu'ne, qui præ illa una, omnes traditiones contemnis, an societas Iesu, quam tu tibi aduersariam spontè constituisti, quæ sacræ scripturæ traditiones Patrum ut indiuiduos comites annectendas esse ducit? Tu qui sacram scripturam omnia complecti ad salutem necessaria arbitraris, numeras'ne in necessariis cre-

dere,hanc,quæ omnium manibus circunfertur, esse illā sacrā scripturā,quæ à Spiritu sancto inspirata, ab Apostolicis uiris est exarata? in quo si hæres, quî fieri potest, ut uel minimam fidem scripturæ habeas, aut quicquam certi tibi in fide esse possit? Si uerò nō modò summè necessarium (ut æquum est) sed fidei id esse quasi basim, & fundamentum iudicas, unde id, quæso,habes? unde accepisti? ad tantam scripturæ auctoritatem confirmandam,cuius uteris testimonio? Quòd si librorum fronti nimium fidis, in quibus scriptum est, Euangelium Iesu Christi secundū Matthæum, aut Ioannem. & Paulus Apostolus Iesu Christi.integra quidem adhuc manet quæstio,& minimè expedita. quî enim scis aut Paulum unquam fuisse,qui ista scripserit,aut si fuit quidem, illa, quæ ipse scripsit,temporis iniuria non periisse, quæ nunc uerò extant,ab alio non fuisse conficta, qui res simul cum nomine finxerit? Si in has salebras tua incidat fides, quò te uertes? quid capies consilij? aut quomodo te iis angustijs liberabis? Antiquitatis testimonio nihil tribuis, Patrum auctoritatem nihilipendis, Ecclesiæ approbationem,fidem, maiestatemq; labefactas. De firmitudine uerò ipsius scripturæ, cui soli fidis,agitur: An non uides,quòd scripturam sacrā traditionum testimonijs, Ecclesiæq; auctoritate priuare, est ipsam sacram scripturam quòad eius fieri potest euertere, firmissima illius propugnacula deijcere,fidemque uniuersam in apertum discrimen cōijcere? Qui uerò diuinæ scripturæ traditiones anne ctunt, quàm facilè ijs angustiis liberentur, & quàm maximis illam præsidijs muniant,attende. Quæren

ti

ti enim, an Christus sit Dei filius, qui hominum scelera suo sanguine expiauit; Respondent; id ex diuinis scripturis esse satis compertum. Sciscitanti rursus, unde habeant, scripturam illam, cui tantopere fidunt, diuinam esse; Ecclesiam Catholicã & Apostolicam, quæ Romanorum Pontificum perpetua successione ab Apostolis dimanauit, id docere respondent. Si quis uerò de illa Ecclesia ultrà dubitare pergat, illi omnium ætatum consensu, antiquitatis testimonio, atque nobis per manus tradita certa & cõstanti persuasione, occurrunt, ultra quam progredi nemo potest: estque in fide axioma, quod probatione non eget, sed fidei beneficio ac Spiritus sãncti impulssu credimus, uera esse illa, quæ omnium optimorum, doctissimorum sanctissimorumq; uirórum, qui cunctis retro sæculis floruerunt, sunt consensione approbata: de quibus qui dubitat, indiget sensu, aut flagro, ut Aristotelis uerbis utar. Id quod apertè docet D. Ioann. Chrysostom. cum explicat illa Pauli uerba, Tenete traditiones, quas didicistis siue per sermonem, siue per epistolam. Hinc patet, inquit, quòd non omnia per Epistolam tradiderunt, sed multa etiam sine literis. eadem uerò fide digna sunt tàm ista quàm illa. itaque traditionem quoque Ecclesiæ, fide dignã putamus. Traditio est, nihil quæras amplius. Quocirca neque de traditionum ueritate dubitare fas est, neque quicquã reliquũ sit, quo illa, quæ per manus accepimus, probari aut possint, aut debeãt. *Chrysost. 2 Epist. 2. ad Thessal. c. 2. Hom. 4.*

DVO nanque sunt principia, quibus & humanus animus ad credendum, quæ hominum captum excedunt, inducitur, & fides semel concepta fulci- *Duo fidei prĩcipia.*

tur, & ſuſtentatur. Alterum internum, externum alterum. Internum eſt Spiritus ſancti impulſio, quæ mentem mouet ad credēdum diuina myſteria, quæ humana uis ingenij conſequi non poteſt. Quam quidem animi motionem Spiritus ſanctus efficit, medio fidei habitu à Deo infuſo, ut illo fragilis & infirmus intellectus confirmatus diuinis uerbis firmè, & conſtanter adhæreat. Externum uerò eſt, eorum, quæ credenda ſunt propoſitio, quæ ſi deſit, fides incerta uagatur, neque certò alicubi conſiſtere poteſt. Fides, inquit Paulus, ex auditu, auditus autē per uerbum Chriſti. quomodo uerò audient ſine prædicāte? Etſi uerò eorum, quæ Chriſtianum hominem credere oportet, maxima pars, ſacris literis contineatur, hæc tamen literarum monimenta ſacra eſſe, & diuina oracula continere, non niſi Eccleſiæ auctoritate accepimus, atque demum ipſa traditione. Quare ſi firmum fidei aſſenſum ſpectes, in Deum ipſum referas, ut in cauſam & rem obiectam neceſſe eſt. Deum enim ueracem fides potiſſimè intuetur, certa & minimè fallax. Diuina ueritas in cauſa eſt, ut omnia à Deo reuelata credantur; Spiritusque ipſe diuinus mentem ad credendum incitat, & commouet. Quòd ſi ad propoſitionem reſpicias, in Eccleſiæ auctoritate, & antiquæ traditionis teſtimoniis demum conquieſcere te cōuenit: à quibus ſolis accepimus, & hanc, quæ circumfertur ſcripturam, ſacram eſſe, & quæ illa continentur, à Deo fuiſſe reuelata. Quod D. Auguſtinus contra Fauſtum Manichæum agens, qui ſacræ ſcriprur æ teſtimonia ita illudebat, ut illa pro arbitrio aut complecteretur, aut contemneret, ſatis

Ad Rom. c. 10.

Aug. cō tra Fauſtum Manichæū; lib. 11. c. 2.

ſatis apertè his uerbis docet, Quid ages, inquit, quò te conuertes? (quando ſcilicet, quæ tu probaueris ſcripturæ loca, alius improbauerit) quam libri à te prolati originem, quam uetuſtatem, quam ſeriem ſucceſſionis teſtem citabis? Nam ſi hoc facere conaberis, & nihil ualebis, & uides in hac re, quid Eccleſiæ catholicæ ualeat auctoritas, quæ ab ipſis fundatiſſimis ſedibus Apoſtolorum, uſque ad hodiernum diem ſuccedentium ſibimet Epiſcoporum ſerie, & tot populorum conſenſione firmatur. Idem D. Auguſt. alibi inquirens, An ſubſtantiæ ſpirituales coniungi cum mulieribus poſſint, ita ſcribit, Omittamus earum ſcripturarum fabulas, quæ apocryphæ nominantur, eo quòd earum occulta origo non claruit Patribus, à quibus uſque ad nos auctoritas ueracium ſcripturarum certiſſima & notiſſima ſucceſſione peruēnit. Et paulò inferius cum de ijs libris, quos Enoch ſcripſiſſe Iudæ Apoſtoli teſtimonio certiſſimo conſtat, ageret, inquit, eos non eſſe in canone uerarum ſcripturarum, quia ob antiquitatem ſuſpectæ fidei iudicati ſunt. Quare quæ illius nomine circumferuntur, ſicut & multa nomine aliorum Prophetarum & Apoſtolorum, ſub nomine apocryphorū auctoritate canonica, & diligenti examinatione, remota ſunt. Qui igitur antiquitatis & Eccleſiæ auctoritatē abrogat, an non ſimul ſcripturæ ipſius fidem labefactat? In Confeſſion. uerò ijs uerbis Deo gratias agit, Sed me non ſinebas ullis fluctibus cogitationum auferri ab ea fide, qua credebam & eſſe te; & eſſe incommutabilem ſubſtantiam tuam, & eſſe hominibus curam & iudicium tuum,

Aug. lib. 15. de ciuit. Dei. c. 23.

Aug. lib. Confeſſio. 7. c. 17.

um, & in Christo filio tuo Domino nostro, atque in scripturis sanctis, quas Ecclesiæ tuæ sanctæ commendat auctoritas, uiam te posuisse salutis humanæ, ad eam uitam, quæ post hanc mortem futura est. Quibus uerò coloribus Augustinus depingat, quibusque indiciis & testimonijs hanc Ecclesiam demonstret, ab eodē disce, qui ad Honorium sic scribit, Dubitamus nos Christi Ecclesiæ condere gremio, quæ usque ad confessionem generis humani ab Apostolica sede per successiones Episcoporum hæreticis frustrà circumlatrantibus (erige aures Kemnici) & partim plebis iudicio, partim Conciliorum grauitate, partim etiam miraculorum maiestate damnatis, culmen auctoritatis obtinuit? cui nolle primas dare, uel summæ profectò impietatis est, uel præcipitijs arrogantiæ. An'non uides ueræ Ecclesiæ, cuius omnia metienda sunt iudicio, & cuius fides atque auctoritas nobis debet esse sacrosancta, indicia esse Episcoporum successiones, communem populorum consensum, & naturæ uim superantia miracula, de scriptura nulla facta mentione? utpote quia scripturam non nisi huius Ecclesiæ iudicio suspicimus, & ueneramur. Si igitur scripturæ certitudo, in qua tu fidei & religionis Christianæ summam collocas, non nisi traditione constat, quæ tua hæc est audacia, ut illā tanquàm uanam & inanem contemnas, & abijcias? nisi fortè ita insaniuisti, ut existimes, fidei non interesse, sacræ scripturæ auctoritatem ita esse tutam atque munitam, ut de illa dubitare nemo possit: aut fortè eo consilio traditionum auctoritatem tanto conatu conuellis, ut illis antiquatis, Ecclesia simul

Aug. ad Honoriū de Vtilit. cred. c. 17.

colla-

collabefiat, fcripturæq; facræ firmitudo corruat, atque ita unà fides, religioq; pereant, uirtutis ftudiũ, pudorq; abijciatur, nihilq; reliquum fit, quod uos aut in officio continere, aut cœcas & temerarias cupiditates coercere poffit, aut ab omni nefario fcelere retardare.

At illas ideò te contemnere ais, *Quia ex nullo auctentico fcripto probari poffunt: quapropter à Pontificibus tacitæ appellantur.* Quæ cum legerem, non fatis mihi conftabat, rifu'ne, an commiferatione potius hominem profequerer. Nam prætermitto, nullam effe ferè traditionem, quàm fanctorum Patrum fcripta non complectantur: quæ fi auctentica non ducit, iam uidere quiuis poteft, quorfum euadat. Sed efto, nullis fanctorum Patrum monimentis confignata fint, quis tã erit à communi fenfu alienus, ut maiorem fidem habendam arbitretur paucorum quorundam hominũ fcriptis, quàm totius terrarum orbis communi confenfui, & approbationi? quod omnium gentium, quæ integram & incolumen fidem femper conferuarunt, & quæ Ecclefiæ gremio continentur, confuetudo, communifq; fententia clamat, librorum tu egêre teftimonio arbitraris? cum præfertim, ut apertè paulò antea demonftrauimus, diuina lex, Chriftianaq; inftitutio, principio in hominum fuerit mentibus exarata, multaq; in eifdem inclufa permanferint, quæ ab Apoftolicis illis uiris fidei propagatoribus literis tradita non fuerunt. Quæ uerò de hac re fit Auguftini fententia, cuius ftudium uenditare maximè niteris, aduerte. ita enim fcribit, Illa autem, quæ non fcripta fed tradita cuftodimus, quæ *Auguft. ad Ianuariũ. Epif. 118.*

quidem

quidem toto terrarum orbe obseruantur, dantur intelligi, uel ab ipsis Apostolis, uel plenarijs Concilijs, quorum est in Ecclesia saluberrima auctoritas, commendata atque statuta retineri. Et paulò inferius, Ecclesiæ consuetudines nō scriptas, ijs uerbis cum scriptura sacra connectit. Ad hæc autem ita respondeo, ut quid horum sit faciendum, si diuinæ scripturæ præscribit auctoritas, non sit dubitandum quin ita facere debeamus ut legimus; ut iam non quomodo faciendum, sed quomodo sacramentum intelligendū sit, disputemus. Similiter etiam, si quid horum tota Dei per Orbem frequentat Ecclesia, nam hoc quin ita faciendum sit, disputare, insolentissimæ insaniæ est. Et alibi, Quam, inquit, consuetudinem (non rebaptizandos, ab Hæreticis semel baptizatos intellige) credo ab Apostolica traditione uenientem, sicut multa non inueniuntur in literis eorum, neque in Concilijs posteriorum, & tamē quia per uniuersam custodiuntur Ecclesiam, non nisi ab ipsis tradita, & commendata creduntur. Quare Eusebius Cæsariensis refert, nouam illam consuetudinem à Cypriano introductam, baptizādi ab Hæreticis redeuntes, magnum stomachum mouisse Stephano summo Pontifici, eò quòd antiquam Ecclesiæ consuetudinē deserere, scelus esset cum summa temeritate coniunctum. D. etiam Epiphanius uniuersales Ecclesiæ cōsuetudines tam literarum monimentis consignatas, quàm nobis quasi per manus traditas, Dei uoces matrisque nostræ sanctas leges appellat, quas cū Hæreticis obiicit, tanquàm insigni parta uictoria, triumphat. Sed quid immoror in sanctorum Patrum testimoniis

Augusti. de bap. cōtra Donatist. lib. 2 c. 7.

Euse. his. Eccl. lib. 7. c. 3.

Epipha. lib. 3. Hæresi. 75.

ſtimonijs inculcandis, quos tu nō modò præ te uno contemnis, ſed eorum auctoritati lixarum calonum, opilionum, ac denique impuriſſimi cuiusuis hominis iudicium præfers; eiſdem profectò furiis agitatus, quibus Euangelium illuſtrare, fidemq́; ab optimorum hominum tyrannide uindicaretur, tu tuiq́; omnes coniurarunt.

SED age, Kemnici, omiſſis auctoritatibus, ipſa re & ratione ueritatem exquiramus. Vt uerò aliquis tādem controuerſiarum modus fiat, in aliquibus uelu ti geometricis poſtulatis, conueniamus: quæ tui omnes libenter cum concedant, tu, puto, non inficiabe ris. Quorum ſit primum, Veram, & incorruptam fidem, atque ſacræ ſcripturæ uerum ſenſum, in ſola uera Eccleſia reperiri. quod Chriſtus ipſe apertè teſtatur apud Matthæum, Vobis datum eſt (inquit) noſſe myſteria regni Dei; cæteris autem in parabolis. *Matth. c. 13.* Deinde conſtituamus, ueram Eccleſiam nunquàm mutari, ſed eandem nunc eſſe, quæ fuit Chriſti, & Apoſtolorum temporibus. Etſi .n. ſedem ſæpe mutauerit, atq; ad diuerſa loca non ſemel cōmigrauerit, ſi tamē ad Eccleſiæ immutabilem naturam eſſentiamq́ue re ſpicias, una ſēper eadēq́; permāſit, quod tui nō modò nō inficiātur, ſed multis & apertis teſtimonijs cōclu dunt. Immo ut nullā habuiſſe Eccleſia unquā mutationē uideatur, hāc noui teſtamenti Eccleſiā, unā & eādē eſſe cū illa ueteris populi Iſraelitici, probant ex illis Chriſti uerbis apud Ioannē, Scrutamini ſcripturas, quia ipſæ ſunt, quæ teſtimonium perhibent de me. *Ioann. c. 5.* Item, Si crederetis Moſi, crederetis forſitan & mihi, de me enim ipſe ſcripſit. fuit enim in ueteri lege

eadem de Christo fides, quæ nunc uiget, sed obnubilata illa & obtenebrata, hæc uerò dilucida & explicata.

VERUM in Ecclesiæ ratione, tui non modò à nobis, sed & mutuò ualde dissentiunt. nos enim hunc nostrum cœtum certò scimus esse ueram Ecclesiam; unicam Christi electam, in qua est perpetua successio sacerdotum, unaque fides perpetuò fuit; cuius unum caput est Christi Vicarius, Petriq; successor, Romanus Pontifex uniuersalis Ecclesiæ pastor & moderator, cui Christi promissiones factæ sunt. Ex uestris uerò quidam, sic diffiniunt Ecclesiam, Est cœtus amplectentium sincæram Euangelii doctrinam, & rectè utentium sacramētis ab ipso Christo institutis. Quā tamen nulli capiti sub Christo subiectam esse uolūt. Ex aliorum uerò officina, qui propriæ impietatis magis, quàm alienæ propugnatione uolunt nomen cōparare; nuper alia Ecclesiæ descriptio prodijt. Esse scilicet prædestinatorum cœtum. Quam tu uerò Ecclesiam magis probes, ex tuo libello non satis potui aucupari. finge tamen quam uoles, illam quidem semper fuisse uerā Ecclesiam, & nunquàm mutatā, atque perpetuò duraturam, confitearis necesse est, nisi noui aliquid monstri alis. Tandem constituamus, scripturæ sacræ sensum fidemque ipsam mutari nunquam posse, sed unam eandemque perpetuò fuisse, uenturisq; temporibus duraturam: quod ex ipsis diuinis literis, quæ hanc firmiorem terra esse ac cœlo testantur, apertè constare potest. Nam cùm ueritas enunciati, ex rebus significatis pendeat, fieri minimè potest, ut illud enunciatum, quod principio uerum

Cent. 1. li. 1. c. 4. tit. de Eccles.

uerum fuit, tandem falsum euadat; nisi significata res mutetur. Cum igitur fides circa diuinas prorsusque immutabiles res uersetur, quì fieri potest, ut illa mutetur unquam? Non inficior, aliqua fidei arcana magnam Ecclesiæ partem diu latuisse, quæ temporis progressione diuina benignitas omnibus tandem aperuit. Quòd tamen uniuersalis Ecclesia falso, & mendaci alicui pronunciato, firmè & constanter, tanquàm fidei dogmati certissimo & indubitato aliquãdiu fuerit assensa, fieri nequaquam potuit. nam cùm Ecclesiæ ratione id prorsus pugnat: & quanuis scripturæ sacræ loca aliqua ignoratione demersa aliquã diu permanserint, quæ sunt temporum successione diuino beneficio illustrata, fides tamen semper salua perdurauit: et quem uniuersalis Ecclesia scripturæ sensum ita recepit, ut illum obseruandum, & amplectendum posteritati tradiderit, firmum ac certum esse, dubitare nemini sine scelere licet, nisi Ecclesiam dono interpretandi scripturam priuare uelis, quod uestrûm ad huc nemo ausus est.

Ex quibus quasi initijs & fundamentis an'non manifestum euadit, ueram illam esse fidem, quam semper uera Ecclesia antiquis temporibus retinuit, & conseruauit? idque à nobis firmiter tenendum esse, quod à maioribus ut uerum, & minimè dubiũ accepimus? nisi aut fidem, aut Ecclesiam temerè existimes mutatam esse. Quæ si mutari nulla ratione possunt, eadem certè nunc uera est Ecclesia, quæ olim fuit, eademq; uera fides. Nam cùm uera Ecclesia à uera fide seiungi, separariq; non possit, an'non uera illa nunc est fides habenda, quam uera Eccle-

sia quondã perpetuò custodiuit, & tutata est? Quinimmo illa nunc uera est Ecclesia, quæ eãdem fidem obtinet, quam uetus Ecclesia olim, semperque retinuit. Manifestum igitur fit, necessariò nobis credendum fore, quidquid certò constiterit, siue scripto, siue traditione, ueram Ecclesiam perpetuò credidisse, quanuis nullo scripturæ testimonio probari possit; nisi ueram Ecclesiam, uera fide, tamdiu caruisse dicas. Illud etiam perspicuum euadit, ueteris Ecclesiæ sensum, normam esse exactissimam, de cœlo delapsam, quæ mutari non potest: ad quam dirigenda & formanda nostra est fides: à qua qui uel transuersum unguem deuiauerit, miserandos errores euitare minimè poterit. Quòd si Ecclesiæ annalium monimenta euoluas, facilè reperies, antiquos Patres, ex quibus incorruptam fidem,& religionem integram accepimus,quoties quæstio aliqua oborta & excitata est, ex antiquorum sententiis,Ecclesiæque uulgata consuetudine, omnem difficultatem conclusisse: quam certissimam fidei regulam, semper existimarunt.

SED sentio quæstionem de uera Ecclesia oriri, cuius demonstrauimus standum esse traditionibus; de qua quidem non pluribus agam, quàm instituti mei ratio postulat, causæq; fuerit accommodatum. Finge igitur, Kemnici, quam uoles ueram Ecclesiã, & quæ tibi magis arriserit, definitionem eius amplectere. Quòd si in solis illam prædestinatis incluseris, uera profectò illa erit fides, quam semper prædestinati uenerati sunt, illæq; conseruandæ sunt traditiones, quas à uiris sanctitate, omniumq; uirtutum genere clarissimis accepimus: Si tales fuisse sententiæ

huius architecti cõfiteantur, Augustinum, Basilium, Cyprianum, Irenæum, Ambrosium, reliquosq; simi les pietate & eruditione Patres, quos ad diuorũ sanctimoniam & beatitudinem commigrasse, certò scimus, ad exitum iam quæstio adducta est, atque quas sanctissimi isti uiri traditiones, tanquàm à Christo & Apostolis profectas, comprobarunt, ut certissimam fidei regulã suspicere, & obseruare debemus. Quòd si de illorum prædestinatione quidquam dubitant, quid de ijs sentient, qui adhuc uitam degunt? qua ratione illorum prædestinatio, illis constare poterit? Quare quandiu prædestinatorum cœtus ignotus est, uera Ecclesia, certa'ue fides, perspicua esse minimè potest. Quòd si nos in has coniiciũt angustias, ut omnibus alijs præsidijs destituti, à sola scriptura fidem mutuemur, cùm scripturam interpretandi donum, soli ueræ Ecclesiæ promiserit Christus, atque extra illam esse nusquàm possit, hæc si lateat, quî fieri potest, ut scripturæ uerus sensus pateat? Quæ igitur tanta est istorum hominum insolentia, superbia & insania? quæ tanta impudentia & temeritas, ut sese fidei magistros sponte sua, Deo, hominibusq; (ut aiũt) inuitis, constituant, interpretandiq; scripturam munus arripiant, quos an ad Ecclesiam pertineant, ignoramus? Immo si sancti mores, pura & inculpata uita, prædestinationis sunt indicia, tam longè quidem à prædestinatione, quantum à pietate, modestia, innocentia & integritate absunt. Quare in tantis huius temporis calamitatibus, nihil mihi maiorem admirationem adfert, quàm perduelles hosce, Euangelij ostentatione quamplurimos fallere, quorum turpitudines,

tudines, arrogantiæ, auaritiæ, effrenatæq; cupiditates Euangelium execrantur, & detestantur. Quod satis magno argumento est, illorũ sectatores non Euangelij ueritatem, sed Euangelii prætextu, peccandi quærere licentiam.

QVOD si latius patère Ecclesiam arbitraris, omnesq; complecti fideles confiteris, illius quidem cõmunis consensus nobis debet esse sacrosanctus: illumq; summa prosequi obseruantia & pietate debemus. Nihil moror, ubi illam præteritis temporibus positam fuisse ducas; siue in Asia illa, siue in Africa, siue ad orientem, siue ad occidentem solem sita fuerit. illius certè Ecclesiæ, quæ sub Christi nomine cõgregata, Christi cognitione & promissionibus nixa, sacram scripturam semper recepit, unam & eandem fidem perpetuò conseruauit, contrarias persuasiones repudiauit, perpetuaq; Episcoporum successione ab ipsis Apostolorum temporibus propagata est: illius, inquam, Ecclesiæ sententiæ quin retinendæ sint, fides quin sit amplectenda, in fide & religione sensus quin sit suspiciendus, siue scripto siue per manus traditus sit, siue scripturarum testimoniis nixus, siue illis destitutus sit, dubitare is solus poterit, qui nouam nunc esse Ecclesiam, nouamq; fidem, pristina mutata atque antiquata, delirans somniet. A' quo Ecclesiæ consensu, cùm uel tantillum discessit D. Martyr. Cyprianus, sanctitate alioquì, & eruditione clarissimus, subortæque de baptismo quæstionis ueritatem ex nuda scriptura proprio sensu intellecta, magis, quàm ex communi Ecclesiæ consensu eruere uoluit, quàm turpiter non modò errauerit, sed errandi multis

Cyprian. Epist. ad Pompeiũ contra epis. Stephani. tom. 2.

multis causam præbuerit, nemo nescit. Satis igitur constat, quàm piè atque sapienter à uiris societatis Iesu dictum sit, sacræ scripturæ, Ecclesiæ traditiones necessariò annectendas esse, si salua fides esse debet. Pergit tamen ultrà calumniari Kemnicius, proponitq; secundum hoc axioma societatis Iesu nomine.

SACRA scriptura in illis ipsis siue dogmatibus, siue præceptis, quæ continet & proponit, est uelut nasus cæreus, non præbens certam aliquam & immotam sententiam, sed quæ in quamuis interpretationem flecti potest; in Coloniensi censura fol. 117. *Axioma 2.*

CVM sæpe mecum animo uoluerem illorum hominum miseram & infelicem conditionem, qui huius calamitosi temporis erroribus, non implicati modò, & obcœcati tenentur, sed aliis etiam errandi auctores sunt: non poteram non illorum uicem uehementer dolere, quos putabam, sophisticis aliquibus rationibus deceptos, fucataq; quadã ueri specie hallucinatos, aut prauis persuasionibus inductos, tetra errorum nocte immersos esse. neq; poteram illorum miseranda sorte, non uehementer commoueri, quos ducebam, sola ueritatis ignoratione, in errore detineri; quibus si aliquãdo clara ueritatis lux affulsisset omnibus eam bonis opinabar esse antelaturos. Qua commiseratione hæreticos prosequi, me docuit D. Augustinus, qui suo magno malo, & misera deceptione (Manichæorum enim hæresi, diu implicatus mansit) se didicisse ait, quo labore uerum inueniatur, quàm arduũ & rarum sit, carnalia phantasmata piæ mentis serenitate superare, atque qua difficultate sanetur oculus interioris hominis. Quare in eos, qui hisce erroribus implicati tenentur, sæuire, se nullo modò *Aug. contra Epist. Manich. quam uocant fundamenti. c.2.*

modò poteſt affirmat. Tandiu autem in hac commiſe ratione perſtiti, quandiu à lectione librorum, qui ab illis paſſim eduntur, me abſtinui. quos cumprimùm cœpi legendo terere, diligenterq; ac curiosè euoluere, omnem commiſerationem exui, magisq; illos indignatione & ſtomacho dignos eſſe, quàm miſeratione ſum arbitratus, qui adeò frõtem perfricuerunt, ut omnem operam & induſtriam collocent, in fallacijs & impoſturis excogitandis, quibus ſeipſos miſerè decipiant, ac perdant, illuſtri ueritati tenebras obducant, imperitæ uerò multitudini, quæ illos admiratur & ſuſpicit, ueritatis ſimulatione illudant, & in profundum, atq; immenſum errorum pelagus abijciant. Quòd ſi libros, quibus eorum placita & doctrina continentur, perlegas, in ſolis mendacijs excogitãdis, illos ingenioſos eſſe, facilè perſpicies. At utinã ingenioſi, ac non potius tam craſſi eſſent, & hebetes, ut magis intoleranda ad effrenatas cupiditates licẽtia, omniumq; uitiorum impunitate, homines ad diſſolutam libertatem procliues alliciant, quàm ueri aliqua ſimilitudine decipiant. Non ſecus, ac olim idolorũ ſacerdotes, qui noua ſemper mẽdacia ſummo ingenio excogitabant, ut imperitum uulgus in tanta illa impietate continerent: nõ tam in deos, quos falſos eſſe ſatis ſciebant, pietate cõmoti, quàm quæſtus, & honoris, quem ueritate periclitari intelligebant, cupiditate inducti, & prouocati. Kemnicius uerò ut præclarum ſe Lutheri, cæterorumq; ſimiliũ diſcipulum præbeat, in fingendis mendacijs nulli noluit eſſe inferior: multis uerò ita ſuperior euaſit, ut non pauciora ipſe paruo uolumine, quàm alii ma-

gnis,

gnis, fuerit complexus. In hoc uerò Axiomate ita sensum cum uerbis inuertit, ut pro pulchro, deforme: pro decoro, & honesto, turpe, ac sordidum, lectoribus obiecerit. Sed si in numerandis modò foliis ueracem se & diligentem arithmeticum præbeat, ueritatis omnis numeros explesse, & quæ postea dicit cũcta, extra omnem reprehensionem sita esse putat. Est enim eius præceptoribus solenne, in ijs, quæ parum aut nihil ad rem faciunt, diligentes esse ueritatis inquisitores, ut in reliquis eis liceat impunè mentiri. Dicunt quidem, fateor, Colonienses Patres, eo loco, quem citat Kemnicius; scripturam sacram, esse uelut nasum cæreum; sed quid ea sibi uelint simulitudine, apertè explicant. Quia, inquit, apud rudem populũ facile est scripturam, sacram in quamuis interpretationem flectere, qua aut Principũ, aut uulgi palpentur uitia. Vbi uerò, Kemnici, de doctrina, siue dogmatibus mentio fit? ubi in illis esse scripturę incertum sensum dicunt? Relege, relege, inquam, accuratius, quem citas locum, neque enim fieri poterit, nisi impietas iam callos obduxit, quin te tui ualde pudeat. De fide sermo erat, quam apertè probarunt Colonienses Theologi, cum charitate non esse necessariò conglutinandam, sine charitate tamen parum prodesse. Atque ad Ioannis locum, Qui credit quoniam Iesus est Christus, ex Deo natus est. uobis quidem ualde familiarem, perperam tamen, ut multa alia, intellectum, respondebant: atque cùm de fide cum charitate copulata intelligendum esse, ex sanctorum Patrum sententijs afferant, sciolos & impudentes homines tui similes perstringunt, qui sua *1. Ioann. c. 5.*

M somnia

ſomnia nouaque dogmata præclaro ſacræ ſcripturæ titulo inſignita, uelut oracula quædam uulgo credẽda proponunt: atque omnibus operibus ſpoliatæ ac intermortuæ fidei prædicatione, effrenatam populi libidinem incitant. Ad quod commodius efficiendum, ſacram ſcripturam coram imperito uulgo inquamuis ſententiam pertrahere, minimè eſſe difficile aiunt, cui facile eſt uerba dare, in ijs potiſſimùm rebus, quæ cupiditatibus & luxui, quibus maximè eſt deditum, fauet.

AGE iam, Kemnici, uideamus quantum uales diſſerendi arte: elice ex hac ſententia tuum hoc axioma, ex ijs antecedentibus argutus homo conclude, ſcripturam ſacram in dogmatibus & præceptis non præbere certam aliquam & immotam ſententiam: uide quo nam modo ratiocineris. neq; enim alio quàm iſto, formare ex datis rationem poteris. Sophiſta quiuis impurus, proteruusque aliquis hæreticus, poterit in ſcripturæ ſenſibus imperitos facilè decipere, falſosque ſenſus ignaris, pro ueris perſuadere. Ergo ſcriptura in dogmatibus & præceptis non continet immotos & certos ſenſus. O præclarum dialecticum, o acutum ſophiſtam. prætermitto, quòd ex particulari ſententia uniuerſalem facis. Quis, quæſo, dialecticæ non modò peritus, ſed etiam rudis, hoc enthymema non irrideat? Quis ad tam ineptam, anilem, & deliram calumniandi rationem riſum teneat? debuiſſes profectò aut in elenchis, fallendiq; arte magis eſſe inſtructus, aut tam petulanti calumnia ſuperſedere. Quis enim tam eſt demens, & diuinarum rerum inſcius, qui ignoret, ſcriptura ſacra, quæ à Deo inſpira-

ta,continet Christianæ fidei,diuinæq; uoluntatis mysteria,nihil esse uerius,certius, firmius & immutabilius? & ubi præceptiua locutio est,aut flagitium, aut facinus uetans,aut utilitatem,aut beneficientiam iubens,non esse figuratam sed certam,& minimè ambiguam,ut D. Augustinus docet? Satis enim non modò certa,& immota, sed perspicua esse decalogi præcepta nemo nescit. Verùm cùm Colonienses Patres animaduerterent, multa esse loca in diuinis literis, quorum uerus sensus non facilè pateat,sed quæ quiuis in uarias & diuersas sententias pro libito trahere possit,illam nasum cæreum, & Pighius,quem etiam Kemnicius carpit,plumbeã Lesbiæ ædificationis regulam,aptissima similitudine appellarunt. Hinc fit, ut D.Augustinus sæpe doceat,multa fuisse in scripturis diuinis loca,quæ latuerunt, quoadusque hæretici illorum praua interpretatione Dei Ecclesiam exagitarunt.Vnde sumpta occasione, aperta sunt, quæ latebant,& intellecta est uolũtas Dei.Alibi uerò ait, omnia diuina eloquia,salutaria esse bene intelligentibus,periculosa uerò ijs,qui ea uolunt ad sui cordis peruersitatem detorquere,potiusquàm suum cor ad eorum rectitudinem corrigere. Quæ cum à uobis fieri Colonienses theologi uideant,uestrisque effrenatis cupiditatibus,fidei inani confidentia fauere, addéque diuina testimonia,magna cum illorum contumelia, & profanatione accommodare, sacram scripturam nasum cæreum appellant: quippe quam ad uestri cordis peruersitatem detorquetis. In quibus Coloniensium uerbis,si uel minima inest impietas, eadem & D.Augustinum inuoluas necesse est; cum-

Aug. de Doctr. Christ.

Aug. in psal. 54. & de Ciuit.li.6. c.2.

Aug. in psal. 48.

quo mauult societas Iesu, impietatis à uobis damnari, quàm cum tuo Luthero à te tuisq; commendari.

Mirari tamen satis nequeo, Kemnici, ita Coloniensium hoc dictum abs te insimulari, ac si Germanus non esses, neque in Germania uiueres: in qua cùm tot sint de religione sententiæ, quot capita, tot fides, quot uoluntates, omnes tamen unicam sacram scripturam patronum inducunt, omnes Dei uerbum iactitant, omnes uerum se scripturæ sensum tenere dictitant; usque adeò ut nulla tam mollis & commutabilis cæra esse possit, quæ ita facilè queat ad cuiusque arbitrium formari, & fingi, ut diuina eloquia à uestris ad quamuis impietatem detorquentur. In quot, quæso, formas inuertunt
Act.15. uerba illa Petri, Fide purificans corda eorum? quot
Mat.26. portentosis modis immutant illa Christi, Hoc est corpus meum? quot scripturæ loca huius temporis sectarij miserè dilaniant, atque in uarias sententias distrahunt? Quod quidem ut percipias, non tam eruditione aut iudicio, quàm auribus opus habes: quas si tuorum uocibus accommodes, omnes urbes, pagos, lucos, angulos percrepare illorum uocibus audies, qui nihil aliud quàm Euangelium, & diuinum uerbum iactant: qui tamen non minus in illius sensu inter se, quàm à nobis dissentiunt. Ad quod si aduertas, fieri certè nequit, quin societati Iesu succensere desinas; quæ etsi omnis antiquitatis esset ignara, ex uobis tamen hanc diuinarum literarum tantam quasi mollitudinem, ut in quamuis partem flexibilis sit, didicisset. Quod iam olim diuus Basilius deplorauit, Hilarius uerò apertè docuit, cùm

dixit, formam fidei, certam esse, sed quantum ad hæreticos, omnes sensus incertos esse. Et D. August. ad Pascentium Arrianum scribens conquerebatur, aliquos esse homines, qui cùm scripturas non diligenter scrutarentur, pertinaciterque aliquam opinionem defendendam suscepissent, & sapientes magis uideri, quàm esse uoluissent, scripturæ uerba à proprio & germano sensu, ad longè diuersum transferrent. Vt Arriani, qui de forma serui dicta, ad formam Dei transferebant. Quod ipsum multis demonstrat D. Hilarius. Sed quid Patrum sententijs opus est, cùm Petrus ipse Apostolorum princeps, affirmet, quædã esse in Epistolis Pauli intellectu difficilia, quæ multi indocti instabiles, στρέβλουσιν, hoc est, distorquent: sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem? Lege quæ D. Epiphanius de Gnosticis scribit, & facilè uidebis, quàm cærea scriptura sit, atque adeò in quàm impuros, sacrilegos, & obscœnos sensus, plurima illius loca impurissimi homines ita flexerint, ut non paucos suæ impuritatis socios asciuerint. quos ad id impuritatis, atque impietatis peruenisse idem Epiphanius ait. Quòd si aliqua scripturæ sacræ sententia ad similitudinem concupiscentiæ ipsorum formari poterat, non ut habet uerbum, sed ut habet mens ipsorum decepta, ad cupiditatem suam transmutantes, dicunt ex spiritu ueritatis processisse. In quo neque uos à Gnosticis estis ualde dissimiles, qui uestram cupiditatum omnium licentiam, & cum spiritu ualde pugnantem libertatem, ex diuinis uerbis haurire dictitatis. Quæ uestra procacitas effecit, ut scripturam sacram nasum

Augusti. ad Pascē. epist. 174

Hila. lib. de patris & filij unit.

2. Pet. c. 3.

Epiphan. hæresi. 26.

nasum cæreum accommodatè admodum Colonienses uocarent: non tam illius incertum sensum,quàm uestram in contorquendo ipsam petulantem audaciam notantes. Tertium uerò axioma, quod in Coloniensi censura reprehendendum suscipit Kemnicius, hoc est,

3. *Axioma.* *Omnia & singula, quæ in scriptura comprehensa sunt, tantis inuoluta sunt obscuritatibus, ut ne doctissimi quidem certam cognitionem inde colligere possint; nisi illam aliunde mutuentur; ex prætoria scilicet prælatorum Ecclesiæ interpretatione. Et ideò qui saluam uolunt esse religionem, omnino debent Laicis interdicere in uniuersum lectioné sacrarum literarum, & inde ne quidem historiam passionis excipiunt. Articul. Prim.*

En tertium fictum & commentium axioma, tertiaque Pharisaica calumnia. Neque enim aliter societas Iesu à Kemnicio hîc accusatur, quàm olim Paulus Apostolique cæteri à Iudæis in crimen uocati sunt. Ita enim omnia inuertit, atque deprauat, ut neque uerbum quidem huius axiomatis in Coloniensi censura reperiri possit. Sed tale ab ipso confictum est, quale in illa offendere peroptasset, ut ei liberior patere calũniandi campus potuisset. Quod ut euadat exploratius, Coloniensium mentem, paucis aperiamus. Monhemius, cuius insaniam Colonienses theologi censoria grauitate reprimere meritò uoluerunt, testatur, se in supremis gymnasii sui classibus, prouectioribus discipulis interpretari, scripta uatum, & Apostolorum, ad quod studium alacriori animo compescendum, ut incitarentur iuuenes, multis contendit, & maximè D. Chrysostomi auctoritate demonstrare, sacrarum literarum lectionem

ctionem cunctis fidelibus, quanuis sint de uulgi fece, ita esse necessariam, ut sine illa salutem sperare nullo modo possint. Quam incredibilem deliratio-nem, multis & magnis rationibus, apertissimisq; testimonijs Colonienses reprimunt, atque principiò ostendunt, Sacram scripturam tot ac tantis esse difficultatibus implicatam, ut satis id magno argumento esse debeat, minimè consultum fore, omnes passim ac temere ad eius lectionem admitti. Id quod ex difficultatibus, quibus primum ac secundum Genesεos caput scatet, perspicuum faciunt. Neque faciliora esse permulta loca in nouo Testamento, in quibus explicandis cùm antiqui Patres multùm insudauerint, plurima tamen non prorsus penetrarunt, aliqua uerò silentio suppresserunt. Quod ex ijs, quæ D. Augustinus scripsit in illa Ioannis uerba, Et ego nesciebã eum. & ex libro Apocalypsis satis constare dicunt. adeò ut neque Dominicæ passionis enarratio, quæ omnibus clara uidetur, suis magnisq; difficultatibus in conciliandis præsertim Euangelistis careat. Quas difficultates prouenire dicunt, tum ex peregrinis linguis, in quibus primùm conscriptæ sunt (quam peregrinitatem cum in Latina, atq; adeò uulgari lingua exuere non omnino possint, ad earum exactam cognitionem linguarum peritia maximè est necessaria) tùm ex tropis ac figuris, quibus sæpe abundant: quæ qui non percipit, fieri non potest, quin crebrò labatur ac decipiatur. Præter quæ oĩa in primis scripturæ sacræ lectio inquiũt requirit excultos, & exercitatos sensus, hoĩesq; eo spiritu afflatos, quo illæ dictatæ sunt. Quare iustissimè cautũ esse dicũt, ne qui imperiti

ti sunt, & ad discernendum uerum à falso, nondum purgatam mentem habent; de scripturarum difficultatibus unquam disceptent: sed id negocij ijs, qui probè hac in re uersati sunt, committant. Quod D. Augustinus non modò docet, sed usque adeò perspicuum ac facile ducit, ut quiuis uel mediocriter sanus, id facilè intelligere possit: semperque accidere ait, ut multa indoctis uideantur absurda, quæ cùm à Doctoribus exponuntur, eò laudanda uideãtur elatius, quò abiectius aspernanda uidebantur. Iuuenes uerò, quibus potissimùm sacras se literas tradere Monhemius profitetur, Colonienses iudicant, ad earum lectionem aptos non esse, ut neque philosophiæ moralis accommodatos auditores ob immodicas animorum suorum perturbationes Aristoteles esse dixit. Non prohibent tamen quin illi, & populares homines, lectioni sacrarum literarum domi uacent, & scripturas illas euoluant, quas ad explicandum faciliores esse constat: deq; arcanis fidei nostræ mysteriis inter se conferant; quæ tamen in cõcionibus ac lectionibus didicerunt. quãdoquidem talibus collocutionibus, & timor Domini magis accrescit, & charitas uehementius excitatur. Omnibus tamen promiscuè totam scripturam legendam tradere, deq; illius difficultatibus iudicium imperitæ plebi committere, nihil esse aliud, quàm fidem in apertum discrimen coniicere. Hæc ad summum est Coloniensium sententia.

Aug. lib. 1. de Morib. Eccl. Catholica.

HANC Kemnicius ea, qua pollet ueritate, modestia, integritate, ita peruertit, ut ex aliquibus locis, quos in sacris literis obscuros esse dicunt, omne

nes & Singulos tenebricosos dicat, usq; adeò ut nihil obscuritate uacuum reliquum fecerit: quæ de popularibus, uulgique hominibus, & elatis iuuenibus dicuntur, ad doctissimos quosque accōmodet: quæ ex scripturis uulgi hominibus legenda permittuntur, interdicta prorsus esse dicat. Vnde, quæso Kemnici, tam subita ista mutatio extitit? ò indicibilem conuersionem, ò inauditam metamorphosim, in qua neque uestigium quidem pristini status reliquisti. Sed ut tua in mentiendo audacia illustrius pateat, ea, quæ adiungis uerba, referam. *Multis* (inquis) *Patrum testimonijs probant esse in scriptura quædam loca difficilia, & obscura, & inde inferunt; Ergo omnia & singula in scriptura sunt obscura; & illa per partes ita enumerant, ut ne historiam quidem passionis excipiant. Quàm sophisticum hoc argumentum sit, etiam pueri nostri intelligunt.* Hiccine candor est Euangelicus, Kemnici? hæc Christiana sinceritas? hæc in ferenda sententia integritas? Hoc'nam est Euangelium instaurare, fidem redintegrare, religionem renouare atque restituere? Quod, quæso, illud est Euangelium, de quo tunc uos præclarius mereri arbitramini, cum in fingēdis calumnijs, inueniendis mēdacijs, fraudulētisq; interpretationibus excogitādis, ut famā optimorum hominum denigretis, acuti admodum fueritis & diligentes? Vbi, quæso te, uoces illas, omnia & singula, reperisti? ubi illam tam ineptam argumentationem, ubi puerilem illam collectionem legisti, ut ex obscuris aliquibus scripturæ locis, omnia esse obscura concludant? Si in numerandis folijs tam es diligens, designa locum; & si quis apud tuos te etiam iniquior

iudex reperiri poteſt,qui Colonienſium uerba cum tuo axiomate conferre uoluerit, illius iudicio ſtemus, ille nobis ius dicat. Quod ſi facere non audebis, ij, quorum ortatu tam egregium opus aggreſſum te eſſe ais, intelligant,nihil te aliud quàm illis, & uniuerſæ Germaniæ imponere ſtuduiſſe: & quàm ſit certa fides, præclara doctrina, pium religioſumq; uiuendi inſtitutum ſocietatis Ieſu, cognoſcant, quam non niſi apertiſſimis mendacijs potuiſti calumniari. niſi fortè te illa fefellit per partes numeratio ſacrorum librorum, neque percepiſti quorſum ſpectaret. Auſculta igitur diligenter. probant illa enumeratione apertè & euidenter, in ſingulis ſacræ ſcripturæ libris, eſſe locos aliquot difficiles, ita ut nullus integer liber reperiri poſſit tam apertus & intellectu facilis, qui ſuis difficultatibus careat. Quod cum in omnibus ſingulatim demonſtrēt, in Dominica etiam paſſione, ſumma inquiunt dexteritate opus eſſe, ut quatuor illa Euangelia inter ſe conciliari poſſint. Ex quo quàm præclarè ſequatur, omnia, & ſingula, quæ in ſacra ſcriptura compræhenſa ſunt, obſcura eſſe, non tam es rudis ac ſtupidus, quin uideas. Quantum uerò tuum hoc axioma, ab illorum mente & uerbis abhorreat, ſi perlegas, quæ ipſi ſcribunt, cum interpretantur locum Chryſoſtomi,quo omnes ad ſacrarum literarum lectionem inducit,apertè admodum uidebis. Docent enim, Chryſoſtomi exhortationem de ijs eſſe ſcripturis intelligendam,quas faciliores & explicatiores eſſe conſtat: uel quia hiſtoriam continent, uel quia aliquando à ſacerdotibus in publicis concio-

nibus

nibus fuerunt expositæ. Id'ne est, Kemnici, omnia & singula obscura dicere? aut plebem ab omni scripturarum lectione deterrere? an potius quæ ab ea legenda sunt piè & sapienter consulere?

PLVRIMOS uerò locos in sacris libris tantis esse obscuritatibus obuolutos, ut sine magnis laboribus, multisq; ad Deum deprecationibus intelligi non possint, & ex sanctorum Patrum scriptis, qui in eo studio uniuersam ætatem consumpserunt, accepimus, & experientia discimus. Diuus enim Hieronimus cùm Paulinum ad sacrarum literarum studiũ horatur, uelamen inquit, non solùm in facie Mosi, sed in Euangelistis & Apostolis positum esse. Quare illum & ad labores in sacrarum literarum meditatione exantlandos, & ad deprecandum intelligentiam assiduè ab illo, qui habet clauem Dauid, qua aperit quod nemo claudit, claudit quod aperire nemo alius potest, tanquàm ad res ad hoc studium summè necessarias incitat. Dauid enim sanctissimus cùm diuino esset spiritu afflatus, diuinam tamen clementiã precatur, sibi ut nouam opem peculiareque auxiliũ ferat, ut diuinæ legis meditationi tutò possit incumbere; quo si destituatur, labi ac decipi uereretur, Reuela, inquit, oculos meos, & considerabo mirabilia siue (ut Hebræa uerba sonant) recondita de lege tua. Plurima enim in sacris literis sub uerbis, quæ aperta uidentur, latent, quæ non nisi assidua meditatione patêre queunt. Est enim uel hoc maximum diuinæ sapientiæ argumentum, quòd omnes antiqui Patres cum in sacrarum literarum studium uigilantissimè incubuissent, & inde multa abstrusa & arcana

Scripturã sacrã difficilem et per obscuram esse.

Hierony. ad Pauli.

psal. 118

in lucem edidissent, non tamen illud immensum pelagus ita potuerunt exhaurire, quin nouos thesauros singulis diebus reperire detur. quæ abdita sacrarum literarum penetralia qui introspicit, solus ex Diui Hieronymi sententia sacras literas percipere dicendus est. Id uerò quàm longè à uulgi captu positum sit, quiuis sanus facilè intelliget. fuerunt enim uel hoc nomine maximè à Philone commendati egregij illi pietatis studio uiri, quos cultores uocat, qui temporibus Apostolorum mirum in modum ea maximè de causa floruerunt; quia omnem uitam, labores, cogitationes, uigilias, mentem denique ipsam ad sacrarum literarum lectionem compararunt. Qui uerò accuratè legerit, quibus illi optimi & sapientissimi uiri laboribus perfungebantur, ut earum germanum sensum compararent, facilè intelliget quàm longè ij absint ab illarum uera intelligentia, qui ita faciles eas esse arbitrãtur, ut imperito uulgo cõmitti posse dicant. Esseos uerò illos siue cultores non in uerborum superficie hæsisse; sed occultos sensus assiduo studio inquisiuisse, ijs uerbis Philo narrat, Videtur enim uiris istis uniuersa legis scriptura animantis similis esse; ita ut superficies uerborum, corporis, sensus uerò in uerbis reconditus, animæ sit loco. Quæ ipsorum religio præcipuè quasi per speculum nominum, eximiam sententiarum pulchritudinem relucentem obseruans contemplari cœpit. Quare ad scripturas intelligendas, non solo labore aut iuditio fidebant, sed ueterum etiam commentarios, ut idem Philo tradit, adhibebant.

Euse. his. Eccl. lib. 2. c. 17.

Philo Iudæus.

Cent. 1. li. 2. c. 7.

SED uideo auctores earum Centuriarum, quæ nuper

nuper Basileæ excusæ in lúcem prodierunt, præcipitanter atque petulanter (ut infinita propè alia) iudicare, hos Esseos, Christianos, haudquaquam fuisse. Quod nullo alio argumento persuadere conantur, nisi inuidia & penitus insito odio, quod in uoluntariam paupertatem, & in monasticum uiuendi genus sanctissimum, habent. quod quia à primis illis florentissimisq; Ecclesiæ tẽporibus, ualde fuisse alienum putant, minimè etiam Esseos illos, qui in monastico uiuendi genere mirificè excelluerunt, Christianos fuisse ducunt. Qui tamen antiquitatis iniquissimi corruptores, si cogitatè perpendissent argumenta, & ex Philone ipso ducta testimonia, quæ ipsi ut leues coniecturas contemnunt, quibus ductus Eusebius, Christianis illos annumerat; minimè quidem tam temerè sententiam præcipitassent. Neque enim quæ de his sanctissimis uiris dicunt, in alios quàm in Christianos quadrare ulla ratione possunt. Sed quid sperandum fuit de his centuriatis auctoribus, qui pudore semel abiecto, odiò in omnem ueritatis speciem, tanquàm quibusdam furiis agitati, nihil non sibi licere, nihil se non posse fingere arbitrantur? neq; quoduis cõmentum petulantissimè inculcare dubitant? Quare per uiscera misericordiæ Domini nostri Iesu Christi oro atque obtestor omnes ueritatis amatores, ne mendacissimis illis uoluminibus fidem ullam habeant; in iis præsertim rebus, quæ ad impia sua dogmata confirmanda, nostra uerò euertenda, spectant: sed cuncta ad suas origines diligenter reuocare studeant. Nihil enim perditi isti homines non machinantur, nihil non torquent, ac luxant, nihil non

Centuriarum perfidia.

Hist. Ecc. li. 2. c. 17

non deprauant, nihil non fingunt, ut sua dogmata ueterum omnium consensu fuisse comprobata mentiātur. Quare eos, qui sanctorum Patrum, & uniuersæ antiquitatis iudicio tantum tribuunt, quantum illorum est fidei auctoritati & sanctitati debitum, oratos uolo, ut quæ ab istis hominibus afferuntur, cùm ipsis ueris exemplaribus conferant. neque enim latere eos poterit, quantam iniuriam sanctis Patribus & toti antiquitati fecerint. Etsi enim aliis in rebus, quæ ad rerum gestarum historiam pertinent, fallantur nō semel; est tamen in illis decipi minus periculosum. In iis uerò quæ ad religionem attinent, ut periculosiora, ita & crebriora apud illos sunt atque intolerabiliora figmenta. Hæc ut nunc admoneam, inflāmata in proximos mihi in Christo coniunctissimos charitas cogit, cum præsertim uideam, hos libros, in eorū potissimùm manibus maximo cum applausu uersari, qui cum sanctos Patres aut nunquàm aut minus attentè legerint, his perditissimis auctoribus plus æquo fidunt.

SED ut ad sacrorum uoluminum obscuritatem reuertamur, si Patrum sententias, Kemnici, diligenter expendas, uidebis sanè, quàm multis sudoribus, omnes sacrarum literarum intelligentiam compararint, eos tamen semper excipio & secerno, qui miraculo insolentique Dei beneficio eam sunt gratiam consequuti, quæ alijs, magnis laboribus constitit. ut de magno illo Antonio Augustinus narrat. Diuus enim Hieronymus omni linguarum cognitione mirificè ornatus, testatur, se totam ferè adolescentiam in hisce studijs insumpsisse: neque

August. proœm. lib. 1. de doctr. Christ.

que ſeipſo tantùm præceptore fuiſſe contentum, ſed nunquam ceſſaſſe, doctos uiros conſulere, atque abditos ſcripturæ ſacræ ſenſus ab illis perquirere. Quam tamen diligentiam, cum non ſatis eſſe putaret, ad rem tantam comparandam, Alexandriam perrexit, ut Didymum egregium illius tempeſtatis uirum, etſi luminibus orbatum, conueniret, & ab illo ea omnia ſciſcitaretur, quæ ſibi in diuinis ſcripturis difficultatem afferebant. Hieronymi uerò præceptorem Gregorium Nazianzenum, & Baſilium, pietate, charitate, eruditione, uitæque inſtituto eius uerè ſociũ, ſplendidiſſima illa quidem duo Orbis lumina, tradit Ruffinus, diſciplinarum omnium, quæ ad humanitatem pertinent, cognitione mirificè ornatos, ad monaſterium, & locum ab hominum conſuetudine remotũ ſe contuliſſe, ibiq; per annos tredecim in ſacrarum literarum ſtudia incubuiſſe, earumque intelligentiam, non ex propria præſumptione, ſed ex maiorum ſcriptis & auctoritate eſſe ſecutos, quos & ipſos ex Apoſtolica ſucceſſione intelligendi regulam ſuſcepiſſe conſtabat. Si diui Auguſtini acre ac propè diuinum ingenium, & in euoluendis abſtruſis ſcripturæ ſenſibus incredibilem ſolertiam (ut par eſt) ſuſpicis, perlege quibus uerbis; D. Hieronymus eum hortatur, ne miretur, ſi in eius libris quædam à recta linea diſcedant, & calumniæ ac reprehenſioni pateant, cùm ſcripturæ adeò obſcuræ ſint, ut in illis falli non ſit difficile. Quare de ſcripturarum tam immenſa altitudine ut oculorum aciem præſtingat, ita cum Deo Auguſtinus loquitur, Mira profunditas eloquio-

Hierony. proœm. in epiſ. ad Epheſ.

Ruffinus lib. 2. c. 9

Inter epiſtol. Auguſt. epiſt. 14.

Confeſſio. lib. 12. c. 14.

quiorum tuorum, quorum ecce ante nos superficies blandiens paruulis, sed mira profunditas, horror est intendere in eam, horror honoris, & tremor amoris. Sanctissimus item, planeque diuinus Apocalypsis liber tāta est obscuritate inuolutus; ut ideò ab aliquibus de illius auctoritate, fuerit olim dubitatum. De illo tamen Dionysii Alexandrini, uiri sanctitate & eruditione illustrissimi apud Eusebiū, iudicium modestiæ pietatisque plenissimum, atque à uestra intolerabili arrogantia ualde alienum ausculta, Maiori de hoc libro (inquit) existimatione conceptâ, quàm ut à me possit intelligi, arcanam quandam & admirabilem in singulis illius capitibus futurarum rerum expectationem contineri suspicor. etenim ubi illum non intelligo, altiorem quendam sensum uerbis inesse cogito. neq; de istis meo intellectu inquiro, & iudico, sed fide potius acquiescens, sublimiora illa, quàm quæ à me intelligantur, esse puto; neque refuto ea, quæ non consideraui, sed magis admiror quod non & ipse perspexi. Has tu, quæso Kemnici, scripturas, agrestibus hominibus, colonis, sartoribus, rigidis opilionibus, fullonibus, uetulis, totique imperito uulgo, qui excolendo bonis artibus ingenio nauare nunquam potuit, cōmittēdas, esse, ut de illis sententiā ferant, arbitraris? Confer, quæso, quæ à uiris societatis Iesu in Coloniensi censura dicuntur, cum ijs sanctorum Patrū testimonijs, & uide, an diuersum quid aut dicant, aut innuant, & an tuorum sophismatum ui possis in aliam sententiam illorum uerba trahere.

Dionys. Alexan. apud Euseb. lib. 7. c. 25.

VIDEO quid suspiceris, & quàm temerè arbitreris,

ris,ſcripturarum lectionem eos interdicere rudi uulgo,niſi ipſorum doctrina ad regulam ſcripturæ ſacræ exigatur,eorum fides & eruditio ſimul cum religione,uiuendiq; inſtituto ſanctiſſimo periclitetur;quod ab errore imperitæ multitudinis potiſſimùm pendêre ducis.An non tibi ſat erat, Kemnici, uerborum, ſententiarumq; cenſuram tibi uindicare, niſi etiam animorum, intimorumque ſenſuum, & cogitationũ iudicium tibi arrogaſſes? Quibus oculis illorum mẽtem & intentionem,quæ ſoli Deo patet,perluſtrare potuiſti? quæ indicia tam iniquam ſuſpicionem tibi mouere potuerunt? Interdicunt quidem imperitæ plebi lectionem diuinorum librorum, fateor, ſed quo conſilio? quia ſcilicet, in ijs multa ſunt perobſcura, in quibus cũ hallucinari facilè quiuis poſſit, qui illorum lectionem uulgo hominibus permittũt, illorum fidem in apertum diſcrimẽ coniiciunt. Hoc, quæſo, eſt, nolle fidem ad regulam ſacræ ſcripturæ exigere,aut diuinorum uerborum iudiciũ detrectare? Non meminiſti,Colonienſes Patres principiò affirmaſſe,ſacram ſcripturam,fidei eſſe regulam certiſſimam, cui qui repugnat, miſerandis falſarum opinionum erroribus inuoluitur? Nam etſi non pauca ſint fidei arcana, quæ in ſacris literis apertè nõ explicantur,qui tamen ijs repugnat,quæ in diuinis literis continentur,impius certè,ac ſacrilegus, non minùs illorum,quàm ueſtro ſermone cenſetur. Quare omnia diuinarum literarum iudicio ita quidem metienda ſunt, ut nihil probemus ab ijs diuerſum, atque alienum, quæ ſcripta ſunt. fides tamen catholica nõ ita eſt ſcripturæ ſacræ finibus circumſcribenda, ac coarctanda,

arctanda, ut nihil credamus, amplectamur'ue, quod in sacris literis scriptũ nõ sit. Nã etsi oĩa sacris literis cõprehẽsa, uerissima sint, oĩq; erroris suspiciõe prorsus libera, nõ tñ oĩa, quæ Christiana fides credit, religio ueneratur, sacrarũ literarũ sunt monimẽtis cõsignata. Age igitur, Kẽnici, liberè & curiosè exige quæcũq; in Coloniẽsi censura à uiris societatis Iesu dicũtur, ad normã sacræ scripturæ: audacter cõfer illorum placita cum diuinis oraculis, à quibus si quid abhorruerit, tibi herbam porrigam, & in illos te ipso etiam acerbius inuehar insectaborque uehementius, & quem ad illos defendendos conatum adhibeo, totum ad oppugnandos conuertam. Solum enim mendacium tenebris gaudet, ueritas uerò lucem amat: neque iudicis æqui conspectum reformidat. Sed si de ipsius scripturæ sacræ uero sensu (quem non semper peruium esse, sed aliquando in obscuro delitescere ostendimus) quæstio oriatur, quis dirimendæ controuersiæ modus erit? quem iudicem sumemus? quis controuersiam sedabit? Nam dum quisq;, quæ sibi magis arridet, interpretationem mordicus defendendam suscipit, minimè quidem potest quid uerius sit, aut cum scriptura sacra magis consentiat, ulla ratione patêre. Cum uerò omnis excitata controuersia legitimis iudicibus dirimatur, quem legitimũ magis iudicem asciscere in quæstione de scripturæ sensibus possumus, quàm Ecclesiam ipsam, cui interpretandi scripturas spiritum promisit Christus? Quòd si ut apertè paulò ante demõstrauimus, ad Ecclesiam pertinet, ea proponere, quæ fidelibus necessariò credenda sunt, hoc sanè proponendi munus,

Scripturas interpretari Ecclesiæ est.

tam est cum interpretandi functione coniunctum, & copulatum, ut disiungi ac separari nulla ratione possint. Nam cùm fides non feratur in externa scripturæ uerba, sed in ea fidei mysteria, quæ illis uerbis significantur, an'non fucatus ac fallax proponendi modus est, si diuina tantùm uerba & incognita suppedit, & illis uerò obuoluta sacra initia minimè aperire possit? Qui legendi imperito librum, in quo omnia fidei mysteria continerentur, porrigeret, & literarum Hebraicarum ignaro scripturæ sacræ uolumen Hebraicis literis conscriptum exhiberet; poterit'ne unquam ita insanire, ut dicat, se rudi huic & imperito homini proposuisse & demonstrasse quæ credere illũ oporteat? Cùm igitur permulta scripturæ sacræ loca uulgari lingua conscripta nihilo sint nobis persæpe clariora, quàm Hebræa, eius linguæ ignaris esse poterunt, quis dubitare queat, illius esse scripturam sacram exponere, cui fidelibus proponere quæ credẽda sunt, ex officio incumbit? neque enim aliter officio suo fungi ullo modo poterit. Quod D. Paul. apertè his uerbis docet, Nunc autem si uenero ad uos linguis loquens, quid uobis prodero? nisi uobis loquar, aut in reuelatione aut in scientia, aut in doctrina, id quod in Musicæ instrumẽtis apertè demõstrat, Tamen, inquit, quæ sine anima sunt uocem dantia, siue tibia, siue cithara, nisi distinctionem sonituum dederint, quomõ scietur id, quod canitur, aut quod citharizatur? Etenim si incertam uocem det tuba, quis parabit se ad bellum? Ita & uos per linguam nisi manifestum sermonem dederitis, quomodo scietur id, quod dicitur? Eritis in aera loquentes. *1. ad Corint. c. 14*

O 2 cum-

Cumque longa oratione id ipsum amplificat, perspicuum tandem facit, inane esse, si diuina oracula is Christianæ plebi proponat, qui non est diuino spiritu donatus, quo illorum difficultates possit aperire. Quare qui interpretandi scripturas officium, & auctoritatem, cum summa sapientia coniunctam, Ecclesiæ denegat, non Ecclesiæ modò, sed diuino etiam Spiritui illius rectori, atque gubernatori, insignem ignominiam inurit. Quô enim, quæso, semper spectauit Conciliorum frequentia, & cunctis retro sæculis illorum sacrosancta auctoritas, cùm ingens aliqua de fide, atque religione digladiatio excitabatur, & de scripturæ uero sensu inter Catholicos & hæreticos controuertebatur? Quorsum tota Ecclesia unum in locum conueniebat, illiusque decreta ut diuina oracula pij omnes complectebātur, si aut diuina uerba ualde omnibus sunt manifesta, aut de abditis scripturæ sensibus sententiam ferre,
Can.19. Ecclesiæ munus proprium non est? Quare sapienter admodum in sexta synodo diffinitum est, ut omnes, qui Ecclesiis præsunt, diebus Dominicis populum doceant: et si quā ad scripturam pertinens controuersia excitata fuerit, non aliter quàm ex sententijs Doctorum ab Ecclesia probatorum dirimatur; maioremque laudem ex illorum sensibus, quàm ex proprijs, intelligant se consequutos. Age uerò, Kemnici, perpendamus, quis magis ueritatem uereatur, quis uehementius scripturæ sacræ seuerum iudicium formidolosè declinet, ij'ne, qui in perobscuris scripturæ locis Ecclesiæ grauissimorum hominum auctoritatem, integerrimæ antiquitatis
iudicium,

iudicium præstolantur, aut qui hanc clarissimam lu
cem declinantes, imperiti uulgi, lixarum, calonum, opilionum, insanæq; multitudinis sententiam auidissimè quærunt? Ad horum uos sanè iudicium prouocatis, istos uestræ causæ iudices expetitis, istorum sententiam in diuinis uerbis optatis, quos facilè posse à uobis circunueniri quibuscunque uerborum lenocinijs longa experientia didicistis. Nos uerò, qui ueritatem unicè charam habemus, imperitæ multitudini, quæ non delectu aliquo, aut sapientia, sed impetu potius & quadam temeritate ad iudicandum ducitur, in re tanta iudicium aspernamur; clarissimam Ecclesiæ Prælatorumque lucem, quos Christus audiendos esse uoluit, sententiam, & auctoritatem ueneramur; conciliorum decreta, antiquorum Patrum sanctissimorum & doctissimorũ interpretationes, summorumque Pontificum iudicium, qui spiritu Christi ad docẽdum, simul cum ipsius uicario munere sunt exornati, exosculamur; horum iudicio standum esse, quando de diuinis uerbis quæstio oritur, arbitramur. qui enim ad colores discernendos, cœcos aduocat, an non falli ac decipi affectat? Quæ igitur maior temeritas excogitari potest, quàm, Ecclesiæ luce relicta, ad cæcutientis multitudinis iudicium confugere? an non apertè demonstratis, non ueritatem uos, sed decipiendi miseros & ignaros homines modum diligẽter quærere? cum tales iudices efflagitatis, qui de comicis histrionibus, mimis, ac parasitis, qui ad auram popularem captandam se totos fingunt, potius quàm de uerbis Dei, sententiam ferre apti sunt? At, inquis,

quis, nullis alijs iudicibus quàm eadem ipsa sacra scriptura opus est, illa sui ipsius est præclarissimus expositor. ex clarioribus enim eius locis satis esse poterit perspicuum, & manifestum, quis sit obscurioris sensus. Sed quid tandem, Kemnici, fieri oportet, si quem tu locum clariorem esse, & obscurioris interpretem ducis, ego diuersam longè sententiam continere ualdeque dissimilem existimem? Cadere enim sæpe potest, ut loci illius, quem tu obscurioris interpretem asciscis, sententia plana & aperta sit, minimè tamen erit apertum, esse obscurioris, de quo controuertimus, eandem germanamque sententiam. Nam etsi tibi concesserim, nihil obscurum esse in uno loco, quod in alio non sit apertius & explicatius, (quod tu causæ quasi fundamentum collocas) minimè tamen concedam, semper constare posse, obscuri huius loci sensum, illum esse, quem his aut illis apertioribus uerbis scriptura explicauit. Aliter enim omnes iam scripturæ sacræ recessus paterent, omnesque illius essent difficultates enodatæ, atque nihil in illa esse potuisset tam reconditum, quod ex clarioribus locis non euaderet Patribus, & maioribus nostris manifestum. Quod ipsi non modò non agnouerunt, sed multa esse dicit, Irenæus tam recondita, ad quæ mortalium nemo possit penetrare; sed quæ soli diuinæ cognitioni committenda sint.

SED Kemnicius arbitratur, Coloniensis censuræ compositores, ueteratoriè omisisse distinctionem illam, quæ tam apud Irenæum, quàm apud Augustinum extat; omnia scilicet ad fidem moresque uiuendi

uendi neceſſaria, inueniri in planis & apertis ſcripturæ ſacræ locis, etſi multa in ea ſint ualde difficilia & obſcura. . Vt uerò de Auguſtino primùm loquar, fateor illum non ſemel id planè & apertè aſſerere. Ita enim ſcribit, Magnificè igitur & ſalubriter Spiritus ſanctus, ita ſcripturas ſanctas modificauit, ut locis apertioribus fami occurreret, obſcurioribus autem faſtidia detergeret. nihil enim ferè de illius obſcuritatibus eruitur, quod non planiſſimè dictum alibi reperiatur. Quæ uerba de ijs eſſe myſterijs intelligenda, quæ credere hominem neceſſe eſt, non obſcurè idem Auguſtinus docet, ad Voluſianum ad hunc modum ſcribens, Tanta eſt, inquit, Chriſtianarum profunditas literarum, ut in eis quotidiè proficerem, ſi eas ſolas ab ineunte pueritia, uſque ad decrepitam ſenectutem, maximo ocio, ſummo ſtudio, meliore ingenio conarer addiſcere. Non quod ad ea, quæ neceſſaria ſunt ſaluti, tanta in eis perueniatur difficultate.

Auguſt. lib. 2. de Doct. Chriſtiana.

Epiſt. 3.

IRENAEVS uerò contra Valentinianos agẽs, qui præter unum Deum omnium fabricatorem, aliud principium & Deum eſſe tradebant, idq; ex obſcuris & parabolicis ſcripturæ ſacræ locis perſuadere nitebãtur; apertis uerbis ait, regulam ipſam ueritatis in ſcripturis ſacris in aperto poſitã eſſe: ſatisq; ex ipſis conſtare, unum eſſe deum, qui omnia fabricauit, conſeruat, & procurat. Quare nihil magis decere hominem Chriſtianum, quàm in hac Dei clara & dilucida cognitione immobiliter hærere, animumq; ſuum pro innumeris à Deo acceptis beneficiis charitate augere. Quòd ſi multa in ſcripturis offenderit

rit quorum intelligentiam consequi minimè possit, alterum tamen Deum præter eum, qui est non requirat. Quod ego sic interpretor, ab ea tamen fidei persuasione, quam ex scripturæ planis locis est consequutus, diuelli se nulla ratione patiatur. Persuasi enim (inquit) esse debemus, sacram scripturam à Dei uerbo ac spiritu dictatam esse: quare perfectissima est, nihilq; continet non magnum, egregium & uerum. Sed tamen minimè mirandum est, si cœlestia mysteria, & quæ diuina reuelatione opus habent, nos lateant, quos eorum etiam, quæ quotidie manibus uersamus, & oculis ītuemur, multa fugiūt. Quod cum multis doceat exemplis, & rationibus, tandem concludit, multa in iis, quæ in scripturis sanctis posita sunt, Deo committenda esse: illiusq; cognitioni reseruanda. Diuina enim prouidentia ita sacras literas temperauit, ut in iis semper sint, quæ homo discere, quæq; Deus docere possit, tam in hoc, quàm in futuro sæculo: & inter hæc exempli gratia numerat hāc quæstionem, Antequàm mūdum faceret Deus, quid agebat? Quo exemplo ita triumphat Kemnicius, acsi Irenæus significare uoluisset, talia esse cuncta, quæ in diuinis latent scripturis: quæ scilicet neque ad fidē augendam, confirmandam aut amplificandam, neq; ad mores informandos ualeant. Non tamen aduertit, Irenæum hoc exemplo usum fuisse, quia contra Valentinianos, cum quibus illi res erat, ualde esset accōmodatum, & ex causæ uisceribus desumptum.

QVAE sententia à me fuit latius fortè, quàm par erat explicata, quia magnam spem in ea collocat Kemnicius persuadendi, scripturæ sacræ obscuritatem

tem minimè impedimento esse debere, quominus à uulgo promiscuè legatur, cùm omnia ad salutem necessaria nullis sint obstructa difficultatibus, nullisq; obscuritatibus inuoluta; atque ideò truncatè, & decurtatè in Coloniensi censura prolatam fuisse, petulanter calumniantur. Illam uerò qui consideratè perpenderit, facilè intelliget, ita ea, quæ ad salutẽ sunt necessaria, apertis esse uerbis in sacris literis explicata, ut quæ latent, eius modi sint, in quibus facilè decipi, ac falli, Valentinianus, eiusque sectatores potuerint. Quod periculum quá nam quæso ratione imperita plebs euadere poterit? Nam ut tibi liberaliter demus quod tantopere præter rem optas, omnia scilicet, quæ quemuis credere, ac agere necesse est, in scripturis satis esse explicata, consequi'ne inde putas nihil periculi in obscuris esse scripturæ locis? O egregium dialecticum, ô subtilem & acutum disputatorem. Ignoras'ne, homo dilserte & argute, permulta esse, quæ ignorare tutò quis potest? in quibus tamen errare ac falli nemo sine magno scelere, & aperto fidei discrimine potest? multaq; esse Christianæ fidei arcana, quæ quidem omnes comperta habere minimè tenentur; quorum tñ oppositum sibi obfirmato & pertinaci animo persuadere, impietas est, cum summo scelere coniuncta? Quot in tuis hisce scriptis sunt temerariè asserta, procaciter scripta, pertinaciter defensa, quæ præstaret cum multis ignorare? Quot portenta in Ecclesiam inuexerunt Adamiani, Gnostici, Apostolici, Melchisediani, Sabelliani, Encratici, Manichæi, Donatistæ, Pelagiani, atq; reliqui mõstrorũ inuẽtores, & excogitatores, curiosa aliquo

P rum

rum mysteriorum indagatione, quæ si perpetuò deli tescerent, potuissent quidem sine periculo à fidelibus ignorari? postquàm tamen excitata, multorumque furore uentilata ac deprædicata sunt, in illis errare sine funesta animorum strage, multorumq; perditione non potuerunt. Nam cùm D. Augustinus cæteriq; sancti Patres docent, omnia ad salutem necessaria in propatulo loco posita esse, haud quidem sentiunt, omnia fidei mysteria patere, sed illa solùm, quæ ignorare nemo fidelis, sine crimine potest. Multa hanque in scripturis delitescere, quæ ex hæreticorum insania & deliriis occasione accepta sunt illustrata, idem August. sæpe docet. ita enim scribit, Multa quidem ad fidem Catholicam pertinentia, dum hæreticorum callida inquietudine exagitantur, ut aduersus eos defendi possint, & considerantur diligẽtius, & intelliguntur clarius, & instantius prædicantur, & ab aduersario mota quæstio, discendi existit occasio. Et in epistola, quam citat Kemnicius, & cuius nos uerba paulò ante retulimus, Postquàm ait ad necessaria saluti non tanta perueniri difficultate, mox addit, Sed cùm quisq; ibi fidem tenuerit, sine qua piè rectéque non uiuitur (uide Kemnici quæ patere in scripturis dicat Augustinus) tam multa, tamque multiplicibus mysteriorum umbraculis opaca, intelligenda proficientibus restant; tantaque non solùm in uerbis, quibus dicta sunt, uerùm etiam in rebus, quæ intelligenda sunt, latet altitudo sapientiæ, ut annosissimis, acutissimis, flagrãtissimisque cupiditate discendi, hoc contingat, quod eadem scriptura quodam loco habet, Cùm consummauerit homo, tunc

Augusti. lib. 16. de ciui. c. 2.

Augusti. Epist. 3.

tunc incipit. Finge igitur, in eum locum, quem Augustinus describit, non modò uerbis, sed rebus etiã obscurissimum, ut quis incidat, an non poterit illa abstrusa mysteria sine salutis periculo ignorare? quæ tamen si uelit sibi nimio plus fidens, curiosè & audacter perscrutari, non'ne impia atque sacrilega opinione sese facilè induere poterit? An'non ex pio impius, ex catholico, fidei desertor, ex religioso nefarius euadere facilè poterit? His profectò exordiis quàm plurimæ hæreses natæ sunt: hoc quasi pabulo altæ, auctæ, & in immensum propè amplificatæ, longè lateque peruagatæ sunt. neque alia quidem ratione uestræ conseruari hucusque potuerunt: è quibus perpaucæ admodũ in iis rebus uersãtur, quas explicatè, enodatè & distinctè siue, ut Theologi nostri loquuntur, explicitè rudem plebem scire oporteat; aut quarum cum ignoratione pietas, religio, diuinusq; amor existere, augeri, conseruarique non satis possit. Cum tamen imperita plebs uestris consiliis importunisque suasionibus decepta, & altius sapere quàm ipsius uitæ institutum patiatur, & de religionis nostræ arcanis mysteriis scripturarum temeraria lectione iudicare uult, pari uobiscum scelere & impietate inuoluitur.

ETSI enim Christianæ religionis fundamentum in fide positum sit, non tamen ad unum omnes, una, eademque lege tenemur sed, pro muneris captusque ratione, diuina sapientia obligationem temperauit. Nam qui Ecclesiæ sunt pastores, doctorumque munere perfunguntur, explicatius credere astringuntur omnia, quæ Ecclesia uera esse docet:

& ita esse instituti debent, ut cùm necessitas postulauerit, errores exortos refellere, pseudo Euangelistas redarguere, fidei aduersarios profligare, Satanæ emissarios ab Ecclesiæ finibus propulsare, probè sciant. Cùm enim illorum potissimum sit munus, super gregem sibi traditum semper animo excubare, doctrina sana uitæque inculpatæ exemplo eum pascere, fide instituere, Christianamque disciplinā docere, quis erit tam bardus, qui ignoret, oportere illos eisdem præceptis abundare, quibus alios instituere debent? talibus esse disciplinis instructos, quibus fidei, cuius sunt doctores, rationem reddere, præclarè ualeant? talibusque armis esse munitos, quibus gregem sibi traditum à luporum morsibus ualeant uindicare? Neque enim de his, quæ ignorat, iudicium ferre quis commodè potest. Quare Diuus Paulus in potissimis Episcopo necessarijs uirtutibus, ad Titum Cretæ Episcopum scribens numerat, amplecti eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, siue debere ἀντιχέσθαι hoc est animi sensibus illum comprehensum ac notatum habere, ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere. Neque dissimilis est Diui Petri sententia, qui, non satis esse putat, si Ecclesiæ maiores in fide sint apprimè instructi: nisi & de ea, quæ in ipsis est spe, rationem reddere probè norint.

ad Titū c. 1.

Petri 1. c. 3.

IAM equidem uestros cachinnos, atque in quorundam Episcoporum ignorantiam schommata præsentio: quam tamen Ecclesiæ calamitatem, non esse minimam confiteor, illamque cum Hieronymo & Chry-

& Chrysostomo simul lugeo; lugeo (inquam) non eorum Episcoporum solùm, sed omnium communem miseriam, eoque impensius lugeo, quo illis uos magis deuincti, & obligati estis, magisque uestris impijs conatibus improuidè fauerunt. Prælatorum enim partim inscitia, partim negligentia factum est, ut uestra impietas tantopere aucta, tam latè propagata, atque tandiu conseruata permanserit. Si enim talibus pastoribus Christi Ecclesia fruerentur, qui Lutheri tui nefarijs conatibus, & scirent, & ualerent obsistere: ouesque suas uel uita sanguineq; redimere uoluissent, fuissent quidē haud dubiè illius impiæ blasphemiæ in ipsis quasi faucibus cōpressæ. Quare me ualde pudet, quòd illos neque possim omnes, neque debeam excusare. non enim inficior, tales esse aliquos Episcopos, qui cùm instruendi alios munus libenti animo susceperint, tanta nihilo secius diuinarum rerum ignoratione laborant, ut Doctorum tam sui, quàm ouium causa egeant patrocinio. quos tamen confitemur eò in maiori periculo uersari, quò lubentius prouinciam susceperunt, quam minimè sustinere posse sciebant, aut certè ignorare non debuissent, sæpe enim fit, ut D. Chrysostomus auctor est, ut Ecclesiæ Christi antistites, qui uitam agunt innocentissimam, & ab omni sibi scelere temperant, alienorum scelerum, qui bus uerbo & auctoritate ocurrere atque obsistere debuissent, causa damnentur. Quare nos Ecclesiæ fidem ità suspicimus, obseruamus, exosculamur, ueneramur; ut ministrorum illius næui, quibus est commaculata, & quibus prorsus carere quandiu do *Chrysost. in Ioan. hom. 85.*

mos luteas habitauerit, non potest, nobis ualde displiceant. de quibus non possumus sine multis lacrymis, & magno dolore cogitare, diuinamque bonitatem ut eos diluat, obnixè studioséque precari. Verùm quemadmodum perditorum hominum latrocinia, diuinæ legis uim atque integritatem, qua prohibentur, non tollũt; & reliqua sceleratorumcrimina, diuinorum decretorum sanctitatem non minuunt, ita neque quorundam Prælatorum inscitia tollit, quominus, natura etiam ipsa docente, teneantur, in diuinis scripturis, Ecclesiæ fide & disciplina ij esse perquàm instructi, qui docendi alios munus sustinent. Aequitatis enim iustitiæque ratio postulat, ut tantò quisque in diuinarum rerum cognitione alios excellat, quantò Ecclesiastica dignitate longius antecellit.

VERVM plebs cuius potissimum est munus, maioribus fidem adhibere, & eorum præceptis obtemperare, non dubito quin præcipua fidei capita credere explicitè obligetur; ut pote, Deum trinum esse ac unum; Dei filium nostra sese mortalitate induisse, cruci affixum fuisse; mortem oppetiuisse, ut hominum scelera dilueret; à mortuis resurrexisse; ad cœlos conscendisse; sub panis uinique specie bus, uerum subesse Christi corpus ac sanguinem, ac tandem reliqua omnia Christi mysteria, quæ Ecclesia anniuersaria celebritate colit. Sunt enim Ecclesiæ festiuitates, ac reliquæ ceremoniæ, tacitæ quædam uoces, & perennis doctrina, qua Christiana plebs fidei mysteria discere, atque ad gratiam & charitatem beneficiorum commemoratione incita-

ri possit. Quare uix ulla esse potest tanta ruditas, quæ hæc ignorare sine crimine queat, si præsertim non desint, qui plebē instruant, tacitasq; hasce Ecclesiæ uoces explicent. Abstrusiora uerò magisque recondita religionis nostræ mysteria, satis erit, si rudis plebs implicatè credat, confiteaturque omnia, quæ sacris literis continentur, & catholica docet Ecclesia, uera esse: parataque sit animo, ea tunc explicatè credere, cùm illi constiterit, inter fidei placita contineri. quibus profectò armis contra omne infidelitatis genus satis erit tuta. neque possum, non illorū sententiam maximè commēdare, qui existimāt, nō fore consultum, plebis fidem subtilius indagare, aut perdifficiles & perobscuras de religione nostra quæstiones coram illa copiosè discutere; cùm neq; uiuendi genus, neque ingenium illis habeat accommodatum. nisi fortè hæreticorum prauitate & impietate imbuta, deceptionibusque hallucinata fuerit; tunc nanque nullum est prætermittendum persuasionis genus, nullum tam reconditum abstrusumque mysterium esse potest, quod non sit illi explicandum, ut ab impietate ad pietatem ueramque fidem reuocari possit. quod ut luculentius pateret, libenter admodum retulissem integram Imperatoris Constantini Magni epistolam, pietatis prudentiæque plenissimam, qua Alexandrum Alexandriæ Episcopum, uirum sanctissimum, & Arriū hæreticum carpit, quòd perobscuras de Trinitate quæstiones coram plebe principiò discusserint, Qua incōsiderantia pax turbata, mutua charitas, populo in diuersa studia diuiso, in graues inimicitias conuersa, fides labefactata est, omnesq;

D. Thomas, secunda secundæ. q. 2. art. 6. ad secundum.

Euseb. li. 2. de uita Cōstātini et Socrat. scol. lib. 1. c. 7

omnesque illæ tragœdiæ atque incendia, quibus Ecclesia tandiu conflagrauit excitata sunt. aliquot tamen uerba non possum non transcribere, non minus Kemnicio, quàm Arrio accommodata. Quantus est (inquit) unusquisque hominum ut possit ita magnarum rerũ, & ualde difficilium uirtutem, aut ad perfectũ inspicere, aut interpretari dignè? Aut si quis hoc facere (difficilimè tamen) possit, quantæ parti populi suadebit? aut quis tantarum quæstionum subtilitates extra lapsus sui periculum sustinebit? Ergo fugienda sunt in talibus multiloquia, ne fortè dum infirmitati nostræ minimè, quod proponitur, explicatur, mente discentium creditorum profundiori intellectu, ad perfectam quæstionis perceptionem peruenire non ualente, ad necessitatem blasphemiæ aut schismatis, populus adducatur. Neque diuersum sentit Magnus ille Dionysius Areopagita, Pauli auditor, qui admonet Timotheum, ut recondita illa mysteria, quæ ipse de Ecclesiastica hierarchia scribit, nemini tradat, nisi æqualibus suis reuerendissimis præsulibus, quibus sacratractare institutum est, Ipsosque (inquit) pontificio iure monebis, munditer ut munda contingant, solisque communicent diuina diuinis. Et paulò inferius testatur, ab Apostolis fuisse institutum, ut sacræ res corporearum, & aspectabilium rerum inuolucris tegerentur; ceremoniisque occultarentur; ne uniuersa plebs ea tractaret, quæ minimè capere poterat. Quis uerò ita insaniet, ut Apostolos arcanorum mysteriorum cognitionem plebi inuidisse dicat? quam ut à nefario dæmonum cultu, ad ueram religionem Deique certam cognitionem

Dionys. lib. de Ecclesias. Hierarchia. C. 1.

gnitionem reuocarent, nullum non laborem pertulerunt? At diuino Spiritu afflati, prudentissimè existimauerunt, tamdiu plebis fidem saluam ac tutam fore, quandiu se intra suos terminos contineret, neque ea uoluisset curiosè perscrutari, quæ quidem cum ad salutem minimè necessaria essent, ad peruestigandum certè ualdè erant lubrica & periculosa. Quod D. Basil. uberius ac fusius tradidit. *Basi. lib. de Spiritu sācto.*

SCIO maledicta & probra, quæ in nostros theologos asperè, ferociter, & liberè cõfers, propter distributionem illam fidei in implicitam & explicitã. Fidẽ enim implicitam, *Babylonicam seruitutem* appellas, *quæ nec sciat, nec cogitet, nec quærat num incertis & perspicuis scripturæ testimonijs fundata sit, sed tãtùm seruet. C. Si Papa. Est enim* (inquis) *fides implicita simpliciter seruilis opinio, non ex uerbo Dei, sed ex humana persuasione concepta. Atquì hæc non est uera illa fides, quam scriptura celebrat.* *De fide implicita, & explicita.*

TAM crassa inscitia, rerumque, de quibus agitur, tanta ignoratio, simplex quidem docendi genus potius, quàm acrem disputationem requirit. Neque enim fieri potuisset, ut fidem implicitam tam acriter insectareris, & tam turpiter uituperasses, si illam aliqua ex parte cognitam atque perspectam habuisses nisi tam es insolens & amens, ut omnium te diuinorum consiliorum participem esse, & in omnia scripturæ sacræ arcana penetrasse (quod nemini hominum adhuc contigit) arbitreris. Cùm enim implicitum illud dicatur, quod aliqua in re absconditum latet, fides implicita, constans est ac firma persuasio, quòd omnia sacris literis contenta, & ab Ecclesia credita, uera sint; quantumuis mihi ignota sint. Omnis e- *Quid sit fides implicita.*

Q nim

nim fides implicita in re aliqua explicitè & enodatè credita fundatur. Omnes uerò cùm implicitè credamus, sacram scripturam à Deo reuelatam fuisse, atq; adeò diuinam ueritatem continere; etsi certò sciamus eorum, quæ ibi continentur, multa nostram cognitionem fugere, firmiter tamen omnes cuncta diuinis literis comprehensa uera esse credimus, quæ cumprimùm diuina bonitate enodata, Ecclesiæque reuelata claruerint, & in illorum cognitionem quis uenerit, explicatè tum illa credere incipiet, quæ implicatè, hoc est, in fide scripturæ sacræ occultata credebat. Qui igitur implicitam omnem fidem execratur, an non satis prodit, se aut sola illa scripturæ loca uerà esse existimare, quæ intelligit, aut arbitrari omnia illius penetralia ita lustrasse, secretaq; ita habere cognita, & animo comprehensa, ut nullius intelligẽtiam desiderare possit? qua insania, quæ maior esse potest? Sancti enim Patres fidem sapienter ad modum cum luce compararunt; quæ cùm principio obnubilata appareat, magis tamen ac magis consequẽter splendescit. Multa enim fidei mysteria illis fuerunt quondam ignota, quæ nobis sunt nunc comperta satis, & explorata. Cum tamen omnia sacris literis complexa uenerarentur, & suspicerent, multa sanè implicitè illi crediderunt, quæ nos explicitè & enodatè credimus. Neque dubium cuiquam esse potest, secretorum Dei thesaurũ adhuc exhaustum minimè esse; sed multa superesse uenturis temporibus reuelanda, nobis prorsus ignota. Quocirca fidem implicitam, abominari & detestari, est aut effrenati præcipitatiq; furoris, aut profligatissimæ & perditissimæ impieta-

impietatis indicium. Interea uerò quæ Christianorum uulgus explicatè credit, hoc unum profectò est maximè necessarium, unam scilicet esse Ecclesiam Catholicam & Apostolicam, quæ columna est, & firmamentum ueritatis. Cum uerò omnia, quæ hæc Ecclesia credit, particulatim ille nosse, aut propter ingenij tarditatem, aut doctrinæ inopiam non possit, quēadmodum reliqua omnia fidei mysteria implicata in articulo de Ecclesia continentur, ita uulgus implicatè illa credere, quæ explicatè minimè nouit, censetur, cum ueram illam & incorruptam fidem esse animo obfirmato, & sine ulla dubitatione credit; quàm hæc Ecclesia colit, & obseruat. Quàm ineptè uerò à te dictum sit, hanc uulgi nostri fidem, non ex uerbo Dei, sed ex humana persuasione conceptam esse, satis is perspiciet, qui humanis persuasionibus, non alia ratione Christianum populum fidem adhibere intelligit, quàm quia diuinis uerbis illas niti certò credit. Neque enim Ecclesiæ Catholicæ fidem certissimā esse, alio nomine fideles persuasi sunt, quàm quia diuinis oraculis illam inniti & sustentari, exploratum habent. Quare qui persuasionibus ministrorū Ecclesiæ parēt, magis quidē diuinis se uerbis, quàm humanis persuasionibus credere constāter arbitrantur. quia enim non humanas sed diuinas uoces illas esse ab humano ore emissas ducunt; omni mentis elatione semota, intellectum sub iugum fidei mittūt, in obsequium non hominis quidē, sed Christi. Nihil enim ad ueritatem, certamq; rei cognitionē refert, uerbo'ne an scriptura illa tradatur. Vt autē cùm sacras literas perlego, non chartæ aut atramento cha-

primæ ad Tim. c. 3.

racteribus'ue ipsis, sed scribentis auctoritati fidem adiungo, ita & dicentis Dei auctoritas, cuius uoces audire puto, cùm Ecclesiæ ueros ministros audio, me sola mouet, ut magnas & à uulgari sensu maximè remotas res, firmiter credã. Quare quẽadmodum qui ex sacris libris diuina quædam mysteria haurit, recõditaq; in illis alia ueneratur, nõ characteribus ab hominibus compositis, scriptori'ue ipsi, sed diuinis uerbis, quæ ibi contineri certò credit, se fidem adiungere arbitratur; ita qui ministros Ecclesiæ audit, illorũ monitis & præceptis paret, diuinis uocibus parêre, non humanis persuasionibus commoueri, arbitratur. Cùm præsertim eadem Ecclesia, quæ scripturam illam diuinam esse testatur, hæc in illa contineri; & uera esse doceat: cuius testimonium aut ubiq; contẽnendum, aut ubiq; certè amplectendum est. Quare consideratè admodum ab aliquibus magni nominis Theologis dictum est, quòd si quis rudis, & imperitus in aliquibus abstrusis magis & reconditis fidei mysteriis, quæ ille explicitè credere minimè astringitur, ab Ecclesiæ primoribus, quos fideles esse iudicat, decipiatur, non est fidei proditor & hæreticus habendus, quandiu errori pertinaciter non adhæserit, sed ueram se Ecclesiæ fidem tenere imperitè iudicauerit. quales apud uos aliqui esse fortasse poterunt, quibus non minùs ingenii tarditas rerumque omnium ignoratio, in tanta religionis perturbatione, fideiq; iactura salutis occasio sit, quàm uobis eruditionis insolens ac uana ostentatio, Euãgeliiqque inanis opinio sempiternum interitum certò afferet, nisi aliquando diuino beneficio resipiscatis:

Caietanus secũda secundæ.q.2. act.3.

tis :

tis. fidem enim Christiana plebs in abstrusioribus fidei quæstionibus, Ecclesiæ primoribus ideò solùm adhibet, quia uerum illos & incorruptum Ecclesiæ sensum, conseruare iudicat: cui tanquàm ad immotam quandam columnam adhærescit.

At non memineram te calumniandi effrenata libidine ita insaniuisse, orationemque tam temerè præcipitasse, ut *omnẽ illam fidem falsam esse* dicas, *serui tutemque Babylonicam* appelles, *quæ nec sciat, nec cogitet, nec quærit, num incertis & perspicuis uerbi Dei testimonijs fundata sit.* Quæ si uera sunt, ò infelices agricolas, miserandas anus, infelix, sordidum, & abiectum uulgus, duram & crudelem eorum fortunam, qui nec characteres ipsos nouerunt, neque unquam sacras literas legere præ ingenij tarditate poterunt. Quam enim, quæso, salutis uiam ingredi poterunt? quis aditus illis ad Christum patêre poterit? Sine fide impossibile est placere Deo: fides, quæ nescit, an in perspicuis uerbi Dei testimonijs fundata sit, uera (ut ais) non est: id sine sacrarum literarum cognitione esse non potest, illas legendo terere rudes omnino, & ignari non possunt. Quæ iam igitur illis relinquitur salutis spes? quam poterunt salutis consequendæ rationem inire? cum antea ex Christi & Pauli uerbis didicissem, fidem & constantem persuasionem de articulis fidei, cum ardenti charitate coniunctam, ad salutem consequendam satis esse, nullam esse existimabam tantam ingenij tarditatem, nullas tam barbaras & incultas gẽtes, quibus non esset ad Christum facilis aditus; cum præsertim quæ ad fidem necessaria esse diximus, capere quiuis possit; & ad Hebr. 11.

chari-

charitatem Spiritus ſancti impulſu omnes incitentur. Nunc uerò cum audio ſine ſacrarum literarum cognitione, egregiaque doctrina, fidem conſtare non poſſe, incipio iam (ſi Kemnicio fides habenda eſt) de agreſtium hominum ſalute deſperare, ſolisq; peritis uiris, regnum cœlorum patêre poſſe arbitrari. Vt uerò reliquas gentes duras, agreſtes, nullaq; re magis quàm mentis ſtupore inſignes taceam, ſolosque Aethiopes commemorem, quorum plurimi iumentorum ruditatem potius, quàm hominum ingenium præſeferunt, adeò ut magna cum difficultate, & aſſidua conſuetudine, uix Dominicam orationem, Apoſtolorum ſymbolum, præcipuaque fidei noſtræ capita retinere, aut capere poſſint; nullam'ne illis ſalutis ſpem reliquam facies? gratis pro illis Chriſtum mortuum fuiſſe iudicabis? Non te pudet Chriſti benignitatem, Euangelij ſuaue iugum, in tantam immanitatem & crudelitatem cõuertere? Omnes neruos ſi ſylueſtris quiuis homo ad Chriſtianam diſciplinam capeſſendam comparet, articulos fidei memoria complectatur, ac conſtantiſſimè credat, Deum totis uiribus totoque animi affectu diligat, ſacras tamen literas nec aſſequi, nec mente retinere ullo modo poſſit, huic erit'ne aliqua ſalutis ſpes relicta? Si nulla, ſatis quidem patet, huic perditionis cauſam non tam eſſe animi peruerſitatem, quàm naturæ ipſius hebetudinem, & ſtuporem, quas naturales affectiones neque in laude, neque in uituperio ponendas eſſe ſancti Patres ſemper cũ philoſophis omnibus iudicarunt. Si uerò ad ſalutẽ aditus ei patêre adhuc poteſt, eſt igitur in illo uera

fides

fides: etiamsi nesciat, quibus diuini uerbi testimonijs fundata sit. Diuum Antonium eremitarum omnium parentem, quem meritò omnis est admirata antiquitas, literarum cognitionis omnino expertem, ac rudem per diu extitisse, diuinorumque uerborum præclaram cognitionem, tandem fuisse peculiari Dei beneficio consequutum, tradit D. Aug. Atque item seruum quendam barbarum triduanis precibus, ut legendi peritiam consequeretur, Deũ exorasse. Hos igitur antequàm talibus à Deo cumularentur beneficijs, uera fide fuisse destitutos dices? Cùm tantum gratia apud Deum ualebant, ut maximũ hoc donum impetrare potuerint, neque semina quidem Christianæ religionis habuisse iudicabis? Nam si cum diuinorum uerborum cognitione, simul fides incipit, hos sanè ante infideles fuisse, dicas necesse est. Plurimos uiros sanctitate illustres numerare possem, quorum uirtutum documentis, antiquæ sunt historiæ exornatæ, qui quanuis sacrarum literarum fuerint omnino ignari, cum tamen admirabilem quãdam uitæ innocentiam cum ardenti Dei dilectione copularint, raræ cuiusdam sanctitatis exemplar uniuersæ Christianæ Reip. extiterunt. Ii igitur cùm nesciuissent, in quibus uerbi Dei testimonijs eorum fides fundaretur, fide'ne erant uera destituti, omnisque illorum opera, quam in uirtutum maximarum studio tandiu collocarunt, inanis fuit ac uana? Quòd si inquirere illos saltem oportere ais, quæ'nam Dei uerba articulorum fidei sint fundamenta; non uides iam necesse esse, ut humanis persuasionibus fidem adiungerent, & id uerbum

Lib. 1. de doc. Christia. in procemio.

bum Dei esse crederent, quod Ecclesiæ maiores uerbum Dei esse dixissent, illorumque dicta diuinorũ oraculorum instar, uenerarentur, fidei enim essentia & natura, satis quidem completa est, & absoluta, si credam, Iesum Christum, uerum esse Deum, ac hominem; quia id à Deo reuelatum est, etiam si ignorem quibus scripturæ uerbis id fuerit reuelatum. Sed quoniam Diui te Augustini uestigijs insistere præ te ferre, callidè studes, illius; quæso, hac de re apertam planamque sententiam ausculta, ut aliquando tandem Christi Ecclesiæ insultare desinas. sic enim scribit, Homo, ita fide, spe & charitate subnixus, ea inconcussè retinens, non indiget scripturis nisi ad alios instruendos. Itaque multi per hæc tria etiam in solitudine sine codicibus uiuunt; unde in illis iam arbitror completum esse quod dictum est, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur.

Aug. 1. lib. de Doct. Christiana. c. 39.

KEMNICIVS uerò quia semel cum suo Luthero insanire cœpit, cum eodem ait, *Dei filium non tantùm libertatem dedisse, sed præcepisse suis auditoribus, ut omnem doctrinam ad regulam scripturæ sacræ exigerent, cum ait apud Ioannẽ, Scrutamini scripturas.* Ita enim suis est præceptoribus addictus, ut nihil afferat apud suos non putidum & protritum, à nostris uerò sæpius profligatum: adeò ut ne modestiæ quidem specimen aliquod nouum exhibere uoluerit. Secundò idẽ probat, *ibno* inquit, *Act. 17. Berrebenses laudantur, quòd quotidie scrutabãtur scripturas.* Quare concludit, impium esse, & à lege Christi longè alienum, temeraria lectione scripturarum uulgo interdicere.

PRINCIPIO uerò lectorem oratum uelim, ut animum aduertat, quàm sibi iste homo minimè circunspectus non constet, quantumq; secum ipse pugnet. quæ enim disiuncta magis, atque contraria esse possunt, quàm unà cum suis præceptoribus fateri, nõ omnibus datum esse interpretandi scripturas munus, & tamen uelle ad iudicandum de doctrina fidei, ex uero scripturarum sensu omnes auctorari? Nã qui interpretandi scripturas spiritu caret, quî fieri potest, ut de illarum uero sẽsu certum iudicium faciat, aut certò intelligat, an quod in quæstionem uocatur cum scripturæ sacræ germano sensu, consentiat? At inquit, *aliquo præmõstrante uiam opus habet, ut Cãdaces Eunuchus*, qua manuductione illustratus poterit iam de quauis re iudicium facilè ferre. Quid, quæso, excogitari potuit ineptius, quàm carentem interpretandi spiritu, censoriũ iudiciũ de illo ferre, qui tali spiritu est à Deo abundè exornatus? cum præsertim ita eum iudicare necesse sit, ut ab habente spiritu edoctus atque institutus fuit. Quare personatum magis et adumbratum iudicium, quàm uerum, illud esse necesse est.

VT igitur ad duo illa diuinarum literarum testimonia breuiter iam respondeamus, quis erit tã bardus et stolidus, qui cum ad contextum Ioannis animum diligenter aduerterit, nõ uideat, Christum nõ ad futurum omnem Christianum populum, ut Kemnicius fingit, sed ad legis doctores sermonem direxisse? qui cùm grauiter illum calumniarentur, quòd Dei filium se diceret, atq; ex operum excellentia & amplitudine, & Dei patris firmissimis grauissimisq;

testimonijs comprobare diuinitatem suam uellet, scripturam sacram testem citat, quæ apud illos maximè erat sacrosancta, & in qua diuina testimonia contineri certò arbitrabâtur. Scrutamini, inquit, scripturas, quia uos putatis in ipsis uitam æternam haberi, & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me. Neque enim imperitum uulgus ignaros & infima de plebe homines, qui nunquàm in sacrarum literarum meditationem incubuerant, sed illos, quibus clauē sciētiæ aliàs exprobrauerat, qui in Mosis cathedra sedebant, quos uniuersa plebs docentes auscultabat, quorum iussis parebat, dictisq; integram fidem habebat, cùm diuinam legem per omne sabbatum enarrabāt, alloquebatur, illos adhortabatur, ut uitam actusque eius cum sacrarum literarum oraculis conferrēt, ad quos de diuinis institutis iudicium semper spectauit.

Ioan. c.5.

QVOD si Diui Cyrilli illustrem & perpolitam explicationem, atque Christi uerbis quàm maximè consentaneam sequamur, nullam sanè illa dubitandi occasionē afferre poterunt. Nanque ipsam orationis seriem apertè inquit demonstrare, Christum non quidem sacrarum literarum studium Pharisæis commēdasse, sed exprobrasse; quippe qui cùm in ijs studijs perpetuò uersarētur, quæ nihil nisi Christum docebant, in quem unum omnia diuina oracula tanquàm in finem referuntur, ita erant inuidiæ, cupiditatumq; nebula obcæcati, ut in illius cognitionem nulla ratione uenirent; neque cum illo indissolubili se amoris uinculo copularent: quod illa, quæ mox sequuntur uerba satis indicant, Et non uultis uenire ad me.

Cyrillus î Euang. Ioan. lib. 3. c. 4.

ad me. Neque enim minus Græcum uerbum, ἐρευνᾶτε, quàm Latinum, scrutamini, præsentis temporis indicantis modi esse potest. Quare germanus hic est loci huius sensus, Nihil est quòd uos Dei, sacrarum'que literarum cognitionem tantopere uenditetis, nobisq; solis illius esse mysteria cognita insolentissimè iactetis. inanis enim omnis est labor, uanum est omne studium, quod in diuinis literis ponitis, cùm me unum, quem ipsæ potissimùm prædicant, & quem maximè indicant, non cognoscatis. Nunquàm enim ille diuina uerba sacris literis consignata percipere integrè poterit, aut Deum uerè cognoscere, qui mihi eius filio, cui ipse testimonium perhibet, non crediderit.

BEREHENSES uerò, quos Diuus Lucas testatur, solitos fuisse quotidie scrutari scripturas, ut certiores redderentur, an quæ à Paulo dicebantur, ita se haberent, obserua, quæso, nō fuisse de uulgi fece homines, quales tu ad scripturas excutiendas excitas, sed de primariis Iudæorum, & qui apud illos plus ualebant genere, & auctoritate. neq; enim temerè Lucas dixit illos fuisse εὐγενεστέρους τῶν ἐν Θεσσαλονίκῃ, idest nobiliores & præcipuos omnium, qui erant Thessalonicæ, sed ut indicaret, eorum de fide Christiana, non quidem temerè, sed magna cum consultatione, & diuturna meditatione suscepta, iudicium, & approbationem, non uulgarem fuisse. Sed esto, nō huiusmodi ii uiri fuerint, quales à nobis, & Lucæ uerbis describuntur, similia'ne tu prorsus iudicas, nouā ac nusquam antea auditam fidem religionemq; recipere, & illam in qua educatus & altus es, quamque à Act.c. 17.

maioribus accepisti, tueri, & conseruare: illam, quam multò antea à Deo traditam, receperas fidem, abijcere, & repudiare, & eandem constantissimè retinere? Cum igitur maximum sit inter hæc interiectum interuallum, magni quidem ad Thessalonicensiũ laudem refert, quòd cùm Paulus nullis signis, ut diuus Ioannes Chrysostomus annotat, sed ex scripturæ sacræ uisceribus, ualidissimis ductis argumentis, cum illis ageret, ita cum scripturis sibi familiaribus & maximè propriis illa conferrent, ut cùm uera à Paulo dici constaret, non temere, sed cœlesti spiritu ductos, cõscientiaq; cõuinctos, antiquam disciplinam atque ritus, quos ipsorum maiores à Deo acceperant, deseruisse uiderentur. Christum nanque ipsum necesse fuit, stupenda opera, & qualia nemo unquam hominum fecerat, edere, ut Iudæorũ peruicacia, nulla excusatione tegi potuisset. Si enim trita solùm & uulgaria fecisset, illorũ quidẽ ĩ credẽdo pertinacia, quã magnum ipsorum peccatum, atque cætera omnia complectens, D. Augustinus uocat, ipso etiam Christo teste, omni culpa, ac peccato uacasset. At ueterem fidem antiquitate, & communi consensu sanctis firmatam, si quiuis unus scripturæ ponderibus examinare uoluerit, & dubitationum omnium, quæ innumeræ existere possunt, se iudicem constituere, quando fides, religioque firma ac stabilis manebit? quando altissimis radicibus defixa, nullis opinionum procellis, hinc inde uerberabitur? Nam si quæ firmissimè credere oportet, quisque expendere ita tentet, ut quæ uera esse iudicauerit, credat; quæ minùs, reijciat; in tanta ingeniorum uarietate,

Chrysostomus í acta Apost. homil. 37.

Aug. tract. 91 in Ioannem. Ioan. c. 15.

an non

an'non uniuerſam fidem infinitis quæſtionibus per miſceri, dubitationibus implicari; atque apud multos nutare uacillareq́ue oportebit? an'non ad omnem infidelitatem aditus aperietur? Cùm præſertim uel minima in fide hæſitatio, infidelitatem quandam præſeferat; Animorum uerò coniunctio diſſuetur, Christiana charitas abijcietur; amicitiæ in graues inimicitias, conuertentur, (neque enim grauiores ullæ eſſe poſſunt ijs, quæ religionis cauſa excitãtur) pacis denique fœdera omnia rumpentur. Quare libertatem exigendi dogmata fidei ad normam ſcripturæ ſacræ cunctis promiſcue deferre, nihil eſt aliud, quàm publicam pacem, ciuile ſtatum, unà cum Christiana religione funditus euertere. At cũ noua dogmata, & ab Eccleſiæ fide, in qua natus & educatus fuit (qualia ueſtra ſunt) ualdè diſſidentia populus audit; quando noua monſtra, & inaudita portenta illius auribus à uobis ingeruntur, non illis temerè aſſentiri, ſed Eccleſiæ iudicium auidiſſimè expectare debet, ab illa poſtulare ut diuinas ſcripturas euoluat, noua dogmata cum ueteribus & ueris ſcripturæ ſenſibus, conferat: atque quæ Christianum hominem credere oporteat, commonſtret. Nã ſi, ut quiuis dogmata ad ſcripturam exigat, Christus præcepit, eſt id quidem non modò uobis Lutheranis integrum, ſed Sacramentarijs, ſed Zuinglianis, ſed Suencpheldianis, ſed Anabaptiſtis, ſed omnibus huius tempeſtatis portentoſis atque uel ipſis iã nominibus horribilibus ſectarijs: Licuitq́; profectò olim Arrianis, Sabellianis, Catharis, hoc eſt, Nouatianis, cæterisq́ue in religione monſtris.

Tam

Tam malè, quæso te, putas Christum Ecclesiæ suæ consuluisse, ut arcana sua mysteria diuinis scripturis consignata cuiusque iudicio permitteret, unde tot monstra extarent? Immo potius ita sanè cunctos uoluit, diuina uerba scrutari, ut ueterum integras, pias, & catholicas interpretationes, ab Ecclesiæq; amplissima auctoritate approbatas ab omnibus. amplecterẽtur, sensa exoscularentur, neque ab ijs quidquam diuersum in Ecclesiã inuehere quis auderet. Nam si omnes sunt scripturarum & fidei iudices à Christo constituti, quo'nã, quæso, modo sacramentariorum poteris impudentiam reprimere, dum illi illum, tu uerò hunc esse scripturæ sensum dixeris? maximè cum non minorem sibi ad iudicandum de scripturis, deque dogmatibus libertatem à Deo fuisse concessam, quàm tibi (te etiam auctore) iactare possint. Tu cum ad scripturæ normam illorum placita confers, ea damnas: illi contrà cùm tua uicissim eadem trutina expendunt, sua confirmant, tua damnant, quem tandem exitum res habere poterit? Non uides Kemnici, qua diuinam sapientiam iniuria afficias, cùm sacras literas dissensionis & inimicitiarum seminaria magis, quàm pacis aut charitatis incitamenta facias? Non uides, dum omnes legitimos iudices fidei & religionis constituere conaris, Deum improuidum te facere, atque Ecclesiæ suæ malè consulentem, & diuinas literas, quas oratione tantopere extollis, reipsa ualde deprimere & abijcere? Illas enim omnium iudicijs subijcere, nihil est aliud quàm affirmare, perobscuram, dubiam, nutantem, caliginosamque fidem illa continere.

nere. Si enim ab ijs, quos scripturæ sacræ legitimos iudices Deum fecisse arbitraris, in tam uarias sententias distrahitur, quis certam ac ueram se tenere existimare poterit? quis in tanta sententiarum uarietate ad uerum se scripturæ sensum penetrasse, sine temeritatis nota sibi persuadebit? Quare non est, quòd tam acriter Albertum Pighium, huius nostræ ætatis egregiæ eruditionis uirum reprehendas, quòd affirmet, non esse aduersus hæreticos, solis scripturæ testimonijs agendum. Nam nisi Ecclesiæ sensum cum scripturæ uerbis colligemus, apertam ueritatem constare nunquam posse & Tertullianus olim prudenter admodum sensit, & Ecclesiæ magno malo à uobis didicimus. Cùm enim ex solis scripturis cum tuo Luthero eiusque similibus perduellibus, antiquitatis iudicio abiecto, agere quidam instituerunt, ut impietatem semel conceptam, Lutherus suique sustinerent, ita scripturas detorquebant, ut permultas sepultas iam hæreses, tanquàm cerberum, quod in fabulis est, ab Acheróte excitauerint. neque enim una impietas sustentari potest, nisi cum multis connexa sit, & implicata, atque alijs ueluti adminiculis quibusdam fulciatur. Propter hanc igitur uestram in detorquendis scripturis licentiam, effrenatãque audaciam, non solùm Pighius, sed omnes prudentes uiri semper existimauerunt, minime disputationis fructum constare posse, si sanctorum Patrum sententijs, tanquàm uerissimis & sapientissimis iudicibus semotis, sola flexibili scriptura uobiscum agatur. Id quod non est sacræ scripturæ purissimum grauissimumque iudicium, à disputationibus

nibus arcere, ut falso interpretaris, sed illius uerũ & germanum sensum à ueteribus sanctitate & erudi tione clarissimis patribus petere. Nam si (ut apertè demonstrauimus) Spiritus sanctus non ita Ecclesiã deseruit unquam, ut scripturæ uero sensu illam pror sus carere pateretur, quid est, quòd illum tanquàm inanem & superuacaneum aspernentur, qui totius est antiquitatis suffragijs comprobatus, atque omnium sanctorum Patrũ qui per Orbem longè lateque dispersi erant, consensu ascitus? Quibus æquissimis iudicibus in disputationibus cum hæreticis, atque exponendis scripturis si careamus, nihil consequemur aliud, quàm stomachi aut cerebri euersionem, ut Tertullianus ait. Quam Pighij uerissimam sententiam, si reprehendendam ducis, reprehendas in primis oportet Diuum Augustinum, qui ueterum Patrum iudicium tam esse æquum & sincerum arbitratur, ut ne iniquissimus quidem illud posse detrectare dicat. Cum enim Iuliani Pelagiani nefarias sentẽtias Sãctorũ Patrũ grauissimis testimoniis refelleret, ad hunc modũ scribit, Omnes iudices ab odio, inuidia, amicitia, inimicitia, ira uacuos esse decet: pauci tales potuerunt inueniri. Sed Ambrosium aliosque collegas eius, quos cum illo commemoraui, tales fuisse credendum est. Verùm etsi tales non fuerunt in ijs causis, quas ad se delatas, & inter Patres cognitas cum hic uiuerent, suo iudicio diffinierunt, ad hanc tamen causam tales fuerunt, quando de illa sententias protulerunt, nullas nobiscum neque uobiscum amicitias attenderunt, uel inimicitias exercuerunt; neque nobis neque uobis irati sunt;

August. lib. 2. contra Iulianum Pelagianum.

ti sunt; neque nos neque uos miserati sunt, quod inuenerunt in Ecclesia, tenuerunt. Nondum uobis cum apud istos iudices aliquid agebamus, & apud eos acta est causa nostra. Nec uos nec nos eis noti fueramus, & eorum pro nobis contra uos, latas sen tentias recitamus, nondum uobiscum certabamus, & eis pronunciantibus uicimus. Horum uerò æquis simorũ & incorruptissimorum iudicum qui iudiciũ formidat, an non satis prodit, pertinaciæ, conten tioni, fuco, & fallacijs magis quàm æquitati & ue ritati fidere?

ILLVD uerò, quod per Alberti Pighij personã dicis, in disputationibus scilicet cõtra Lutheranos, simpliciter ponendum esse hoc principium, *Quicquid Pontifex Romanus cum sua coniurati caterua decernit, statuit, & proponit, statim amplectendum, & firmiter credendum esse sine ulla contentione, an consentaneum sit scripturæ sacræ, an uerò manifestè pugnet*. Hoc inquam, quale sit, manifestum illi fiet, qui legerit sextũ caput prioris libri, quem Pighius de Ecclesiastica hierarchia scripsit. atque pari fide te hîc agere, ac in cæteris rebus alijs satis intelliget. Qui postquam pudorem semel abiecisti nullam tibi ueritatis rationem habendam esse putasti. Pighius igitur cum inquirit modum inueniendi in quacum que quæstione proposita communem totius Ecclesiæ sententiam, inquit, potuisse quidem se, breuiter & cõpendiariè cum Irenæo respondere, solius Romanæ Ecclesiæ iudicium instar iudiciorum aliarum omnium Ecclesiarum habendum esse, cùm illa sanctissima sedes fidei integritatem, religionisq; puritatem, satis abundè semper præ cæteris omni-

Pigius lib. primo de Ecclesiastica Hierar. c. 6.

S nibus

nibus conseruauerit. Sed quoniam illius auctoritas & amplitudo, omnium huius ætatis controuersiarum est quasi status, & in quam omnium hæreticorum copiæ irruunt, atque cœco impetu feruntur, subeundum esse laborem putat, in inuestiganda antiquitatis sententia, in rebus controuersis, ut fidẽ, quam ex ueterum Patrum monimentis uenabimur, illam exosculemur, & suspiciamus. Sed tu Caiphæ minimè dissimilis, nesciens quid diceres, uerè admodum, Patres illos, qui omnibus retro sæculis sanctitate & eruditione illustres, Ecclesiæ Orbisq; lumina extiterunt, appellasti cateruam Romano Põtifici addictam, consecratam & obstrictam. Ita enim illius auctoritatem tuentur omnes, ac si illi essent sacramento obligati & deuincti. Pighius nanque horum tantummodò fixas, immotas & inter se consentientes sententias amplectendas atque sine ulla controuersia suscipiẽdas esse docuit. Neq; prætereundũ silentio puto, Kemnicium summæ aut ignorãtiæ aut ĩpietati tribuere, quòd Dauidis illas sententias, Præ
Psal.19. ceptum Domini Lucidum illuminans oculos. item
& 119. Lucerna pedibus meis uerbum tuum. non de uniuersa sacra scriptura, sed de solis præceptis diuinæ legis, societatis Iesu uiri intelligendas esse arbitrentur. Cum enim ijs præclarissimis sententijs Monhemius abuteretur, ut omnes ad lectionem sacrarum literarum alliceret, & incitaret, Coloniensis censura contrà non de sacra scriptura mentionem fecisse regium Prophetam admonet, sed de solis præceptis diuinæ legis, quæ ideò lucem lucernamque appellat, quia in caliginoso loco nobis prælucrent, uíam-
que

que clarissimè præmonstrant, cùm quid faciendum quid'ue fugiendum sit, docent, atque ita à teterrimis tenebris & profunda caligine nos prohibent. Hoc uerò quàm uerum sit, satis perspiciet qui ad Hebræarum uocum uim, animum aduertent. Nam psal. 19. utitur Dauid uoce מִצְוָה quæ propriè significat id, ad quod faciendum quis astringitur, & obligatur; atque aliquando pro ipso imperio usurpatur, sicut & radix צִוָּה est præcipere seu decernere faciendum. Quod ipsum ex ijs, quæ consequuntur, uerbis, satis patet. Etenim, inquit, seruus tuus custodit ea, siue (ut Hebræa uerba sonant) illis dilucidè commonefit, & in custodiēdis illis merces magna. Quæ nullis magis quàm diuinis præceptis quadrare, custodiendi ac mercedis uerba satis indicant. Neque enim custodiri, nisi sola præcepta & leges dicuntur. Psal. uerò. 119. totum in diuina lege exornanda & amplificanda positum esse, nemo nescit. Sunt autem in eo significantia prorsus idem, uerbum, lex, testimonia, uiæ, mandata, iustificationes, multaque alia eiusmodi nomina, quibus diuina præcepta non temerè sed peculiaribus rationibus appellantur. Cum uerò decimam illam quartā pericopem ita concludit Dauid, Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas in æternum propter retributionem. satis declarat, de diuinis se præceptis duntaxat agere. Quare has Dauidis sententias de omnibus scripturæ sacræ partibus intelligēdas esse is sanè existimare solus poterit, qui in uniuersa scriptura nihil præter diuina scita atque iussa contineri arbitrabitur. Quàm fictè uerò & fallaciter Kemni-

cius affirmet, societatis Iesu uiros, traditiones non scriptas intelligere, per lucem illustrantem corda, satis intelliget, qui perspexerit, quàm longa illi oratione duas illas Dauidis sententias ad præceptum dilectionis Dei & proximi accommodent. quod an satis sit diuinis literis comprehensum, Kemnicius uideat.

4. Axioma. QVARTVM Kemnicii axioma est, *Iesuitæ asserunt, Lectio sacræ Scripturæ non tantùm non est utilis sed multis modis perniciosa Ecclesiæ. Hæc enim Coloniensium sunt uerba. ut audentius dicamus, nulla unquam reperta est hæresis, quæ non ex scripturis occasionem acceperit.* Multis quidem ac magnis rationibus Colonienses ostẽdunt, non esse scripturæ sacræ lectionẽ temerè populo permittendã. In primis uerò argumentum sumunt ex infinita hæresum uarietate, quibus Dei Ecclesia fuit tot sæculis exagitata quæ ex diuinis scripturis occasionem habuisse uidẽtur. Quare ualde metuendum esse, ne imperiti ex eadem impietatem hauriant, unde debuissent fidem pietatemque trahere. Quæ si tibi dubitationem aliquam habere uidentur, perlege quæso quæ de hæreticis ab Augustino, Epiphanio, Theodoreto, cæterisq; uiris sanctissimis, qui in hoc argumento insudarunt, scripta sunt. Neque enim te latêre poterit, nullam fuisse unquam tantam impietatem, nullamque insaniam, quam eius auctores sacrarum literarum testimonijs non sibi conformasse uiderentur. Nam quid Nicolaitarum promiscuis uxoribus esse inhonestius potuit? quas tamen solis scripturarum testimonijs inuexerunt. Quid turpius, deformius, fœdius Gnosticorum insanijs potest excogitari? à

Christiana

Christiana quidē honestate tā alienis, ut nec proferri sine impietate possint: sentētiarum tamen diuinæ scripturæ crebritate nullis fuerunt inferiores, ut D. Epiphanius auctor est. Si Ophitarum arbitrantium Christum colubrū illū fuisse, qui Euā decepit, dementiā aīo teneas; Si Manē Manichæorū parentē se spiritū sanctū esse multis persuadentē; Si Caianos Cainū Iudamq; proditorē, uenerantes; Si Valentiniani sōnia anilesq; fabulas; Si bideum Apellem; si reliquorum omnium hæreticorum examina memoria repetas, nihil erit profectò, quod diuinis uerbis destitutum esse uideatur: adeò nanque hæreticis familiare semper fuit, scripturæ se auctoritate communire, ut Marcio cum uideret, triplex à se confictum principium, triplexq; baptisma cum diuinis uerbis stare haud quaquam posse, illa uerò desserere, prorsusq; contemnere minimè auderet, eam scripturæ sacræ partem, quam recipiebat, & maximè Lucæ Euangelium, turpiter ualde truncauit & corrupit, ut tradit D. Epiphanius. quo factum est, ut ex Diui Pauli Epistolis, à se corruptis permulta educeret testimonia, ad diuinam potentiam emolliendam, cultum, & uenerationem ex hominum mentibus euellendum, Christi dignitatem labefactandam, uniuersamq; religionem nostram funditus euertendam. Si illas uerò, quæ in Germania, nostra hac ætate excitatæ sunt, portentosas opiniones in memoriam reuoces, uidebis sanè, nullam esse tantam delirationem, quam ex scripturis non elicere posse perditi, & insani homines sibi uisi sint. Vt uerò cæteras taceam, quàm nefanda illa sunt, quæ Præmonstratensis scripturarum

Epiphanius contra hæreses lib. 1. Hæresi 27. Eusеb. Hist. Ec. lib. 7. c. 31.

Epiphanius contra hæreses lib. 1. tom. 3. hæresi 42.

insana quadam iactatione contra Christum Iesum Dei filium dictitare ausus fuit? quæ nemo quidem, uel acerbissimus Christi hostis cogitare unquàm potuit. Quòd si ab illo quæras, unde acceperit, Christum Iesum, qui, ut omnes homines ab inferni miserrimis, & crudelissimis cruciatibus eriperet, de cœlis descendit, in eosdem inferni perpetuos cruciatus fuisse detrusum, sempiternisq; illis ignibus mancipatum, quemadmodum per summum scelus, & profligatissimam impietatem Anno 1527 asseruit, nullum tibi alium doctorem proferet, quàm laudes, quibus Deus illos cumulat, qui omnem suam spem in illo collocant, & miserandam eorum conditionem, qui diuinæ misericordiæ diffidunt, atque simul illa Christi uerba cruci affixi, Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me? quibus de diuina misericordia illum desperasse, impiè somniauit. Quòd si ab Anabaptistis rationem quæras tantarum blasphemiarum, quas eodem anno Morauiæ in eundem Christum iaciebant, non minorem diuinorum uerborum congeriem afferent, quàm tuus Lutherus, qui cùm tantam suo exemplo delirantium multitudinem cerneret, diuinam scripturam hæreticorum librum appellare non est ueritus. D. uerò Cyrillus ad Ioannem quẽdam Episcopũ scribens, illum admonet, cuiusuis hæresis sectatores ex diuinis scripturis hæresis suæ causam suscipere, & quæ à Spiritu sancto præclarè dicta sunt, prauis opinionibus corrumpere, atq; ita in sua ipsorum capita inextinguibilem flammam excitare. D. etiam Hilarius ait de intelligentia scripturæ hæresim nasci, non de ipsa scriptura, & ita sensum,

Matth. c. 27.

D. Cyrill. Epist. 28.

Hilarius lib. 2. de Trinit.

ſum, non ſermonem fieri crimen. Lege etiam diligenter quot idem contra Arrianos exemplis, & rationibus apertè probat, ſacram ſcripturam anſam dediſſe hæreſibus omnibus, ut ſe in uarios errores præcipites darent.

Hilarius lib. 2. de ſynodis cõtra Arrian.

QVOD ſi nullum nobis hac de re exẽplum antiquitas ſuppeditaret, inſignis certè illa, nec uſquam antea audita, quorundam hominum, qui cœleſtes Prophetæ dici uolunt, inſania, atque incredibilis furor, apertè demonſtraſſet; nullum eſſe tam audax facinus, quod ex ueſtra in contorquendis diuinis oraculis licentia, occaſionem non acceperit. Cùm enim perditi illi ac profligati homines intuerentur, crudeliſſimum diſſidium, quo inter ſe Lutherus, Zuinglius, & Balthesar Paſimontanus, de ſcripturæ ſenſu digladiabantur, atque unumquenq; nouas ac portentoſas opiniones ingerere, ac ſumma etiam cum temeritate & audacia contendere, uerum ſe ac germanum ſcripturæ ſenſum tenere, omnem prorſus ſcripturæ fidem abrogarunt, ſecumq; ſtatuerunt, nihil ſibi credendum eſſe, niſi quod cœleſtis Pater eorum animis inſtillaret, illudque ſolum Dei uerbum eſſe, quod Spiritus ſanctus illis enuntiaret. Cætera uerò omnia pro humanis figmentis non pro diuinis oraculis habenda eſſe. Quos Reuerendiſſimus Stanislaus Hoſius S.R.E. Cardinalis, Varmienſis Epiſcopus, uerè Apoſtolicus ita loquentes inducit, Quouſque eandem hanc exculculatorum iſtorum tyrãnidem feremus, ut, quod productis è ſcriptura uoculis aliquot eorum alicui uiſum eſt, id tãquàm expreſſum Dei uerbũ ſtatim adorare neceſſe habeamus.

Hoſius libro de expreſſo uerbo Dei.

mus? Cum tamen sic ipsos inter se pugnantes uideamus, dum hoc quisque contendit, ut non quæ Apostoli aut Euangelistæ, sed quæ propria ipsius est sententia, eã pro expresso Dei uerbo sectatores habeãt. siccine iam isti se tanquàm numina coli uolunt? quid aliud restat, quàm ut incuruemur coram hoc aut illo, & quicquid eorum aliquis dixerit, è uestigio tanquàm Dei uocem adoremus? Nos uerò Dei de cœlo sententiam potius expectabimus, ac tum istos pro sua, non pro scripturarum sententia dimicantes, tum ipsas etiam scripturas, quarum tot iam, non diuersas modò, uerùm & contrarias interpretationes adferri uidemus, facessere iubebimus: & quod nobis cœlestis ille magister dignatus fuerit reuelare, tanquàm expressum Dei uerbum, ea, qua par est, reuerentia recipiemus: ac ipsum loquentem potius audiemus (sicut etiam Propheta dicit, Audiam quid loquatur in me Dominus) quàm ut ad egena ista elemẽta nos conuertamus, & in illis, quæ nunc in hunc, nunc in illum sensum inflecti uidemus, salutem nostram cõstituamus. Non oportet legis aut scripturæ esse peritum, sed à Deo doctum. uanus est labor, qui scripturæ impenditur. scriptura enim creatura est, & egenum quoddam elementum. Non conuenit Christiano, nimium creaturæ addictum esse: Deum audire oportet, huius uoces de cœlo expectãdæ sunt, ut nos erudiãt. Beatus uir (inquit Dauid) quẽ tu erudieris. Aeq; nos docet hodie atq; olĩ Patriarcas & Prophetas. Prohibuit Christus, ne plures magistri fiãt, quòd unus est magister noster in cœlis. Ex quibus concludit uir pijssimus, & eruditissimus, nihil quidem sacris

literis diuinius, nihil augustius, Ecclesiæ uerò earum studiis nihil utilius excogitari posse, dummodò integrum quisque ac sincerum Ecclesiæ sensum teneat, neque ita insolescat, ut sibi scripturas subijcere magis, quàm se illarum iudicio atque auctoritati submittere studeat. fit enim ut dum quisque sibi licere scripturas contorquere arbitratur, & ipsas maxima iniuria afficiat, & Spiritui sancto illarũ auctori summam ignominiæ notam inurat. Quam tamen Reuerendissimi Cardinalis egregiam sententiam, ita, Kemnici, ex tuis aliquot inuertunt, ut quæ per cœlestium Prophetarum personam ab illo dicta sunt, illi ipsi ascribant, atque ut scripturæ sacræ proculcatorem acriter insectentur. Quam ego calumniam cùm primùm in libello quodam, qui Apologia Anglicana inscribitur, legissem, egregiam auctoris impudentiam summopere sum demiratus, atque existimaui ob tanti sceleris conscientiam, illum nomen suppressisse. At cùm eandem calumniam in protestatione quadam contra sacrosanctum Tridentinum Concilium, hominum quorundam, qui Augustanam confessionem profitẽtur, nomine editam reperissem, uix credi potest quanta fuerim uoluptate perfusus. felicissimum nanque amplissimum illum Antistitem iudicaui, cuius scripta omnes fidei ac religionis Christianæ hostes tãtopere premunt, ac cruciant, ut omni mendaciorum genere illustre illius nomen obscurare, fidem inquinare, splendorem commaculare, auctoritatem labefactare ideò contendãt, ut suos à lucubrationum illius lectione deterreant atque auocent.

T Sed

SED ut ad institutam disputationẽ reuertamur, uide iam, quæso homo argutule, genio tuo dignam collectionem. societatis Iesu uiri tradunt, hæreses omnes ex scripturis occasionem accepisse; ergo tradunt, scripturæ sacræ lectionem esse inutilem, multisque modis perniciosam Ecclesiæ. Quid potest esse ineptius? quid infantilius? Quod perinde est, ac si quis argumentetur; Nullum peccatum est, quod ex creaturis occasionẽ nõ accipiat, dicente Augustino, Mentis nostræ in Deum cursum tunc retardari, cùm ijs frui uolumus, quibus nobis utendum foret; ergo creaturæ non solùm non sunt utiles, sed multis modis perniciosæ, contra Mosis testimonium, qui, Deum, inquit, omnia, quæ condiderat, uidisse, & approbasse, quia ualde erant bona. atque contra D. Pauli sententiam, qui omnem Dei creaturam bonam esse, testatur. Neque dissimilis erit argumentatio, Christus positus est in ruinam, & in signum, cui contradicetur, ut Simeon ille iustus prædixit; ergo Christi aduentus perniciosus est hominibus, præstaretque, Christum nunquàm uenisse? Quæ quàm non modò inanis, sed impia sit argumentatio, tu ipse iudica, atque de tua iudicium iam ferre, facilè poteris. Neque enim fieri ulla ratione poterit, ut ignores, sceleratis esse animis peculiare, eis fieri exitiosum, quod probis est salutare; Atque ita optimis in rebus offendi, non tam rerum ipsarum improbitatem, quam animum impurum, nefarium, sceleribusque coopertum declarat, qualis est hæreticorum animus, qui ex diuinarum literarum lectione errandi sumunt occasionem.

Aug. 1. lib. de Doctri. Christ. c. 3.

Prima ad Tim. c. 4.

ſionem. Neque enim in ſolis ſplendorem culpa eſt transferenda, ſi oculorum aciem hebetet, aut lippos lædat, ſed in oculorum infirmitatem, qui tanti ſplendoris uim ferre non ualent.

R. DO.

DIEGHI PAYVA ANDRADII LVSITANI, ORTHODOXARVM EXPLICATIONVM LIBER TERTIVS.

De Peccato.



I tantum ſtudij, & diligentiæ in cognoſcenda peccatorum turpitudine, & deformitate, inq; deprauatione, & fœditate, ſua rectitudine ſpoliati ac corrupti animi perſpicienda, omnes poneremus, quantum in mente omnibus flagitijs inquinanda, cœcis ducti cupiditatibus permulti collocant, nihil quidem opus eſſet, tanta nunc contentione, de peccatorum ratione, naturaque diſputare, ſed omnes tota animi contentione illa declinaremus: & uelut funeſtum quoddam contagium deuitaremus, deteſtaremur, ac deprecaremur: atque ita neque Kemnicius tam intemperanti calumniandi pios, optimosq; uiros libidine deflagraret, neque nobis hic in tuenda ueritate labor ſubeundus foret. Sed quando ipſe, ut de peccato impiè diſſereret, magis eſt falſa quadam nominis interpretatione illectus, quàm uera peccati ipſius atrocitate, & deformitate deterritus, atque auocatus, non minus hîc, quàm in ſuperioribus peccare eum & falli, iam oſtendamus neceſſe eſt. Hoc autẽ primum eſt

Axioma, quod in Coloniensi censura reprehendit.
DISERTE reijciunt, & explodunt Iesuitæ illam definitionem, *Quicquid legi Dei repugnat, esse peccatum. Atqui hanc definitionem esse Spiritus sancti & quidem totidem uerbis tradit 1. Io. 3. peccatum est ἀνομία. & hoc uocabulo in multis alijs scripturæ locis peccatum describitur.* cumq; multa congessisset scripturæ sacræ loca, quædam uerè, quædam autem falsè, tandem concludit, *Iesuitas non iurasse quidem, sed coniurasse cõtra sententiam, & contra ipsa uerba Spiritus sancti.* 1. Axioma.

LVTHERVS eiusq; discipuli, ut apud imperitos possint obtinere, peccandi illa incitamenta & illecebras siue concupiscentiam, quæ in ipsis membris inest, ex natiuo & originali peccato, post sacrum lauacrum relicta, uerè peccatum esse, hanc peccati definitionem populo plausibilem excogitarunt, Quicquid legi Dei repugnat, peccatum est. Nam concupiscentiam legi Dei repugnare, uel ex Pauli testimonio satis est omnibus exploratum. quam tamen definitionem non esse soli peccato accommodatam, apertè admodum demonstrant Colonienses; quia non modò peccata ipsa, sed homines etiam sceleribus contaminati, dæmonesq; ipsi cum lege Dei non minus pugnant quàm concupiscentiæ. Quæ uerò definitio sese extra rem definitã fundit, inepta est, & inutilis prorsus. Neque tamen inficiantur, omne peccatum diuinæ legi repugnare, cùm id non minus peccato insit, quàm homini sentiendi uis & facultas. Cùm enim omnis bonitatis summa in Deo posita sit, & collocata, ut qui bonitatis nullam particulam aliunde mutuatur, sed naturam habet non modò omni perfectionis genere cumulatam, sed quæ perfectio ipsa est, &

ex qua

exqua bona omnia oriuntur, fit certè perspicuum, bonitatis omnem rationem in diuina similitudine positam esse. Et quemadmodum res omnes, à Deo productæ, & quæ natura constant, eo magis perfectæ sunt, & absolutæ, quò diuinam illam incomprehensibilemq; naturã expressius præ se gerunt, & referunt, ita diuina uoluntas, norma est, ad quàm dirigenda & formanda est uita nostra, et ad quam quo magis nostræ actiones accedunt, meliores, quò uerò deflectunt magis, deteriores habendæ sunt. Veteres enim Philosophi quia nullam aliam probitatis regulã præter rectam hominis rationem agnouerunt, uirtutem diffinierunt, esse animi habitum naturæ modo rationi consentaneum, hoc est, certissimam normam, rationis scilicet, descriptum. Nos uerò, quibus clarior diuinæ cognitionis affulsit lux, præclarè intelligimus, rectam hominis rationem, minimam esse in exhaustæ illius diuinæq; perfectionis & bonitatis scintillam. atque ideò non iam rectam rationem solùm nobis boni, & æqui regulam præfigimus, ad quam nostras actiones formemus, sed diuinam ipsam uoluntatem, & in recta ratione impressam, & diuina lege luculentius compræhensam. Quò alludit illud
Psal. 118 Dauidis, Confitebor tibi in directione cordis. quod Hebræum uocabulum יֹשֶׁר idest, rectitudo, magis explicat. Quam tamen inquit Dauit, sibi comparasse, eo quòd didicit iudicia iusticiæ Dei, unde omnis rectitudo ac bonitas dimanat. Quò etiam spectant
Prouer. c. 3. uerba illa Solomonis, In omnibus uijs tuis cogita illum (Deum scilicet) & ipse diriget, siue יְיַשֵּׁר idest recto faciet gressus tuos. Tunc enim quisque rectà incedit,

incedit, neque quidquam mali admittit, cùm omnes suas actiones diuina uoluntate metitur. Eam ob rem uirtutum omniũ actiones peculiari scripturæ phrasi rectæ coram Domino appellantur, hoc est, ad rectissimam regulam diuinæ uoluntatis formatæ: malum uerò contrà, cum sit à bono, hoc est, à cœlestis Patris uoluntate defectio, quicquid diuinæ legis quasi lineas transilit, malum esse dubitare nemo potest. non tamen illud omne peccatum est: nam si ad naturas cùm sceleratorum & perditorum hominum, tum dæmonum respicias, minimè quidem illos malos dicere poteris, immo non dubito quin aliqui sint dæmones naturà permultis beatissimis spiritibus præstantiores. neque enim in illis præclara natura mutata est, etiam si deprauata atque sceleribus deturpata sit. mali nihilosecius & dæmones & homines dicuntur, quia mentem habent, & uoluntatem à diuina uoluntate ualde alienatam, & cum diuina lege maximè pugnantem. quos tamen peccata appellare nullo modo poteris. Quòd si iniquas leges spectes, quales illæ sũt antiquorũ, quas Christus apud Matth. improbat, & quales hodie inter homines magnã uim & auctoritatẽ, diuina lege spreta & conculcata, obtinẽt, dubitare minimè poteris, diuinæ atq; sẽpiternæ legi illas non repugnare modò, sed eò uehementius Dei legem oppugnare, quò & legis nomine, & obligandi ratione, quam hominum scelere sibi compararunt, cum illa magis conueniunt. Quas tamen non ita insanies, ut peccata appelles. Sed quid externa commemoro? non meministin quoties nobis Ecclesiæ scita exprobras, quæ cũ uerbo Dei pugnare iniuriosè

Matth. c. 5.

riosè iactas? at decreta ipsa chartis aut tabulis comprȩhensa, peccata appellare audebis? Et si enim iniquam legem ferre, aut seruare, in peccatis sit enumerandum, lex tamen ipsa non peccatum quidem, sed scelerata institutio est, quæ peccandi impunitatem adfert, atque ad peccandum incitat & allectat. Quare non quidquid repugnat diuinæ legi, peccatum est; etiam si libenter, & necessariò confiteamur, peccatum esse non posse, quod diuinæ legi non aduersatur. est enim diuinæ legi repugnare, peccati ueluti genus, quod ad plures differētias pertinet, pluresq́ue amplectitur; ut animal, cui equus ac homo, plurimæq́ue aliæ animalium differentiæ subsunt. neque enim peccatum dici potest, nisi hominis actio diuinæ legi repugnans; quod D. Augustinus, apertè significauit, cùm peccatum dixit, esse legis transgressionem. neque enim omne cum diuina lege pugnans, in peccatis numerat, sed actionem solùm, qua diuina lex uiolatur. Sub nomine uerò actionis, etiam necessariæ actionis intermissionem, Philosophorum more includo, qui affirmationem, et negationem, ad idem genus recurrere tradunt, quare D. August. ingeniti uocem, quæ Deo patri attribuitur, luculētissimè demonstrat, in eorum categoria, quæ cum alio conferuntur, collocandam esse, quia geniti mera negatio est. Quocirca nisi ea, quæ diuinæ legi repugnant, humanæ sint actiones, aut necessariarum functionum prætermissiones, peccata dici non possunt. Quod idem August. non obscurè docet, cum ita peccatum definit, Est factum, uel dictum, uel concupitum aliquid contra æternam legem.

Aug. lib. 2. de consensu Euángelis. c. 4.

Augustinus lib. 5. de Trinit. c. 6. & 7.

Aug. contra Faustum, lib. 22. c. 27

legem. Quæ omnia humanas esse actiones quis non uidet? Legem uerò æternam, mox ita definit, Est ratio diuina, uel uolũtas Dei, ordinẽ naturalẽ cõseruari iubens, perturbari uetans. Vnde fit, ut Theologi nostri omne peccatum contra hominis naturam esse affirment. quæ cùm non illa dicatur, qua cum brutis animantibus homo conuenit, sed qua ab omnibus rebus alijs seiungitur & secernitur, in ratione quidem potissimùm sita est, & collocata, qua quid bonum, & quid malum sit, uidet; quid fugiendum aut amplectendum sit, non ignorat, diuinamq; legem menti ipsi habet tenacissimè infixam. Quocirca quidquid sceleris admittit, quo rationis legem uiolet, ac prodat, contra ipsam naturam agit. Nam queadmodum solida ac põderosa terra, leuis ignis, à qua, aer, & reliqua demum omnia, quæ natura constant, tunc à natura quodam modo deficere dicuntur, cum ab ijs actionibus retardantur, ad quas naturæ ipsius ui, & impulsione ducuntur, ita & homines naturam ipsam deserunt, quoties rationis rectæ, hoc est, naturæ ipsius leges uiolant. Quare qui mentis & rationis, diuiniq; numinis legibus spretis, sensui, carnisq; cupiditatibus obtemperant, magis quidem belluarum, quàm hominum officio perfunguntur, quia ratione, hoc est hominis natura spreta, illius sequuntur naturæ impulsum, quam cum brutis habent communem. Cum quibus mirabiliter consensit D. Cyrillus Hierosolymitanus Archiepiscopus, qui opera diaboli, in quibus omnia peccatorum genera comprehendi asserit, definiens, in prima catechesi mystagogica ait, esse actiones &

D.Thom. 2.2.q.71 ar.2.

cogitationes quas cunque, quæ cum recta ration e nō conueniunt. Non sum nescius, non pau ca esse di uinæ legis præcepta, quæ neq; ratio nis luce perspici, neque naturæ ui cognosci possunt, qualia illá sunt, quæ ad sacramenta, resque alias, quæ naturam excellunt, attinent. Cum tamen ratione dictante, Deo esse parendum discimus, postquàm illa præcepta diuina esse fide percepimus, contra naturam agit, qui ea aliqua ex parte uiolat. Cum igitur omne peccatum, adeò sit in diuinæ legis transgressione positum, ut ea ratione contra naturam esse dicatur; rectè quidem in diuinis literis sæpius ἀνομία, quasi legis uio latio dicitur. Nam quēadmodum ἄνομος ille dicitur, qui sanctas leges proculcat, & contemnit, effrenis uiuit, ac exlegem se esse putat, ita ἀνομία illa actio ap pellatur, qua legem quis transgreditur. minimè uerò omnia, quæ legi repugnant, siue actiones illa sint, siue ab actionibus multùm longeque, absint ἀνομία

Aug. lib. 3. de libero arbit. c. 19. siue peccata dici possunt. Quapropter D. Augustinus, illud propriè, ait peccatum dici, quod libera uoluntate, & à sciente committitur. Et alibi, peccare, nihil esse aliud affirmat, quàm in ueritatis præceptis, uel in ipsa ueritate errare. *Augu. de fide contra Manich. c. 8.* D. uerò Ambrosius, peccatum inquit, esse diuinæ legis præuaricationē, & cœlestium inobedientiam præceptorum. Quæ omnia non nisi in humanis actionibus cerni, satis quidem per se patet. Infinitum esset, omnia sanctorum patrum testimonia inculcare, quibus peccata humanos esse actus docent. fuit enim illa, perpetua constansque persuasio, quod & Christus ipse non obscurè docet, cùm uirtutum officia in diuinæ uoluntatis obtem-

obtemperatione collocat.apud Matthæum,Non om- *Matth. c.7.* nis, inquit, qui dicit mihi,Domine Domine,intrabit in regnum cœlorum, sed qui facit uolūtatem patris mei. Virtuti uerò cùm uitium atque peccatum sit contrarium, illudque solum regnum cœlorum occludat, nihil certè aliud uitium seu peccatum esse potest, quàm non facere uoluntatem patris cœlestis. facere autem & non facere, quis actiones esse dubitare poterit? Quæ tamen externis interdum corporis motibus, non nunquam uerò sola interna uoluntatis operatione perficiuntur. Originale autem atque natiuum peccatum,nunquàm uerè peccatum dici potuisset, nisi in ipsa origine unde deductum est, & promanauit, humana fuisset actione admissum. Quare uerè admodum dici solitum est, idem in nobis esse peccatum originale, quod in origine, hoc est, in Adamo fuit olim actuale. Quocirca D. Augustinus, multis apertissimè demonstrat, paruulos,qui peccato sunt originali obstricti, legis illius, quæ Adamo in Paradiso data fuit, præuaricatores esse,atque ita uerè in omnes quadrare, quod Dauid diuino Spiritu afflatus dixit,Præuaricatores reputaui omnes peccatores terræ. Idque inquit,non secundum suæ uitæ proprietatem, sed secundum communem generis humani originem esse intelligendum.

LOCA uerò Epistolæ Pauli ad Romanos, ubi *Rom. c.5* (scilicet)non est lex, peccatum non imputatur.& Pec- *Rom.c.7.* catum non agnouissem nisi per legem, nam concupiscentiam nesciebam nisi lex diceret, Non concupisces. quibus Kemnicius potissimùm fidit, quàm sint extra causam;qui orationis Pauli seriem,& quasi cō-

ſequentiam conſiderauerit, ſatis intelliget. Principiò enim cum de peccato originis, quod per unum hominem in mundum intrauit, Paulus loqueretur, inquit, Vſq; ad legem peccatum erat in mundo, peccatum autem non imputabatur, cùm lex non eſſet; hoc eſt, ut præclarè interpretatur Diuus Auguſtinus, peccatum quidem natiuum & originale, neque ui legis Moſaicæ ablatum fuit, neque deletum. nam ſi data lex eſſet, quæ poſſet uiuificare, omnino ex lege eſſet iuſticia, quare non ſolùm ante legem peccatum in omnes peruaſit, ſed etiam uſque ad legem, ideſt, uigente lege. at ante legem peccatum non imputabatur, quia natiuam illam uicioſitatem peccatum eſſe, homines minimè arbitrabantur. Quod tamen per legis ſacrificia & peccatorum expiationes cognitum eſt, & propalatum. Nam cùm hoſtiæ etiam pro paruulorum peccatis offeri ſolitæ eſſent, ſatis quidem euadebat exploratum, peccatis illos eſſe contaminatos; à Deo tamen non minus ante, quàm poſt legem puniebantur. Nam quicunque ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt. Hunc autem eſſe uerum & germanum Pauli ſenſum, quæ mox ſequuntur uerba declarant, Sed regnauit (inquit) mors ab Adam uſque ad Moſem etiam in eos, qui non peccauerunt in ſimilitudinem præuaricationis Adæ. hoc eſt, ij uerò, qui originali culpæ nullam addiderunt, à Deo tam antea, quàm poſt legem morte mulctati ſunt, neque natiuæ illius uicioſitatis ignoratio, illos potuit à debita peccati pœna (morte inquam) liberare. At cùm Paulus ait, peccatum ſe non cognouiſſe niſi per legem, nihil aliud ſtudet, quàm infirmitatem Moſai-

Augu. de peccator. merit. & remiſſ. lib. 1. c. 10.

Rom. c. 5

Rom. c. 7

cæ legis explicare, quæ cum ad euitandum peccata uires non suppeditaret, illorum uerò atrocitatem luculenter demōstraret, nihil aliud quidem efficiebat, quàm peccati fœditatem augere. eò enim uehementius peccatur, quò peccati pernicies, & labes magis est perspecta & explorata. Quod ipsum significant illa eiusdem Pauli uerba, Lex autem subintrauit ut abundaret delictum. Quare priori epistola ad Corinthios Paulus legem appellat uirtutem, siue δυνάμιν, idest, uim atque potentiam peccati; quia scilicet, ut D. Augustinus ait, legem accepimus, non ut emendatione finiremus peccatum, sed ut transgressione augeremus. Quis enim dubitare poterit, illos impensius peccare, quibus peccatorum indignitas, & intolerabilis fœditas magis est cōperta & cognita? Cùm igitur legis lumine accedente, quanta insit sceleribus peruersitas, illustrius multò quàm antea omnes conspexissemus, quantumq; diuinæ uoluntati, atq; bonitati aduersētur, diuinis uocibus accepissemus, peccatorum profectò prauitas & deformitas longè multumq; aucta, & amplificata est. multò enim iniquior & petulantior ille est existimandus, qui, cognita peccatorum infinita obscœnitate & turpitudine, sese illis contaminat, quàm si tali cognitione illustratus nunquã fuisset. Ex ijs uerò, & quæ paulò post sequuntur Pauli uerbis, quibus peccatum legi mentis suæ repugnare ait, & si sequi fateamur, omne peccatum legi Dei repugnare; minimè tamen colligi, omne legi Dei repugnans, peccatum esse, abundè satis demonstrauimus. Cum uerò nullis alijs præsidijs definitionem illam peccati Kemnicius muniuerit,

Rom. c. 5

Prior ad Corint. c. 15.

mirum

mirum est quàm pueriliter garriat, & quantum infir mis hisce argumentis triumphet. Qua tamen solet fide & ueritate ait, ita Colonienses desipere, ut quod diuinis legibus denegant, Pontificum deferant traditionibus, atque adeò ea omnia nefaria scelera habere, quæ cum illis pugnant. Vt uerò Ecclesiasticarum legum auctoritatem interim prætermittam, quā cùm de lege agemus (ubi eandem repetit Kemnicius calumniam) ut potero tuebor; utque instituti mei rationem persequar, nunquam profectò tantopere Colonienses insanierunt, ut humana præcepta diuinis esse anteferenda existimarent, sed actiones solùm cō tra Ecclesiasticarum legum instituta susceptas, peccata esse affirmāt, nō aliter ac de operibus cum diuina lege pugnantibus, à nobis dictum est. Nam & si unū peccatum alio sit longè atrocius, atque funestius; tamen cùm peccare, nihil sit aliud, quàm legis lineas transilire, nihil, quod ad peccati essentiam atque rationem attinet, refert, diuina'ne an humana lex sit, quæ uiolatur, dummodò eius modi sit, qua homines teneantur.

2. Axioma. II. Axioma *hanc censores isti peccati definitionem constituunt, Peccatum est non quicquid legi Dei repugnat, sed hoc propriè uocatur peccatum, quod libera uoluntate, & à sciente cōmittitur. fol. 44. Item, Peccatum nihil est. peccatum est priuatio & boni absentia, uoluntatisque à lege diuina auersio, tamque est uoluntarium, ut si uoluntas non foret, peccatum non esset. fol. 46.* Sicut humana natura à belluarum sensuq; carentium naturis, intellectu & ratione maximè disiungitur, ita humanæ actiones uoluntate potissimùm, quæ rationis pars est nobilissima, ab operationibus aliorum corporum secernuntur, & distinguuntur.

ſtinguuntur. nam etſi homo illis actionibus, quas nõ ſponte ſua, ſed inuitus ſæpe, naturæ etiam ipſius impulſu aliquando ſuſcipit, non ſit priuatus, illa tamẽ agendi ratio, quæ non eſt hominis propria, & peculiaris, uerùm cum cæteris corporibus illi communis, non eſt humana propriè appellãda. actiones enim eius eſſe dicuntur, cui ſunt maximè propriæ. Quare ſi quis caſu ab eminenti loco præceps decidat, atque corporis pondere deorſum uelociſſimè feratur; quis hanc humanam operationem appellare audebit, quæ non homini magis, quàm ingenti alicui molæ conuenit? ſi quis etiam actionis finem, & id, quo quaſi inſtrumento ipſum conſequatur, ignorans, nulla conſultatione præeunte, non ſciens, neque ſponte ſua ac liberè operetur, ſed aliunde agatur, & ad operandum impellatur, quis hãc hominis actionem magis, quàm equi aut bouis eſſe dixerit, qui naturæ ducatum, non uoluntariè, ſed neceſſitate quadam ſequitur? Quocirca tunc actio dicenda eſt humana, quando homo rationis particeps finem, quem actione cõſequi optat, præuidet, ad illum aſſequendum res neceſſarias præeligit, à ſe ipſo adoperandum inducitur, neque ui aliunde impellitur, aut naturæ neceſſitate adigitur, quæ uoluntaria dicitur, illiſque ſolis naturis, quæ ratione conſtant, peculiaris; ut præter cæteros auctor eſt D. Ioannes Damaſcenus. Qui igitur humanam actionem dicit, uoluntariam intelligat neceſſe eſt, hoc eſt, illi hominis parti accommodatam, qua homo eſt, in ratione uerò uoluntarij, ut à ſciente actio fiat, neceſſariò ingreditur. Cùm igitur peccatum, humanam eſſe actionem apertè demonſtrauerimus,

Damaſcenus lib. 2 de fide orth. c. 24.

uerimus, qui uoluntarium illud esse,& à sciente cõmitti pernegat;hominem propria & excellentissima natura spoliat, atque cum brutis animantibus ac feris connectit, & copulat. quod non modò est Philosophorum omnium summa cõsensione, sed diuinis oraculis, sanctorum patrum conspiratione, atque maximè Diui Augustini sententia firmatum; cui hanc peccati rationem, magnum fecisse negotium, falsò Kemnicius arbitratur. Vt uerò apertissima alia sacrarum literarum testimonia taceam, uel unicò Iesaiæ id satis comprobatur: quem cùm Deus adhortaretur, ut clamaret quantum maximè posset,& quasi tuba clamorem attolleret, atque populum Israeliticum inani iustitiæ & sanctitatis opinione insaniẽtem redargueret, & in quanto scelere uersaretur, & quàm multis criminibus se contaminasset, clarissima uoce pronunciasset, omnia tamen scelera & horrenda flagitia propriæ uoluntatis operatione conclusit, Ecce (inquit) in die ieiunij uestri inuenitur uoluntas uestra. in sceleratæ enim uoluntatis actionibus, omnia flagitiorum genera cõtinentur. Quod ipsum paulò pòst ad hunc modum repetit, Si autem auerteris à sabbato pedem tuum, facere uoluntatem tuam in die sancto meo, & uocaberis sabbatum עֹנֶג idest delitiarum & sanctum Domini gloriosum, & glorificaris eum, dum non facias uias tuas,& non inuenietur uoluntas tua, ut loquaris sermonem, tunc delectaberis super Domino etc. Quibus uerbis an non manifestum fit, non quidem peruersa uoluntate ad flagitia incitari, sed illius suasionibus assentiri, illaque præstare, quæ præpostera uoluntas præscribit,

Iesaia. c. 58.

ſcribit, peccati eſſe ueluti definitionem? atqui peccare nihil eſſe aliud, quàm iniquæ uoluntati parêre, temeritati cupiditatis obtemperare, ſenſibus indulgere, atque nefarijs deſiderijs ſatisfacere? Id quod uerba illa Ieſaiæ ſatis ſignificãt, Vt non facias uias tuas. Quæ ſententia D. etiam Auguſtino tam eſt familiaris, ut nulla in re ſit frequentior ac crebrior, quàm in docendo, peccatum ita uoluntate perfici, ut ſine illa peccatum eſſe nulla ratione poſſit. Siquidem non eſſe peccatum, inquit, niſi prauum liberæ uoluntatis aſſenſum, cum inclinamur ad ea, quæ iuſtitia uetat, & unde liberum eſt abſtinere. & alibi apertiſſimis, & lucidiſſimis rationibus non ſolùm edocet, ſed quaſi in præſentia, & ante oculos ponit, omnem mentem apud ſe diuinitus conſcriptum legere, ſine uoluntate peccatum eſſe nullo modo poſſe. quibus quaſi machinis duas illas à Manichæis confictas animas funditus euertit, & unicam à Deo procreatam confirmat. Quæ ſententia ita cõſtanter & perpetuò illi placuit, quoties de peccatis ſermo incidit, ut multis, atque ualidiſſimis rationibus probet, uirginem inuitam, & per uim uiolatam, non modò internam animi puritatem non amiſiſſe, ſi uoluntate nefario ſtupro non annuat, ſed neque corporis quidem ipſius, quod uim pertulit, caſtimoniam perdidiſſe, quã cum animi pudicitia indiſſolubili uinculo conſtrictam eſſe, & colligatam arbitratur. Infinitum eſſet numerando percenſere loca omnia, in quibus firmiſſimis argumentis D. Auguſt. probat, uirtutes & uitia ſine uoluntatis actione extare non poſſe.

Augu. de Geneſi ad literam imperfecto. c. 1.

Auguſt. libro de duabus animabus. c. 11.

Aug. lib. primo de Ciuit. Dei c. 18.

SED Kemnicius ea, qua pollet charitate, admonet lectorem, hanc Coloniensium, immo scripturæ sacræ, & Augustini assertionem, ad Pelagianismum uiam munire; quippe quia Pelagius cùm olim uellet euertere doctrinam de peccato originis, arcem quasi causæ suæ collocasset in hac definitione. *sic enim* (inq uit) *colligebat, Si illud tantùm uerè & propriè est peccatum, quod libera uoluntate à sciente committitur, ergo uicium originis non est uerè & propriè ex se & natura sua peccatum, sed impropriè, & abusiuè.* Quam argumentationem magnum asserit fecisse negotium Augustino in disputationibus contra Pelagium de peccato originis; quàm ideò paulò accuratius expendamus oportet.

QVI diuersa ualdeq; dissimilia eadem uolunt regula metiri, & quæ una in re conueniunt, in cæteris etiam coire & cohærere arbitrantur, uix possunt summis se difficultatibus extricare. quì enim fieri potest, ut qui ostreis, conchilijs, muricibus, cæterisque nulla ex parte perfectis animãtibus conuenientia, ex equi, Elephantis perfectissimorumq; animalium proprietatibus aucupetur, non fallatur miserè atque decipiatur? Qui fortitudinis munera ex temperantiæ functionibus, quia in uirtutis ratione cõueniũt, uoluerit cognoscere, quo tandẽ modo in ueritatis cognitionẽ uenire poterit? Est enim cuiusq; rei natura perspiciẽda prius & curiosè exquirẽda, & quibus in rebus cum alijs conueniat, quibus' ue differat, diligenter & circunspectè inuestigandum, atque ita cum ex proprijs, & non ex alienis, atque extraneis principijs ratiocinabimur, erroris omnis tenebras poterimus deuitare. Peccatorum

igitur

igitur duo ſunt genera, quoddam genus eſt eorum, quæ perſonis ipſis ſunt peculiaria, & propria. quæ quia ſola eorum culpa, & actione, qui peccatis ſunt infecti, admitti poſſunt, actualia uocantur. Aliud uerò peccatorũ genus ipſius eſt naturæ magis, quàm perſonæ proprium, quod quia naturæ neceſſitate contrahitur, & nulla perſonæ turpificatæ culpa ſuſcipitur, originale dicitur, hoc eſt, quod per originẽ, & ab origine ad nos dilabitur: nã in ipſa contaminamur omnes origine. Cum enim in Adamo unde originem ducimus, natura ipſa humana fuiſſet uiciata, & corrupta, fieri certè nequit, ut quis naturam ab Adamo accipiat, quæ illius ſit corruptionis expers, & libera; niſi diuina munificentia, quam ſolet conferre gratiam, ſacramentorum opere, atque uirtute, animæ in primo eius ſatu, atque ortu infundat; ad eum modum quo Angelos ſanctificauit, quorum naturam gratia exornatã in lucem edidiſſe docet Auguſtinus. Quocirca ſi rem exactè expendamus, originale peccatum, naturæ potius quàm perſonæ culpam uocabimus, cùm perſona nullo à ſe edito admiſſoque flagitio, ex ſola naturæ uicioſitate, impura atque ſcelerata euaſſerit. Cum igitur diſiunctiſſima ſint, & maximè diuerſa duo iſta peccatorum genera, quis dubitare poterit, omnia, quæ peccati rationem ingrediuntur, non aliter horum cuique conuenire, quàm & peccatum eſſe competit? Si enim uno eodemque modo utrique, peccati ratio cõueniret, non iam duo & diſſimilia, ſed unum atque idem eſſet peccati genus. Cum igitur de peccato, quod per ſe & non aliunde perſonæ conuenit, quod

August. lib. 12. de Ciui. Dei. c. 9.

que propria homo operatione cõmittit, sermo erit, omnia, quæ in definitione peccati collocantur, persona ipsa ex se, & non aliunde habeat necesse est. Cum uerò de natiuo originalique peccato agemus, naturæ quidem potissimè ratio habenda est, & singulæ diffinitionis partes ipsi maximè naturæ aptandæ sunt, cui potissimùm hoc peccati genus inhæret, & ex qua in personam diffunditur, & ob quã homo peccator & sceleratus dicitur. Est igitur in peccati definitione, quòd sit actio libera, & quæ à uoluntate proficiscatur. Cuius, quæso Kemnici, in peccatis deposcendam arbitraris uoluntatem? illius'ne, qui nihil per se ipsum sceleris admisit, aut eius, cui & peccatum maximè inest, & cuius causa homo peccator censetur? Non uides quòd qui uoluntarium in ratione peccati ponendum existimant, illius uoluntatem requirant, necesse est, cuius præcipuè est peccatum, eodemque prorsus modo, quo & peccati rationem induit? Quare sicut in peccato, quod actuale uocant, uoluntas personæ necessariò requiritur, quia in ipsius actione positum est, ita in originali, quod præcipuè est naturæ crimen, atque per naturam personæ conueniens, qui aliam, quàm naturæ, ipsiusque originis uoluntatem desiderat, ab originalis quidem culpæ ratione discedit. Quomodo enim illius explicatam, & propriam uoluntatem deposces, cuius actio minimè fuit ad peccandum necessaria? Cum igitur nulla nostra propria actione, sed solius naturæ, idest ipsius originis fœdo ac flagitioso facto fuerit natura ipsa inquinata, & ex eo tanquàm ex pestifero & funesto fonte in omnes peccati

fœditas profluxerit, colligitur ſanè, ex noſtra in ipſa natura, atque origine exiſtente uoluntate, peccati originalis rationem perfectam eſſe, & omni ex parte abſolutam. Nam ſicut peccatum originale eſt, ita & uolũtas originalis eſſe debet, ſicut in origine contractũ, ita in origine, ut dici ſolet, uolitũ; ſicut in Adamo peccare oẽs potuimus, ita ĩ Adamo peccatũ uelle. Eſtq́; ita uolũtas cum peccato cõiungẽda & cõglutinanda, ut illius uoluntas neceſſaria ſit, cuius peccatũ fuerit potiſſimùm, eodẽq́; modo ſit uolitũ, quo & peccatũ eſſe illi cõuenit, perĩde ac ſẽtiẽdi uis, ita cuiuis cõpetit, ſicut & eſſe animal. quod ut manifeſtius euadat, animũ, quæſo Kemnici, aduerte, fuiſſe originalẽ iuſtitiã Adamo tãquàm naturæ humanæ principiò à Deo donatam, unde in omnes homines debuiſſet ſimul cum natura latè diffundi, & diſſipari. quocirca ſi in diuinæ legis obediẽtia perſtitiſſet, omnes, qui ab eo procreantur liberi, fuiſſent ſanè illi non natura modò, ſed iuſtitia etiam ſimilimi. neque enim immortalis parens mortales filios generaſſet: & quẽadmodum omnes, qui ab eo ſumus parente orti, & procreati, naturæ fuimus neceſſitate in illo incluſi, ita & eadem fuimus cum illo diuina liberalitate & gratia aucti, quæ non erat cum Adamo interitura, ſed in omnem poſteritatem longè lateque diſpergẽda, & diſſipanda. Tranſgreditur Adamus diuinam legem, diuinorum beneficiorũ immemor; maluit Heuæ ſuæ morem gerere, quàm Deo, & ne ſuas delitias ſuoſque amores contriſtaret, ut ait D. Auguſtinus, diuinis uoluit amoribus ſempiterniſque delitijs carere. Quare non modò naturæ humanæ magnam cladẽ attulit,

Aug. de Geneſi ad literam lib. 11. c. 42.

attulit,cùm corpus infinitis miseriis calamitatibusq; inuoluit,sed & supremi illius doni, iustitiæ inquam originalis iacturam, uniuersum hominum genus simul cum ipso fecit.Nam quemadmodum,si ipse sibi manus intulisset,non se ipsum solum,sed naturam ipsam humanam interemisset, quæ in illo uno inclusa erat, ab illoque tota pendebat;ita cùm diuinam legem perfregit,ipsius crimen in omnem posteritatem redundauit, illamque diuinis beneficijs spoliatam, atque denudatam, pari secum miseria circumplicauit. Neque enim minùs nostra iustitia in illo quàm natura inclusa erat. Cùm igitur omnes,illius iustitiæ quam in Adamo accepimus, in eodem iacturam fecerimus, peccatores quidem meritò coram Deo sumus,non personæ culpa,sed naturæ uitio. Quod ut euadat manifestius, aduerte, quæso Kemnici, si à te quæram, quare iustitiam Adæ collatam,in illo accepisse censemur? quia in illo tanquàm in origine eramus conclusi, atq; inde in omnes tanquàm ab uberrimo fonte diffundi debuisset, rñdeas necesse est. Si rursus quærã,quare,illo peccante,oẽs iustitiam amisimus? idem respondeas oportet, Adamũq; non solũ priuatam sed publicam, atque totius humani generis personam gessisse, cuius stirpis parens,ac progenitor erat. Si iterum quæram, quo'nam modo uerum

Ad Rom. 5. fit, quod D. Paulus ait, in illo omnes peccasse? ad idem recurras oportet,esse enim hæc Pauli uerba de

Con. Mileu. c. 2. peccato originis intelligenda,& Concilium Mileuitanum,& omnium sanctorum Patrum communis cõsensus, etiam reclamante Erasmo, asserit. Quid igitur est quòd dubites, eodem modo omnium uoluntates

tates in illo conclusas censeri, sicut & naturas? eodẽque pacto omnes in illo uoluisse diuinam legem trãsgredi, sicut in illo peccauimus? Quare sicut Adami peccatum, totius naturæ in illo inclusæ meritò crimẽ habetur, ita & uoluntas non illius solùm, sed omniũ est æstimanda. Et quemadmodum in illo peccare omnes potuimus, ita in eodem peccare uelle. Et sicuti cum ad paruuli personam & actiones respicis, minimè illum appellare iniquum poteris: cum tamen ad naturam animum aduertis, quæ in Adamo fuit uitiata, peccator uerè dicitur: ita cùm uoluntatem paruuli intueris, minimè quidem illius consensu peccatum est ullum admissum: si uerò ad Adamum recurras, ubi illius erat uoluntas simul cum natura conclusa, uoluntariè à diuina lege illum discessisse, et liberè diuinam iustitiam repudiasse, quando in Adamo peccauit, facilè intelliges. Quod D. Aug. sæpe docet, ita enim scribit, Et illud, quod in paruulis dicitur originale peccatum, cum adhuc non utantur libero arbitrio uoluntatis, non absurdè uocatur etiã uoluntarium, quia ex prima hominis mala uoluntate cõtractum, factum est quodãmodo hæreditarium. Non itaq; falsum est quod dixi, usq; adeò uoluntarium esse peccatum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit uoluntarium. Idem quoq; scribit ad hunc modum, Quod dixi, nusquàm nisi in uoluntate esse peccatum, possunt Pelagiani pro se dictum putare, propter paruulos, quos ideò negant habere peccatum, quòd eis in baptismate remittatur, quia nondum arbitrio uolũtatis utuntur. quasi uerò peccatum, quod eos ex Adam dicimus originaliter trahere, idest reatu eius

Aug. retract. lib. 1. c. 13.

Aug. retract. lib. 1. c. 15.

tu eius implicatos,& ob hoc pœnæ obnoxios detineri,nusquàm esse poterit,nisi in uoluntate, qua uoluntate commissum est,quando diuini præcepti facta est transgressio.Idem Augustinus fatetur alibi, non modò peccatum ab Adamo in omnes extensum fuisse, & dilatatum,sed eo modo cunctos diuinam legem illisisse,& conculcasse,quo & peccatores sunt,quare & in omnes illam Dauidis sententiam quadrare, Præuaricatores reputaui, omnes peccatores terræ. cum uerò Catholica fides doceat, paruulos nasci non propriè,idest propria actione, sed originaliter peccatores,ita inquit non propriè,sed originaliter diuinam legem conuulsisse.Inquam sententiam interpretatur illa Dei uerba ad Abrahamum, Masculus, qui non circuncidetur carne præputii sui, octauo die, interibit anima illa de genere suo, quia Testamentum meum dissipauit(ita enim Genesis uerba refert, quæ & ab Hebraicis & à uulgatis ualde differunt)hoc inquàm Testamentum, præceptum illud esse ducit, quod Adamo in Paradiso traditum,infirmatum est, & dissolutum à paruulis, cùm communis parens Adamus peccauit.Nam (inquit)nulla in se negligentia sua iustè interire incircũcisi animam paruuli, nisi originalis obligatione peccati.Quid igitur est, quin pari ratione dicamus, originis peccatum non propriè,sed originaliter uoluntarium esse ? et quemadmodum,Adamo peccante,omnes peccare, diuinamque legem transgredi uisi sumus; ita & illius quia naturæ principium est uoluntas, omnium fuisse censeatur? Nam qui in peccato originis aliam uoluntarij rationem desiderant, quàm originalem, iam peccatum

Aug.lib. 16.de Ciuit.Dei. c.27.

psal.118.

Gen.c. 17.

tum à ratione originalis abducunt, & in aliud longè diuersum genus transferunt. Ita enim, uoluntarium in peccati ratione & essentia inest, ut par prorsusque idem futurus sit, & peccati, & uoluntarij modus, taleque peccatum unum quodq; sit, qualis in illo reperitur spontanei ratio. Quare sicut qui in peccato originali uoluntarij partem nullam agnoscunt, peccati prorsus rationé diluunt, ut ostendimus, ita qui aliũ in eo quærunt uoluntarij modum, quàm originalé, illud ab originalis natiuiq; peccati ratione auocare conantur. Vnde fit, ut D. Cyprianus, originis peccatum, alienum appellare non fuerit ueritus, quam uocem etiam D. Augustinus non aspernatur, & tamen ad hunc modum interpretatur, Nec sic (inquit) ita peccata dicuntur aliena, tanquàm omnino ad paruulos non pertineant, si quidem in Adam omnes tunc peccauerunt, quando in eius natura illa insita, inqua eos gignere poterat, adhuc omnes ille unus fuerunt; sed dicuntur aliena, quia nondum ipsi agebant uitas proprias. Quis igitur dubitare queat, quin D. Augustinus ita uoluntatem Adæ omnium fuisse ducat, sicut & omnes in illo unum fuisse fatetur? Vt igitur paucis rem tandem complectamur, talis est in originis peccato uoluntarij ratio, qualis & peccati, atq; in Adamo, eodem planè modo peccare uoluimus, quo & in illo peccauimus. Qui uerò duo ista ita secernit & separat, ut in peccato originis uoluntatem requirat actualem; rerum ordinem prorsus & naturas inuertit. Quod uerò Kemnicius Pelagium in hac, quam assignauimus peccati definitione, arcem quasi causæ collocasse dicit, ad peccatum originale euer-

Aug. lib. 3. de pecc. meritis & remiss. c. 7.

Y tendum,

tendum, nihil prudentem hominem mouere debet, cum ſatis ſit compertum, hæreticos nunquàm ita inſaniuiſſe, ut ex ijs, quæ perſpicuè & apertè falſa ſunt, impietates ſuas concluſerint. Quem ſi fuiſſent ſecuti perſuadendi modum, pauciſſimos profectò potuiſſent circumuenire. ſed cùm ſæpe ex ueris, & neceſſarijs, falſa & nefaria captioſè & uafrè concludant, imperiti & improuidi homines, qui latentes captiones & fallacias introſpicere non poſſunt, facilè illorum technis & impoſturis irretiti tenentur; ſuntq; dæmonis illius, qui Chriſti infinitam & inexhauſtam pietatem diuinis oraculis, & religionis ſimulatione tentauit, ut illum in ſummam impietatem præcipitaret, minimè diſſimiles. quæ fallendi ars nequaquàm ſanè illos fugere poterit, qui iſtorum hominum ſcripta conſideratè, attentè & circumſpectè legerint. Quod uerò ad D. Auguſtinum attinet, cui Kemnicius ait, magnum negocium feciſſe in diſputationibus contra Pelagium, hanc ſententiam, ad rationem ſcilicet peccati pertinere, ut ſit uoluntarium; non ſatis meminit, quæ Diuus Auguſtinus hac de re latè fuſeque ſcribat, & quàm diſiuncta ſit, & diſcreta quæſtio illa, quæ ipſum maximè torſit, ab hac noſtra controuerſia de neceſſario uoluntatis aſſenſu in peccato. ſi perlegas Kemnici duas Auguſtini epiſt. ad Hieronymum, & tertium librum de peccatorum meritis & remiſſione, multaq; alia eiuſdem ſanctiſſimi uiri loca, facilè diſces, nihil aliud ſolicitum illum habuiſſe, anxiſſeq; uehementer in diſputationibus de peccato originis, niſi inueſtigare modum, quo peccatum poteſt ab Adamo in poſterorum animas diffundi,

Auguſt. epiſt. 28. & 29.

di,& dimanare,cum illi ſolam carnem acceptam referamus,animas uerò minimè. Niſi fortè hominum animæ etiam ab una Adæ anima pro ueniunt, ſicut et à corpore corpora omnia: neque ſingulatim à Deo creantur,ut introducantur in corpora. neque enim uidet Auguſtinus,quo'nam modo fieri poſſit ut corpus, quod ſolum ab Adamo habemus,quantumuis infectum ſit, & inquinatum,animam poſſit uitiare.quòd ſi animæ ex traduce non ſunt,ideſt,ab Adami illa anima non deriuantur,ſed nouæ quotidie à Deo procreantur,quo ſe pacto ijs liberet anguſtijs, non ſatis uidet.haud quaquã enim ignorabat Auguſtinus, quo pacto in peccato originali uoluntarij ratio cernatur, quod & ſæpe docuit, & nullo modo Pelagianis fauere poſſe aſſeruit; ſed uiam,qua animæ,quæ ab Adamo non exoriuntur, illius potuerint ſcelere contaminari,cognitam ſe non habere fatetur. Cum enim Pelagius quæreret,per quas rimulas(ut illius utar uerbis)hoc peccatum in animam illaberetur,quæ nõ eſt ex traduce ſicut caro, & nulla ſe culpa, propria actione ſuſcepta, inquinauerat, uacillat ſæpius Auguſtinus,nutat,quæſtionis difficultate implicatus, hæret, & ſuam hac in re ignorationem apertè, & ingenuè confitetur.Ego autem(inquit) & ſi refellere iſtorum argumentationem non ualeam, uideo tamen inhærendum eſſe ijs,quæ in ſcripturis ſunt apertiſſima,ut ex his reuelentur obſcura; aut ſi mens nondum eſt idonea, quæ poſſit ea uel demonſtrata cernere, uel abſtruſa inueſtigare, ſine ulla hæſitatione credantur. Et ab Hieronymo multis precibus contendens, ut illi tam abſtruſam difficultatem enodaret, & tan-

De peccatorum meritis et remiſſione lib. 3. c. 4.

Auguſt. Hieronymo epiſt. 28.

tis cum angustijs & anxietatibus liberaret, totus est in inquirẽdo modum,quo animæ in corpora immittuntur, unde etiam & propagationis peccati cognitionem pendêre arbitratur. Vnde(inquit)illa de animarum nouarum creatione sententia, si hanc fidem fundatissimam (paruulos damnari propter peccatum originale intelligit) non oppugnat, sit & mea, si oppugnat, non sit et tua. Quam Augustini hæsitationem si diligenter, Kemnici, et accuratè expendas, satis puto intelliges, non modò cum hac nostra de uoluntarii peccati controuersia implicatam non esse,& colligatam,sed quamuis uoluntarium à peccati ratione auferamus,non tamen Augustini dubitationem dilutam & ablatam esse. nam si peccatum illud, quòd uoluntatis operatione non egêre arbitraris, in sola anima inest, per quas rimulas ab Adamo in nos defluxit, à quo sola corpora & non animas accepimus? Nisi fortè ita omnia inuertis, ut de uoluntate quidem peccatum auferas, & in carne ipsa colloces. nam quam diù illius sedem animam esse confiteberis, quæ cum Adæ anima nulla sit originis cognatione coniuncta, quantum uis illud uoluntarij ratione spolies, Augustini tamen dubitationem non sustulisti, quæ non à uoluntarij necessitate in peccato, ut fingis, sed à ratione originis animarum pendet. Sed esto concedamus tibi, hanc peccati definitionẽ multum negotij fecisse Augustino, non uides quantum inde uirium, quantumque roboris & firmitudinis assumat, cùm uir & sanctitate & eruditione illustrissimus, neque quæstionis difficultate commotus, neque Pelagij argumentorum ui deterritus, neque ignora-

gnorationis pudore ductus, ab illa potuerit ulla ratio ne abduci? cùm præsertim non is sit Augustinus, qui temerè aut præcipitàter sententiã defendat, sed qui palinodiam sæpe (ut aiunt) cecinerit. Nemo enim unquam alienorum operum tã seuerus cẽsor extitit, quàm ille suarum sentẽtiarum & uerborũ omniũ est exagitator. Cùm enim à se dicta omnia debitis ponderibus examinare, ac retractare soleat, minimè quidem erubescit, plurima corrigere, luculentiusque explicare, atque in se ipso maximopere illa reprehendere, & uituperare, quæ paulò antea approbauerat. Quoties tamen de peccatis sermo incidit, apertissimis uerbis fatetur, sine uoluntatis operatione, esse illa nõ posse. Argumentum uerò, quod Pelagius ex peccati definitione educebat, ad originis culpam euertendam, non efficere, quo minùs illa & peccatum sit, & uoluntarium, non obscurè sæpius asseuerauit. Nam paulò post illa uerba, quæ anteà adduximus, addit, Cur igitur (inquiunt Pelagiani) peccatum dicitis paruulorum, quorum uoluntatem non tenetis ream? Respondetur, non eos proprietate uoluntatis, sed origine reos teneri. omnis enim homo terrenus, quid est origine, nisi Adam? Porrò autem Adam habebat utique uoluntatem, qua uoluntate, cùm peccasset, peccatum per eum intrauit in mudum. itẽ cùm pertractat quod dixerat lib. 2. de Genesi contra Manichæos, nulli naturæ scilicet nocere peccata nisi sua, ait, Possunt sanè Pelagiani ad suum dogma trahere istam sententiam, & ideò dicere, paruulis ideò aliena non nocuisse peccata, quia dixi nulli naturæ nocere peccata nisi sua, non intuentes,

Aug. Retract. lib. 1. c. 15.

Aug. Retract. lib. 1. c. 10.

intuentes, ideò paruulos, qui utique pertinent ad humanam naturam, trahere originale peccatum, quia i primis hominibus natura humana peccauit, ac per hoc naturæ humanæ nulla nocuere peccata nisi sua. exaggera igitur uerbis quantum uoles, Kemnici, negotium, quod D. Augustino hæc peccati definitio peperit; quam illi attulit difficultatem, oratione amplifica: nam nihil uel ueritatem hanc illustrare, uel nutantes animos confirmare magis poterit. qui enim audit D. Augustinum, nullis difficultatibus commoueri, ut transuersum unguem ab illa, quam perpetuò & constanter tribuit peccato, definitione deflectat, aut certè ut de ea uel minimum timeat, quomodo poterit aut cuiusquã oratione cõmoueri, aut de illa aliquantulum dubitare? Quòd si fidei, aut ueritatis rationem aliquam habere, mentiq; tuæ consulere & prospicere uoluisses, hic certè Augustini labor istum tuum animum tot opinionum mõstris fatigatum sedare, illius dubitatio tuã fidem confirmare, illius negotium Christianæ Reipub. ocium, atque tranquillitatem restituere, uestramque istam insolentissimam audaciam reprimere debuisset. Si uerum est (ut dicis) D. Augustino tantum negocij fecisse peccati hãc, de qua agimus, definitionem, neque illã tamen unquam reiecit atque repudiauit, quid illustri hoc modestiæ, & pietatis exemplo non discis, in ijs fidei mysterijs, quæ percipere non satis potes, tuum intellectum sub Ecclesiæ sensum, sanctorumque patrum commmunem consensum, tanquàm sub iugum mittere in obsequium Christi? nec malis ignorantiam tuam candidè

dè fateri, quàm sententiam temerè præcipitare? longè nanque multumque præstat, ignorantem haberi, quàm impium esse. Qui uerò in omni proposita quæstione eruditionem ostentare prægesti, peritosque in sui admirationem pertrahere optat, fieri certè non potest quin sæpius prudētibus ludibrio sit, & miserandis erroribus inuoluatur. Cùm igitur abs te audio, D. Augustinum hæsitare, neque satis se posse quæstionis difficultate explicare, quam illē sentētiam firmam in hac quæstione tenet, eiusmodi esse puto, quam nemo pius & cordatus homo possit sine scelere deserere. Quocirca quò magis, Kemnici, Augustini difficultatem ex hac definitione profectam exaggeras, eò in piorum & fidelium animis altioribus radicibus defigatur necesse est, neque minus roboris & firmitudinis huic definitioni peccati ex hac, quam fingis D. Augustini dubitatione, quàm ex apertissimis alijs eiusdem testimonijs accedet, fietque perspicuum, Adami in peccando uoluntatem, non priuatam sed publicam, totiusq; humanæ naturæ extitisse, sicut & is ipse non priuatam, sed publicam, atque totius posteritatis personam gerebat. Quia uerò in hoc peccato minima reperitur uoluntarij ratio, quia non personæ propria uoluntate, sed aliena, originis scilicet, est susceptum, à Theologis nostris minimum esse omnium peccatorum censetur. quod innuit D. Aug. cum inquit, paruulos, sine baptismo è uiuis excedentes, in damnatione omnium mitissima futuros. quam sententiam cum repetit contra Iulianum Pelagianum, addit, quæ damnatio, qualis & quanta erit, quan-uis

Aug. lib. 1. de pecc. meritis, et remiss. c. 16.

Aug. lib. 5. cōtra Iulianū. c. 8.

uis definire non possim, non tamen audeo dicere, quòd eos ut nullibi essent, quàm ut ibi essent, potius expediret. Dicitur uerò aliquando originis peccatum omnium maximum, quia latius cæteris alijs diffunditur, & per omnes homines peruadit.

Quid sit peccatum originale, quæstio est perdifficilis & ambigua.

SED cum hac quæstione alia est perdifficilis, & perobscura coniuncta & copulata; in qua uideo uiros ingenio, & eruditione clarissimos plurimùm sudare. quòd scilicet illud sit in nobis originis uitium, quo rei sumus, & scelerati corã Deo, & quo qui contaminati sunt, omnem habent, ad æternam felicitatem aditum occlusum. nam cùm originis uitium in nobis uerè habeat rationem peccati (ut est ab Ecclesia sæpius definitum) quia in origine à nobis est uolitum, & primo generis humani parente peccante, omnes peccare uisi sumus, non aliud quidem in nobis, neq; ab illo diuersum esse debet, quod is, à quo originem trahimus, suscepit, cùm diuinam legem irritam fecit. nam si peccatum nostrum dispar est atque dissimile, quo'nam, quæso pacto, in origine pecasse censendi sumus? aut primi parentis uoluntas, nostra haberi potest? quo'nam pacto in Adamo peccatum illud potuimus admittere, quod ipse non admisit? Quòd si non idem, quod Adamus peruersa, & deprauata uoluntate est prosecutus, in nobis peccati rationem ullam habet, neque profectò, in Adamo uoluisse illud uideri possimus, quod ipse minimè voluit. Quare si hoc originis uitium, naturæ peccatum dici debet, eò certè maximè, quia cùm naturæ principium, & quod totam naturam repræsentabat, illud suscepit, ab uniuersa fuisse posteritate

admissum

admissum uisum est: atq; ita idem prorsus in nobis est peccatum originale, quod in ipso fuit actuale. Quomodo uerò diuinæ legis nefaria illa uiolatio, qua diuinam in se iram & indignationem uniuersum genus humanum concitauit, in nobis peccati rationem habeat, peccatoresque efficere nos potuerit, ut explicent illustres admodum Theologi laborant, & sacrosanctum Concilium Tridentinum cũ definiret, peccatum originis uerè esse peccatum unicuique proprium, illius tamen propriam rationem consultò silentio inuoluit, quod multò ante ab aliis est factum, quæ cùm nullam certam & expressam peccati originalis rationem tradiderint, liberum sanè cuique reliquerunt opinari, dummodò uera peccati ratio integra conseruetur. D. uerò Augustinus, nihil esse dixit ad prædicandum promptius, nihil uerò ad intelligendum secretius. Quare non quidem magnum scelus suscepisse, aut iniuriam antiquitati (quã mirum, ut par est, in modum obseruo) inussisse is uideri debet, qui in re libera liberè etiam opinetur. Neque ualde erit abs re, si mentem meã paucis hoc in loco aperiam, de aliorum uerò sententijs nihil dicam, qui non tam institui aliena refellere, quàm mea confirmare.

Conciliũ Trident. sess. 6. sub Paulo 3.

Conciliũ. Mileuitanum. et Arausicanum.

Augusti. lib. de moribus Ecclesiæ.

PRINCIPIO uehementer probo illam peccati originis definitionem, quam à D. Anselmo accepimus, esse scilicet priuationem iustitiæ originalis, quam habere debuissemus. Hæc enim, quæ nobis insunt ad peccandum incitamenta, & quasi prurigines, peccati ratione prorsus carerent, nisi pulsa fugataque iustitia illa post se reliquisset. Nam si

Quid sit peccatum originale.

essent solius lasciuientis naturæ pulsus, & agitationes, atque ita sola natura affecti essemus, ut caro cũ sibi grata & iucunda concupiscit, contra spiritum resisteret, & repugnaret, & à præscriptione rationis esset auersa, innati quidem magis defectus, qui naturam ipsam ex diuersis partibus inter se minimeq; consentientibus constantem, consequerētur, quàm peccata essent existimanda. Cùm uerò omnibus donata fuerit iustitia originalis, quæ simul cum natura exorta, perpetuò durare potuisset, quæ carnis lasciuiam & petulantiam comprimeret, & omnes animi & corporis partes in officio cõtineret, omnesq; sceleratos animi motus cohiberet, qua quia spoliati, ac denudati sumus, caro spiritui obsistit & repugnat, & ad modum intractati & indomiti equi præcipitibus, & ferocibus cupiditatibus rapimur; fit, ut tanta animi effrenatio & insolentia peccatum sit. Quare & ipsa originalis iustitiæ amotio, atque priuatio, præcipuè peccati rationem habet, immo ipsa est peccati originalis forma, ex qua scilicet ĩ nostris cupiditatibus omnis sceleris, & turpitudinis ratio inest. quæ tamen iustitiæ spoliatio peccatum esse nullo modo potuisset, nisi aliqua diuina lege illam conseruare astringeremur. quo modo enim illius rei priuatio, ad quam ipse retinendam nulla lege, aut ratione obligor, peccatum esse potest? Cum enim peccatum sine legis trãsgressione esse non possit, ut abundè satis demonstrauimus, si priuatio originalis iustitiæ, peccatum meritò habetur, aliqua certè lege tenebamur iustitiam illam perpetuò tueri & conseruare. Quòd si sacrarum literarum monimē

ta

ta euoluas, nullam hac de re à Deo legem explicatè, & enodatè latam fuisse agnosces. Adamo enim solũ esum arboris scientiæ boni ac mali, diuina lex uetuit. Quare ad naturæ ipsius leges rem exigamus atque examinemus oportet, quibus omnes unà obstricti atque obligati tenemur. quis uerò dubitare poterit, in potissimis naturæ legibus contineri, ut quisque quoad eius fieri potest, naturæ ipsius incolumitatem, salutisque tutam, ac integram conseruationem curet? hinc fit, ut qui sese oculis orbat, membris mutilat, in aliquam ægritudinem temerè præcipitat, uitæ aut naturæ ipsius perfectæ constitutionis lubens iacturam facit, naturæ legem uiolare censeatur. Qui uerò iustitiæ originalis uim atque munera considerauerit, satis intelliget, naturæ absolutam et exactam perfectionem illa maximè contineri atque conseruari. cum non solùm, ut à sanctis patribus, præsertim uerò à D. Augustino accepimus; hominem Deo gratum, diuinæque naturæ consortem faceret, sed integrum perpoliret, & perfectum redderet; atque efficeret, ut omnes illius animi & corporis partes admirabilem quendam concentum seruarent, cùm unaquæque suo munere absolutissimè fungeretur. intellectus enim, illius beneficio mira erat diuinarũ humanarũq; rerũ cognitione illustratus, uolũtas rationi exactissimè obsequebatur, & reliquæ omnes inferiores potentiæ superioribus ita subijciebantur, ut sibi quàm facilimè posset homo ab omni scelerum genere temperare. quo præclarissimo ornamento, quandiu hominis animus decoratus extitisset, corpus omnibus quidem fuisset miserijs

& ærumnis prorsus liberum, nullo mortis metu percelleretur, sed in summa rerum omnium affluentia miseriarumq; absentia felicissimã uitam degisset, ut Diuus Augustinus quàm sæpissimè & diffusissimè docet. Quare illa iustitia, quam in Adamo accepimus, quamque originalem uocant, naturale donum, omnium est sermone dicta, quippe quæ erat ueluti præstantissimum quoddam antidotum, quod animum & corpus omni ægritudine & noxa liberum, conseruare potuisset. quare ligni uetiti esus, quo iustitiæ originalis iacturam fecimus, fuit quasi uenenatum quoddam pomum, quo Adamus sibi & nobis omnibus mortem consciuit, & his tantis animi ac corporis bonis se ipsum omnemque posteritatem spoliauit, atque ingentem cladem naturæ ipsi intulit. Cùm animus iustitia illa destitutus tanta pace, tantaque felicitate frui non potest, sed uarijs cupiditatibus tanquàm furijs quibusdam agitatur, estque ad peccandum longè procliuior, & propensior, intellectus densa ignorationum caligine offunditur, uoluntas rationis imperium detrectat, illaque potentiarum præclara harmonia admirabilisque concentus inuersus est; & in magnam quandam perturbationem atque confusionem immutatus, corpus uerò innumeris est cladibus expositum, ærumnis obnoxium, ægritudinibus coopertum, miserijsque implicatum; mors denique ipsa cum infinita malorum omnium Iliadę iustitiæ originalis priuationem est subsecuta: quare si insita à natura lege omnes naturæ ipsius salutem, conseruationem, incolumitatemque curare astringimur, il-

Aug. priori lib. de pecc. meritis, & remiss. et 14. de Ciuit. Dei.

lam tanta felicitate, tantisque bonis spoliare, & tanta malorum omnium congerie onerare, atque opprimere, omni culpa uacare arbitrabimur? Qui digitum unum sibi aut alteri abscidit, oculo'ue altero orbauit, naturæ legem nefariè uiolasse censetur. qui uerò animam illa, quæ naturam decebat, perfectione, & ordine priuauit, ad peccandum procliuitatem attulit, corpus necessitati moriendi addixit, innumeris miserijs inuoluit, & omnibus, quas patimur, calamitatibus fores aperuit, nullum hoc facto scelus admisisse putabimus? si quis se ipsum solum tantis cladibus & miserijs sponte affecisset, non dubito quin omnes magni criminis reum illum ageremus, atque se magno scelere contaminasse, confiteremur. Cùm uerò primus parens Adamus in se totamq; posteritatẽ iniuriosus & immanis, omnibus, quæ numerauimus, bonis cunctos spoliauerit, & quam recensuimus malorum multitudinem inuexerit, incommodisq; presserit, naturalem legem, quæ, ne quis sibi alteri'ue incõmodare audeat cauet, diligenter uerò sancit, ut se atque alios quisque seruare studeat, non illum perfregisse & dissoluisse ducemus? qui detrimentũ infert cũ ijs nulla ex parte conferendũ, legẽ istã deseruisse dicimus; qui maiora multóq; truculentiora dedit, ab omni crimine solutum ac liberũ existimabimus? sicut uerò uniuersa illa felicitas ex unica natiua iustitia pendebat, ita illius amotio, omnium extitit malorum causa. quare priuare se iustitia originali, in Adamo summum fuit scelus. neque solùm quòd de prohibito ligno ederit, sed quòd se posteritatemq; uniuersam tantis ærumnis inuoluerit, tantisque bonis spolia-

ſpoliauerit, peccati rationem habet. Id quod cùm in ſola priuatione iuſtitiæ originalis poſitum fuiſſet, quæ omnium natura bonorum fons erat & ſcaturigo, iuſtitia ſe quidem originali priuare, in Adamo non minus peccatum fuit quàm de prohibito à Deo ligno edere. Quòcirca in illa unica edendi de ligno uetito actione, duo peccata ſimul coniuncta & impli cata agnoſco, alterum, quo præceptum ſibi à Deo im poſitum, eſt tranſgreſſus; alterum, quo ſibi ſuæq; poſteritati tantum iuſtitiæ donum eripiens, tam miſerè naturam fœdauit, tantaq; malorum Iliade preſſit. Cum præſertim Adamus incredibili rerum cognitione præditus ignorare non potuerit, ex ſe uno totius poſteritatis uitam interitum'ue, felicitatem, aut infelicitatem; fortunas, aut infortunium, extremamque miſeriam pendêre. Et quemadmodum ſi quis eo die, quo eccleſiaſtica lege carnibus abſtinere tenetur, ijs ſe carnibus ingurgitauerit, quas certò ſciebat ſummum uitæ diſcrimen, & ualitudini diſpendium allaturas, illa comedendi actione non modò reus eſt uiolatæ eccleſiaſticæ legis, ſed etiam naturæ, quæ ſeruare uitam, ualetudinemq; præcipit: ita Adamus cùm diuino Imperio repudiato, prohibitum pomum comedit, non ſolùm illam Dei legem ſceleratè perfregit, & conculcauit, ſed naturalem, qua ut ſe, ſuamque poſteritatẽ ſeruaret, aſtringebatur, atq; omniũ maximũ charitatis præceptũ cùm ſe totũq; humanum genus iuſtitia originali orbatũ tãtis incõmodis, tãtisq; animi, & corporis calamitatibus obſêdit. Quòd ſi ad rationem uolũtarij in omni peccato maximè neceſſariã animum aduertamus, ſatis intelligemus, quòd quemad-

quemadmodum uentris ille magis quàm uitæ, ualetudinisque studiosus damnum sibi ultro intulisse iudicatur, cùm illas uoluit carnes ligurire, illamq; ingluuiem, ex qua tantum illud damnum necessariò consequebatur; ita Adamus, & si nihil cogitaret, in animoque haberet nisi Heuæ suæ moremgerere, & de pomo ab illa sibi oblato edere, omnia tamen illa uoluisse habetur, quæ ex ijs, quæ uoluit, ita ex necessitate sequebantur, ut prohiberi nulla humana ui, aut uirtute potuissent. Velle enim causã, & id, quod illa efficit, necessariò nolle, perinde est, ac si quis uelit seipsum in ardentem rogum coniicere, & nolit cõburi. Cùm igitur diuinæ legi non parêre, iustitiæ originalis priuationem, tantorumq; malorum multitudinem esset necessariò illaturum, sicut omnia sunt una actione, ita una uoluntate implicata, & si diuersam habeant uoluntarij rationem. Nam quæ explicatè, et per se uoluntas eligit, primariò; quæ uerò inde consequuntur, necessariò concomitantur, esse uolita Theologi scholastici aptissimè dicunt; quia & si ad illa uoluntas non aduertat, illa tamen, quæ sponte eligit, ex necessitate comitãtur. Quare persuasus sum, priuationem iustitiæ originalis in Adamo, peccatum fuisse, non quidem originale, quia non aliunde fuit per originem contractum, sed actuale, quia propria operatione, & sponte se perfectissimo illo naturæ ornamento, iustitia nimirum, priuauit, quam retinere naturali lege tenebatur. Quæ cùm ab illo ad nos fluit per originem, uerè peccatores sumus. & sicut in Adamo iustitiam accepit, ac amisit tota humana natura, ita peccatum in illius amissione susceptum, multò magis

magis ad naturam pertinet, quàm quoduis aliud. Quòd si uniuersitas generis humani tenebatur iustitiam illam originalem conseruare, illiusq; priuatio in nobis peccatum est, quis hac obligatione Adamũ liberauit, aut legem condidit, unde unum solum hominem, in quo omnium uolũtates inclusæ erant, eximeret? Quòd si inane est cogitare, & pari Adamus autoramento tenebatur, illa profectò se iustitia spoliare, quam conseruare tenebatur, non minus in illo actualis peccati, quàm in nobis originalis rationem habuit. Neq; est quòd mihi quis obiiciat iustificantẽ gratiam, cuius iactura omni culpa caret; sed illa sola actio, qua gratiæ iacturam facimus, peccatum est, gratiæ uerò ipsa iactura, potius pœna, peccatiq́ue comes dicenda est. Nam etsi gratia diuinum quoddã donum sit, sicut iustitia originalis, illa tamen ad illos solos effectus, animiq́; ornamẽta sese fundit, quæ nos diuinæ efficiunt consortes naturæ, & quæ conseruare nulla lege tenemur. Hæc uerò, iustitia inquam originalis, naturam etiam ipsam omni ex parte perficiebat, & perpoliebat, omniq́; incõmodo liberabat, quare illam ita conseruare, sicut & naturam tenebamur. Quæ sententia tunc cœpit mihi magis placere, cùm illam innuere mihi uisus est Franciscus Siluestrius Ferrariẽsis, cum interpretatur quartum librum D. Thomæ contra Gentes, uir profectò inter eos, qui hac nostra ætate gymnicum dicendi genus secuti sunt, eruditione, summaq́ue ingenij perspicuitate clarus.

D.Th. prima secundæ. q. 8. art. 3. ad 5.

Francis. Siluestri. Ferrariẽsis in. 4. lib. cõtra Gentiles c. 32.

QVÒD uerò ad alteram attinet peccati definitionem, quam inquit Kemnicius se apud Colonienses

ses Patres reperisse, quamq; maxima irrisione ludit, peccatum scilicet nihil esse, sed solam boni priuatio nem, tam est omnibus nota atque comperta, ut nullius egeat aut propugnatione, aut assertione. Vt uerò reliquos sanctos patres omittam, lege, Kemnici, quibus argumentis Diuus Augustinus probat, eò nos minus esse, quò mali sumus; quia eò magis à Deo deficimus, qui solus uerè dicere potest, Ego sum, qui sum. Quare uerba illa Ioannis, Et sine ipso factum est nihil. de peccato interpretatur, quod nihil esse ait. Et in libello, quem Soliloquia animæ ad Deum, inscripsit, qui Augustini Spiritum diuini amoris flammans quatientem, & ardenti charitate inflammatum satis præsefert, cùm peccati miseriam deplorat, ita illius rationem cum Deo loquens explicat, Et sine ipso factum est nihil: quia nihil bonum sine summo bono est, sed malum est ubi non est illud bonum, quod utique nihil est, quia nihil est aliud, quàm priuatio boni; sicut nihil est aliud cœcitas quàm priuatio luminis. Malum itaque nihil est, quia sine uerbo factum est, sine quo factum est nihil; illud autem malum est, quia priuatur illo bono, per quod omnia facta sunt, quæcunque sunt. Et in capite sequenti, se inquit, peccati uulnera, & animæ cruciatus ideò non sensisse dum ad peccandum inducebatur, quia nihil erat, quia sine uita erat, quæ est uerbum, per quod facta sunt omnia. In quo mirabiliter quidem consentit Augustinus cum magno illo Dionysio Areopagita, egregio Pauli discipulo. Neque uerò ita peccatum nihil esse dicimus, ut alteram ipsius partem, quæ in actione consistit, rem quandam esse negemus,

Aug. lib. 1. de Doctr. Christiana.

Aug. trac. in Ioan. 1

Aug. Soliloq. c. 5

Aug. Soliloq. c. 6.

Dionysius Areop. de Diuinis nominibus. c. 4.

mus, & quam nisi diuina operatio concurrat, homo per se efficere nulla ratione possit. Deus enim omnibus rerum functionibus ita assidet, ut nisi uires ad agẽdum suppeditet, & unà cum rebus ipsis operetur, nulla sit tanta uirtus, quæ per se, & à se quidpiam agere possit. Alteram tamen peccati partem, quæ illius est ueluti forma, & essentia, quam à diuina lege, diuinaq; uoluntate auersionem atque defectionem dicimus, nihil esse satis constat, cum solùm sit à bono desciscere. Quare neque summum, atque omni ex parte, & in omni genere absolutum Deum, auctorem habere potest. Si enim ex calido algidum, aut ex frigido calidum extare nullo modo potest, sed omnes effectus causæ suæ respondere necesse est, quis poterit existimare, ex perfectissimo, & omni defectione carẽte Deo defectum ad nos posse permanare? aut quis sibi persuadere poterit, illud aliquid esse, quod à Deo non sit? Quare cùm peccati illa pars, quæ in auersione à Dei lege posita est, deprauatam humanã uoluntatẽ tantummodo causam habeat, nihil planè est aliud, quàm mera boni, perfectionisq; priuatio, hoc est, nihil. Quod tertiò Kemnicius in Coloniensi censura reprehendit, illud est,

3. *Axioma.* *De peccato originis non manifestè se aperiunt Iesuitæ quid sentiant, & tamen quid uelint non obscurè colligi potest: nam fol. 28. monent, ne quis peccata hominũ, aut naturam nimiùm exaggeret, ut nihil in ea boni insit.* Quæ Coloniensium uerba Pelagianismi insimulat Kemnicius.

Qvàm dispari studio societatis Iesu uiri ad Monhemij impietates reserandas, & Kẽnicius ad illorum dicta calumnianda ducti fuerint, & incitati, satis ex

eo

eo patet, quòd hic uitio uertat exactam peccati originis explicationem fuisse ab illis prætermissam, illi uerò consultò eam omiserint, quam sub opinionem cadere posse intelligebant. Cum enim neq; fidei mysteria omnia exactè enodare in animum induxerint, neque calumniandi libidine flagrarent, prudenter admodum illis supersederunt, quæ opinari integrum cuique esse uidebantur; ad ea uerò refellenda se totos compararunt, quæ aut apertam impietatem continere, aut latétem inuoluere, & occultare, aut errandi occasionem afferre posse ducebant. Cùm igitur quæ sit peccati originis ratio, atque definitio non inter hæreticos modò, sed inter Catholicos etiam in quæstione uersetur, & ancipiti contentione in contrarias sententias omnes distrahantur, ex tot tamen Cōcilijs, quæ de peccato originis exortos errores profligarunt, nullum adhuc extitit, quod quæstionem hãc dirimendam, controuersiamq; sedandam esse existimaret. Atque ita Mileuitanum Concilium, uel eo solo nomine quàm maximè egregium, quòd Diuum habuit Augustinum, & quod hoc sequutum est, non multò post secundum Arausicanum, cui D. Leo primus Pontifex Maximus interfuit; atq; ultimò hoc præclarissimum, & sacrosanctum Tridentinum, cum definierint, omnes trahere originis peccatum ex Adamo, quidnam illud sit peccatum, consultò prætcrierunt, & missum fecerunt. Quam igitur tot, ac tanta Concilia nobis opinandi libertatem reliquerunt, præripuissent societatis Iesu uiri modestissimi, & circumspectissimi? certamq; nobis fidem in re dubia perscripsissent? cùm præsertim Monhemius, qui ad

Quid sit peccatũ originale, cōtrouersum adhuc est.

peccandum propensionem, & cupiditates, quas simul cum natura induimus, peccatum uocat originale, non ualde abhorrere uideatur à, multorum peritissimorum hominum mente, qui Augustini sententiam se tenere arbitrantur. quas tamen ijs immiscet, atq; ex ijs concludit falsas, & sceleratas sententias, apertissimè redarguunt Colonienses. Qualis illa est oratio, qua naturæ corruptionem originis peccato cõtractam ita exaggerat, ut dicat, nihil à tali posse natura scaturire, præterquàm mala, nihilq; ab illa edi, aut effici non peruersum, & contaminatum, nihilq; non malum illi inesse arbitretur, ad quod efficiendum cùm illo testimonio Gen. utatur, Cogitatio cordis humani mala est à pueritia. Inquiunt Colonienses, maluisse quidem, ut fuisset usus Hieronymi uersione, Cogitatio cordis humani ad malum prona est ab adolescentia sua. cùm ita Hebræorum uerborũ sensum aptissimè contineat, ut omnem errandi occasionem eripiat. Nam & si humanam naturam perquàm deprauatam esse, ad peccandum promptam, & expeditam negare nos non patiatur perenne illud bellum, quod caro cum spiritu, & Dei lege continenter gerit; hanc tamen naturæ corruptionem tantopere amplificare, ut nihil in illa pium, nihil bonum, nihil nõ contaminatum agnoscamus, & à ueritate plurimùm abesse, & ad Manichæorum delirationes quã maximè accedere uidetur. Neque enim naturæ illa turpificatio, & deprauatio tollit, quin liberum arbitrium diuinis auspicijs, atq; munere possit lasciuientes animi motus, seq; contra rectam rationem erigentes comprimere, aliquas actiones rectæ rationis lege con-

conformatas edere, diuinæ bonitatis amplitudinem, humanarũ rerũ procuratione, sapiẽtiã plurimaq; diuini numinis mysteria cognoscere. Quæ tamẽ quæstio, quia est cum ijs, quæ à nobis in 6. Axiomate, & de arbitrij libertate dicenda sunt, ualde connexa, & copulata, non est quòd earundem rerum crebra repetitione fastidiosi simus.

QVOD uerò spectat ad locum illum Gen. Figmentum cordis humani malum ab adolescẽtia sua. *Genes. c.10.* cuius uerum, & germanum sensum ex Rabinorum Commentarijs depromptũ Coloniẽses afferunt, per irrisionem uerò referre Kemnicius uidetur, qui in Hebraicis literis uel parum fuerit uersatus, satis ĩtelliget, uocem יֵצֶר quam diuus Hieronymus cogitationem, reliqui uerò figmentum, uertunt, sæpe usurpari in scripturis diuinis ad significãda mẽtis desideria, animi commentationes, & concupiscentias. Quã quàm si ex uerbo יָצַר quod est fingere, ac formare etymologiam spectes, figmentum propriè significet. nam (ut R. Dauit Kimchi auctor est) ea animus fingit, atq; format, quæ concupiscit, cuius passim est in diuinis literis exempla reperire. Quare hæc Genesis uerba יֵצֶר לֵב הָאָדָם id est, figmentum cordis hominis, non cor ipsum humanum, humanasq; oẽs actiones, sed id, quod cor ipsum humanũ primo conatu fingit ac format, significãt: qua circuitione, & anfractu, hominũ cupiditates, & desiderij igniculi intelligendi sũt, qui non ab alio opifice, quàm à corde ipso humano finguntur. Quare siue figmentum cordis, siue quouis alio modo uertas, ad cupiditates certè, quæ in humanis cordibus formantur, referenda sunt. Neq; dissimi-

lis

lis huic ſententia eſt illa, qua Moſes cauſam reddit tantæ iracundiæ diuinæ, ut quem ſummo ſtudio, & charitate hominem formauerat, delere inundantibus aquis animo obfirmato ſtatueret. Videns (inquit) Deus quòd multa malitia hominũ eſſet in ter-
Geneſi. 6 ra וְכָל־יֵצֶר מַחְשְׁבֹת לִבּוֹ רַק רַע כָּל־הַיּוֹם, id eſt, & omne figmentum, ſiue omne deſiderium cogitationis cordis eius certè malum omni die; quo ſanè in loco uocabulum יֵצֶר ſolam ad peccandum propenſionem, effrenataque deſideria doctorum omnium iudicio ſignificat: quæ ideò à Deo crimini dabantur, quia diuinæ gratiæ, liberique arbitrij uirtute non erant coercita atque compreſſa, ſed illorum impulſione ad atrociſſima ſcelera omni impetu ferebãtur; quod quidem uerba illa apertè indicant. Videns Deus, quòd multa malitia hominum eſſet in terra. Quare idem prorſus Moſes per figmentum cogitationũ cordis Geneſis.c.6. & per figmentum cordis.c.8. intellexit, cupiditates ſcilicet, & deſideria, quæ mala, ac ſcelerata ideò dicuntur, quia ad malum propendent, & inclinant. Quare accommodatiſſimè D. Hieronymus uertit, cogitatio cordis humani ad malum prona eſt, atque propenſa omni die.

VT igitur ad inſtituti noſtri rationem reuertamur; Kemnicius contendit, illam Colonienſium ſententiam, quæ nihil boni in ijs, qui nondum per Chriſti gratiam renati ſunt, reperiri poſſe negat; ad Pelagianiſmum plurimùm accedere, quod duobus Auguſtini locis probat. principiò enim inquit; *Pelagius ita locutus eſt, ſicut recitat Auguſtinus libro ſecundo de Bono perſeuerantiæ c. 11. Ignorantiam, & difficultatem, ſine quibus* nullus

nullus homo nascitur, esse primordia non supplicia naturæ. & de Pecca to originali lib. 2. cap. 13. Omne bonum, uel malum, quo uel laudabiles uel uituperabiles sumus, non nobiscum oritur, sed agitur à nobis. capaces enim utriusque rei non pleni nascimur, & ut sine uirtute, ita & sine uitio procreamur, atque ante actionem propriæ uoluntatis id solum in homine est, quod Deus condidit. Quibus Pelagij uerbis, non oppugnatam modò, sed funditus euersam Coloniensium sententiam putat. Quæ cũ legerem, & attentius cum Coloniensium uerbis conferrem, aliquantulum hæsi, & dubitaui, an per incuriam fortè Kemnicius hæc loca, quæ prorsus extra rem esse uidebam, attulisset. Neque enim fieri posse putabam, ut qui sui omnino compos esset, tantopere hallucinaretur, atque extra causam tam turpiter in re tanta ageret. Nam Pelagius, qui nullum originale peccatum in paruulis agnoscebat, hanc ad peccandum propensionem, concupiscentiam, atque pruriginem dictitabat, minimè ex peccato originis nasci, sed naturæ ipsius esse conditionem, ac necessarium modum, neque aliter nos affectos esse potuisse, si Adam ab omni scelere se temperasset. hominem enim ex diuersis, atque propè cõtrarijs naturis constãtem, nõ ijs esse deformitatibus præditum, prorsus ducebat impossibile. Quam Pelagij mentem explicat, & refellit D. August. eo loco, quem Kemnicius refert ex lib. 2. de Bono perseuerantiæ. Quam rectè uerò inde concludi possit, nihil in homine boni inesse, tu ipse, Kemnici, iudica. Nam fatentur quidem Colonienses cum Augustino, ignorantiam, ad peccandum incitamenta, difficultates, quas patimur; quicquid demum mali in homine inest, ex pec cato

Aug. lib. de Bono perseuerãtiæ c. 2.

cato originis oriri, sed inde concludere, peccatum originale efficere etiam, ut nihil insit in homine boni, delirantis est argumentatio. Nisi enim peccato originis essemus infecti, & iustitia originali spoliati, omnibus ijs, quæ patimur malis, careremus fateor, ut abundè paulò antea explicauimus. sed qua nam ratione colligi inde putas, tantas fuisse peccati uires, ut nihil in nobis boni reliquum fecerit? ò disertum, & argutum hominem? ò inauditum acumen? Hoc tam latè patens peccatum uniuersa hæc mala secum inuexit, ergo omnibus nos bonis spoliauit? naturam uitiauit, ergo funditus prostrauit? concidit ergo, necauit? uires perfregit, atque debilitauit, ergo exhausit, & prorsus consumpsit? Quis hanc argumentandi rationem facilè ferat? quis tantam amentiam cum tanta insolentia coniunctam non irrideat? Colonienses uerò & si Monhemium reprehēdant, quòd significare uideatur, nihil in homine boni inesse, malorum tamen tantam multitudinem, quanta premimur, ex peccato originali fuisse profectam, & non ex naturæ ipsius conditione impressam, satis apertè docent, cùm hanc rationem reddunt; quare post baptismum, quo peccatum originale, est planè deletum, & abrasum, concupiscentia adhuc manet, *ut* scilicet (inquiũt) agnoscamus, quãtum malum sit, Deum opt. max. uel minima inobedientia offendere: dum aduertimus illud protoplasti peccatũ, quod cum illo in lumbis eius patrauimus, tantam etiam nunc connexam habere pœnam, quod maximis sudoribus reprimere, laboribus, ac uigilijs superare, ac totis deniq; animi neruis extinguere conueniat.

Putas

Putas'ne, Kemnici, uoces hasce esse negantium cum Pelagio omnem hanc naturæ deprauationem, & corruptionem ex peccato originis extitisse? Ad locum uerò libri secundi de peccato originali, satis Augustinus ipse respondet, cum mox addit, nihil illis uerbis aliud uoluisse Pelagium, nisi peccati originalis persuasionem ex hominum animis conuellere, cùm omnia hæc, quibus conflictamur, animi, & corporis incommoda non ex peccato originali, sed ex natura ipsa effluere dictitabat. Quæ quantum contra eos faciant, qui & peccatum originis in omnes peruasisse, & ab illo omnia nostra mala & incommoda profecta esse fatētur, uidere quiuis iam facilè poterit. Quartum Kemnicij Axioma illud est, *Aug. lib. 2. de peccat. originale. 13.*

ASSEVERANT Iesuitæ, post susceptū baptisma, peccatum in renatis nullum remanere uel quod apertum sit, uel etiam quod tegatur, & operiatur. Bone deus, quanta est impudentia istorum hominum cùm Rom. 4. consensu ueteris, & noui testamenti hic constituatur, Beati quorum tecta sunt peccata. Iesuitæ contrà dicunt, Beati, qui nullum habent peccatum, siue tectum, siue apertum. *4. Axioma.*

SI truculentissimæ sunt & mortiferæ maximè inimicitiæ, quæ amicitiarum simulatione geruntur, nulli profectò magis feri, & immanes hostes diuinæ misericordiæ esse possunt, quàm perditi, & profligati homines, qui amplificandæ, & illustrandæ illius simulatione, inaniq; ostentatione, meritorum Christi sanguinisque pro nobis fusi, uirtutis, atque potestatis augendæ specie, illam eneruant, debilitant, de gradu deijciunt, & proculcant. Nam qui nullam orationem parem reperire possunt diuinæ misericordiæ commendandæ, Christi meritis amplifican

dis, sanguinis ipsius potentiæ extollendæ, & prædicandæ, cum docent eos, qui uel minima fide Christi passionem suscipiunt, omni esse mox crimine liberos, & solutos, neque esse quòd incestuum turpitudinem, sacrilegiorum impietatem, cædium immanitatem, rapinarumque conscientiam amplius uereantur; quippe, quia sanguis Christi sola fide susceptus, omnia delere crimina, omnia tollere, radicitusque extrahere, omnemque potentiam Inferni infringere facilè potest. qui temeritate maxima dictitant quòd quanuis innumeris se quisq; sceleribus audacter contaminet, si Christi merita sola fide, & firmissima spe susceperit, ipsiusque sanguine crimina asperserit, omnem mox impietatem in excellentissimam quandã iustitiam immutari: qua oratione peccandi licentiam, & impunitatem afferunt maximam: ij inquam cùm de sacramentis sermonem faciunt, quæ & fidem habent coniunctam, & Christi sanguine ita rersperſa sunt, ut quasi promptuaria esse uideantur, quæ illius merita continent, atque efficiunt utin omnes copiosè, & abundè permanent, infirma illa, debilia, atque ad peccati foeditatem abstergendam, maculam eluendam, potentiam emolliendam ualde imbecilla esse dictitant, tã tasque esse peccati uires arbitrantur, ut nulla possint sacramentorum ui, atque uirtute superari. Quid enim, amabò te Kemnici, aliud est, sacro lauacro negare uim abstergendi peccata, quàm Christi sanguinem imbecillum, illius merita infirma, redemptionisque nostræ mysterium, quod nobis baptismate communicatur, impotens dicere? Cum enim Christus

Baptismo omnia prorsus peccata deleri.

ſtus mortuus fuerit ad multorum exhaurienda peccata, quibus id, quæſo, alijs quaſi inſtrumentis efficit, quàm nouis ſacramentis (ueteribus antiquatis, & reiectis) à ſe inſtitutis? Quibus cùm ſanguinem ſuum diuinum incluſerit, nihil certè eſt aliud, aqua baptiſmatis corpora aſpergi, quàm animam Chriſti ſanguine reſpergi, & perfundi. Quare qui ſacramenta exhauriendi prorſus peccata potentia priuat, non quidem ſacramentis, ſed Chriſto ipſi iniuriam facit, qui omnem meritorum ſuorum uim ſacramentis impreſſit. Si ſacramentum baptiſmi (ut cætera taceam) crucis, mortis, meritorumque omnium Chriſti uim non continet incluſamque habet, quæ tanta eſt eius potentia ut peccata poſſit tegere (ut ais) diuinamq; indignationem ita retardare, & comprimere, ut ea flagitia puniri nunquam poſſint? ſi continet, quod nemo unquam fidelium negauit, Quæ tanta eſt ſanguinis Chriſti infirmitas, & imbecillitas, ut peccatorum fœditatem, & turpitudinem tollere nullo modo poſſit? Cum legis apud Diuum Paulum, Chriſtum ſemel oblatum fuiſſe ad multorum exhaurienda peccata, quid, exhauriendi uerbo intelligis? *Heb.c.9.* ita'ne operiri, & non imputari, ut integra tamen peccata maneant? Vt homo Chriſti oblatione ſanctificatus, & liber, peccatorum ſit nihilominus turpitudine infectus, ſcelere contaminatus, pedore corruptus, & uerè ſceleratus ac flagitioſus dici poſſit? Non uides quantùm id cùm exhauriendi uerbo pugnet? Nam quorum uel tenues reliquiæ manent, exhauſta dici nullo modo poſſunt. Paulus uerò non peccatorum ſupplicia, ſed peccata ipſa exhauſta eſ-

ſe dicit. Si igitur Chriſti mors multorum peccata exhaurit, prorſusque tollit, quo'nam id modo efficere putas? An ſolùm quia id efficiendi uim habet? At non iam multorum, ſed omnium peccata exhauſiſſe Chriſti oblationem, dicere debuiſſet. Nam cùm pro omnibus mortuus fuerit, mortis illius tanta eſt uis, tanta potentia, tamque inexhauſta uirtus, ut nunquàm tantum poſſit uniuerſitas generis hnmani extendi, & dilatari, aut peccatorum multitudo creſcere, ut cum illa exæquari ullo modo poſſit. Cum igitur nõ omnium, ſed multorum dicat Paulus peccata eſſe exhauſta, de illis ſanè uerba facit, qui crucis, & mortis Chriſti fructum percipiunt, neq; illius uĩ irritã in ſeipſis, atq; uanã faciunt. Quos quo'nã modo conſequi tantum Dei beneficium poſſe exiſtimas? De cœlo'ne repentinum illud & inexpectatum delabitur, nulla ſacramẽtorum uirtute, aut humana operatione interueniente? Inania igitur ſunt ſacramenta, inutilis prorſus eſt illorum opera, & inſtitutio.
Marci. c. 16. Quòd ſi uera ſunt Chriſti uerba, quibus, ſalutem ſẽpiternamq; uitam ijs ſolis pollicetur, qui crediderint, & baptizati fuerint, felicitatis autẽ aditum ſola peccata occludere, Chriſti uerò ſola merita recludere poſſunt, an'non ſatis conſtat, baptiſmatis ſacramẽtum, Chriſti paſſionem, & merita ita habere colligata, ut animam peccatis expunctis ſantificet, & beatitudinis aditum aperiat? Cum igitur ex Pauli ſententia, Chriſti oblatio, & mors eorum, quos ſantificat peccata non quòmodocunq; tollat, ſed exhauriat, & baptiſmatis ſacramento ad id quaſi inſtrumẽto Chriſtus mentium ſanctificator utatur, quantam putas

esse impietatem negare, post susceptum diuinum lauacrum, nullum remanere peccatum? cum sit apertè D. Paulum, mẽdacij, & Christi mortem, infirmitatis, & imbecillitatis arguere? Quòd si te ista parũ mouẽt, Kemnici, quid, quæso, illa Pauli uerba significãt in ea epistola, quam ad Hebræos scripsit Purgatione peccatorum per se ipsum facta, sed & ad dexteram maiestatis in excelsis? An purgatæ illæ mentes dici possunt, quæ sceleribus sunt infectæ, & cõtaminatæ? an purgare non est, quod sordidum erat, abstergere, quod impurum mũdare, quod turpe, & maculatum abradere? Quòd si passionis Christi uis peccata, quæ ex Adamo contraximus, non delet omnino, sed ita operit, ut perpetuò illis maneamus cooperti, & infecti, quomodo eum purgasse nostras mentes Paulus dicere potuit? Quòd si scripturæ sacræ uerba luxare & extra proprios sensus in alios longè alienos abducere fas est, omnibusq; uestris commentis patere illa potest, nihil profectò ex ea ueri, nihil, quod certum, ac definitum sit, habere unquam poterimus. In epistola uero ad Romanos cũ idem Paulus confert incommoda, quæ nobis Adæ peccatum attulit, cum commodis à Christi morte profectis, longè superare quæ à Christi morte dona accepimus, ab Adamo illata damna, apertè ijs uerbis asserit, Sed non sicut delictum, ita & donum. si enim unius delicto multi mortui sunt, multò magis gratia Dei, & donum in multos abundauit. Minimè uerò Christi bonitas in eo Adæ malitiam superat, quòd illa plures seruentur homines, quàm ista perdantur. Nam multos solo Adæ crimine interire, quibus Christi sanguis salutem non

Heb.c.1.

Rom.c.5.

non dedit, compertissimum est. Neq; item in eo solùm, quòd multò plura crimina Christus suis condonet, quàm ex Adamo contraxerimus, sed quòd longè maiori opum, et dignitatum abundantia Christi passio animas exornet, quàm Adæ peccatum turpitudinis, & malorum copia contaminet. Quod idē Paulus explicat cum ait, Si enim unius delicto mors regnauit per unum, multò magis abundantiam gratiæ & donationis & iustitiæ accipientes in uita regnabūt per Iesum Christum. Ista enim nominum multitudo & numerus, infinitam bonorum affluentiā designat; sicut & uox περισσεία, quæ non quamcunque abundantiam, sed redundantiam & profluentiam innuit. Expende igitur, Kemnici, paulisper ista Pauli uerba, & cum tua, immo Lutheri tui sententia diligenter confer. neq; enim fieri potest, quin uideas quantum inter se pugnent. Nam si peccatum ex Adamo contractum ita immobile hæret hominum animis, illorumque est infixum mentibus, ut nulla sacramentorum ui, & meritorum Christi efficacitate diuellatur unquam, sed operiatur solùm, an non maior est peccati Adæ, quàm Christi uis, & potentia? an non plura nobis intulit Adamus incōmoda, quàm Christus commoda? nisi tu peccatis esse contaminatum, & turpificatum, in animi damnis non esse numerandum ducis. Duo enim in peccato, te etiā auctore, insunt, Peccati scilicet turpitudo, quæ nos Deo facit odiosos, ipsiusq; iudicio contaminatos, atq; sceleratos, quæ uera est peccati ratio, & Reatus pœnæ, hoc est, quòd ob admissa scelera æternis simus supplicijs obnoxii, & mancipati. Quæ si inter se conferas, & aliquem religionis

Rom. c. 5

gionis pietatisq; sensum retines, satis intelliges, primum esse longè funestius, turpius, horribilius, multoq; formidabilius. mētes enim, quæ diuina charitate exardescunt, cùm Deum esse summum, & infinitū bonum satis intelligant, ab illo esse peccatis alienatas, summum malum iudicant, atq; illius amore & cō spectu carere, cæteros omnes Inferni cruciatus quā longissimè præcellere arbitrantur. Quare si quis in beatorum cœtum, à Deo peccatis alienatus esse posset, miser sanè, & calamitosus meritò iudicaretur. iter Inferni uerò horrendos cruciatus, si criminis omnis expers quis esset, arctissimisq; charitatis uinculis cū Deo coniunctus, felix, ac beatus haberetur. Quod Dauit diuinæ dulcedinis memoria delibutus, ita explicat, Quid (inquit) mihi est in cœlo, & à te quid uolui super terram? Deficit caro mea, & cor meum Deus, siue צור idest petra firmitudo, & robur cordis mei, & pars mea Deus in æternum. hoc est, nihil præter te unum, siue in cœlo, siue in terra uolo, reliqua præ te mihi omnia sordent, uiliaque ac uulgaria sunt. Quare cùm is, qui peccatis est contaminatus, & Deo infensus Deum intra se habere nullò modo possit; qui Christi sanguini, sacramentis insito, & quasi cōsignato, operiendi peccata, & reatum pœnæ auferendi potentiam tribuit, illorum uerò dedecus & labem abradendi uiribus ipsum spoliat, an non infra peccati potentiam ipsum collocat, peccati uires mirum in modum extollit, Christi uerò uirtutem deprimit, & abijcit? Quæ si uera sunt, mendacem dicas certè Paulum necesse est, qui Corinthios his uerbis ad uirtutis studium hortatur.

Psal. 72.

prima. ad Corinth. c. 6.

aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta, & immaculata. Quòd si Ecclesia ex solis fidelibus christianisq; hominibus constat, baptismo sanè eorum peccata planè deleta esse, & abstersa confitearis necesse est, nisi, aut Paulo repugnare uelis, aut peccatorum fœditatem, & turpitudinem, maculam non esse, ac rugã arbitrere.

NON meministi etiam quibus uerbis propheta Michæas Dei misericordiam, hominum peccata condonantis illustret, & amplificet, atque ita paulatim extollat, ut quæ prius condonata dicat, diuinamque ultionem euasisse, tandem omnino abrasa, deleta, atq; prorsus expũcta esse asserat? Quis Deus (inquit) similis tui, qui aufers iniquitatem, & transis peccatum reliquiarum hæreditatis tuæ? non immittet ultrà furorem, quoniam uolens misericordiam est. Reuertetur, & miserebitur nostri, deponet iniquitates nostras, proijciet in profundum maris omnia peccata nostra. quæ in nobis uiuunt peccata, quæ nos contaminant, atque inquinant, in profundum maris proiecta esse ducis? Infinitum esset omnia scripturæ sacræ loca numerando precensere, quæ cuncta peccata nostra Christi passione prorsus tolli, & præcidi docent, cum in hunc ueluti scopum omnia prophetarum uaticinia, Apostolorumque scripta dirigãntur, usque adeò ut si nullis alijs argumentis incredibilis Lutheri tui deliratio, amentia, furor, & horribilis cæcitas pateret, uel ex eo sanè, quòd hanc clarissimam lucem tenebris obscurare uoluerit, constare liquidò potuisset.

Michæas.c.7.

QVOD si sanctorum Patrum monimenta euol-

uas, apertè uidebis, eam esse omnium sententiam, quam in Coloniensi censura reprehendis, neque tā illi quàm totius antiquitatis fidei te repugnare. In sermone de Ablutione pedum, qui sub nomine D. Martyris Cypriani circunfertur, in hunc modum baptismi uis explicatur, Sic lauans, quos parentalis labes infecerat, ut nec actualis, nec originalis macula aliqua sui post ablutionem illam uestigia derelinquat. Nec diuersum sentit Clemens Alexandrinus cùm baptismi gratiam uocat lauacrum, & illuminationem perfectam, quia scilicet ad animam sanctificandam, & peccata abstergenda nihil desit. D. Cyrillus Archiepiscopus Hierosolymitanus, qui temporibus Constantij, filij Constantini Magni, floruit, in prima Catechesi mystagogica idipsum apertissimis uerbis sæpius edocet. Dæmonem nanque cum Pharaone, qui in Iordane immersus interijt conferens, ait, Tyrannus ille ad mare usque, ueteres sequebatur, iste uerò imprudens improbitatis princeps dæmon, ad ipsas usque salutares undas te insequebatur; ille in mari submersus est, iste in aqua salutis suffocatur. & cū paulò pòst uerba illa explicat, quæ de Ecclesiæ more, fidei candidati usurpant, Renuncio scilicet tibi Satana, ostendit Christi sanguinis, qui in baptismo communicatur, uirtutem tātam esse, ut dæmonis uires obterat, contundat, ac deleat. Et in secūda Catechesi chrismatis ante baptismum, usum his uerbis explicat, Deinde uerò iā exuti, exorcizato oleo à sūmis capillis ad infimos usq; pedes peruncti estis, & participes effecti fructiferæ illius oleæ Iesu Christi, excisi enī ex oleastro, in oleam frugiferā inserti

Cypr. serm. de ablutione pedū.

Clemens Alexandrinus.

Cyrillus Hierosol. in Catechesi mystagogi prima.

Cyrillus Hierosol. 2. Catechesi mystagogi.

inserti estis, & pinguedinis illius ueræ oleæ quisq; uestrûm particeps effectus. Illud ergo exorcizatum oleum symbolum est pinguedinis Christi nobiscum communicatæ, & quòd omne uestigium diabolicæ operationis in nobis deletum est. & paulò inferius, Sic exorcizatum oleum per orationem, Deiq; inuocationem, tantam uirtutem consequitur, ut non modò ardentia peccatorum uestigia expurget, uerùm etiam omnes inuisibiles dæmones expellat. Cùm uerò D. Hieronymus proclamat, in baptismo Adamum ueterem totum mori, & nouum cum Christo suscitari; perire choicum idest, terrenum, & nasci supercœlestem, peccatum'ne aliquod manere post baptismũ tectum, atq; celatum arbitratur? maculam ex Adamo contractam adhuc uiuere in eo ducit, in quo Adamum prorsus interijsse asserit? Et cum ad Occeanum ait, baptismum ex toto nouum hominem facere, nihilq; ueteris relinqui, solum'ne reatum pœnæ deletum fuisse, peccati uerò turpitudinem, & deformitatem menti tenaciter inhærere fatebitur? Vt uerò D. Basilium dicentem in baptismo, ueterem hominẽ exui cum actibus suis, & nouum indui prætermittam, Epiphanium, Gregorium Nazianzenum, Nicænum, Ioãnem Chrysostomum, Ambrosium, reliquosq; sanctos Patres taceam, quando D. Augustinum patronum tuæ insaniæ potissimùm ascíscis, tantam hanc iniuriam, & dedecus ab illo propulsemus oportet, apud quem nihil est crebrius, atq; frequentius, non modò cùm contra Pelagianos agit, sed etiam quàmplurimis alijs in locis, quàm baptismi uim ita commendare, & extollere, ut in baptizatis nihil prorsus

Hieronymus aduersus luciferi. & lib. primo aduersus Rufinũ.

Hieronym. in Epist. ad Occeanum.

Cc 2 pecca-

peccati reliquum fieri afferat, atq; cum Angelis illos conferre non uereatur. In Priori enim libro de peccatorum meritis, & remissione, In paruulis (inquit) certè gratia Dei per baptismum eius, qui uenit in similitudinem carnis peccati id agitur, ut euacuetur caro peccati: euacuatur autem non ut in ipsa ineunte carne cõcupiscentia conspersa, & innata repentè absumatur, & non sit, sed ne obsit mortuo, quæ inerat uiuo: & cum in adultis concupiscentiam *etiam* manere dixisset, & quicquid (inquit) mali ab homine factum, dictum, cogitatum est, cum eidem concupiscentiæ subiecta mente seruiret, totum aboleatur, ac ueluti factum nõ sit, habeatur; ipsa uerò soluto reatus uinculo, quo illam diabolus animam retinebat, & interclusione districta, quæ hominẽ à suo creatore separabat, manet in certamine. An nõ uides, Kẽnici, omnia suscepta scelera, abolita esse, & quidquid animam dæmoni subijciebat, à Deo uerò abducebat, abrasum esse, & prorsus deletum? Et contra duas epistolas Pelagianorum, Baptismus (inquit) abluit quidem peccata omnia, prorsus omnia (erige aures Kemnici) factorum, dictorum, cogitatorum, siue originalia, siue addita, siue quæ ignoranter, siue quæ scienter admissa sunt. Quantùm hæc, quæso, à commentitio illo tuo peccatorum tegumento absunt? Paulò uerò inferius, illos fidei corruptores uocat, qui hac tanta uirtute baptismum spoliant. Qua igitur fronte (si eam fidem, quam dictitas, Augustino habes) tuum Lutherum fidei assertorem, & Christianæ religionis uindicem iam appellare audebis? Et contra Iulianũ Pelagianum idem Augustinus ait, baptizatos omni peccato

Aug. priori libro de pecc at. meritu & remiss. c. 39

Aug. lib. 3. contra secundas epist. Pelag.

Aug. lib. 6. contra Iulian. Pelagi. c. 5.

peccato carere, non omni malo. Quod sacrosancta Tridentina Synodus sub Paulo Tertio Pont. Max.ijs uerbis definiuit, Si quis per Iesu Christi domini nostri gratiam, quæ in baptismate confertur, reatum originalis peccati remitti negat, aut etiam asserit non tolli totum id, quod ueram, & propriam rationem habet peccati, sed illud dicit tantùm radi, aut non imputari, anathema sit. Quod & multò antea explicarunt Concilij Mileuitani Patres, cùm tradunt, paruulos ueraciter in remissionem peccatorum baptizari, ut in eis regeneratione mundetur, quod generatione traxerunt. Neq; tamen pudet Kemnicium affirmare, consensum ueteris, ac noui Testamenti cũ hac tã certa & minimè dubia fide pugnare. *Beatos* (inquit) *illos Dauid prædicat, quorum tecta sunt peccata. quam uocem D. Paulus ad Rom. 4. etiam usurpauit: Iesuitæ cōtrà dicunt, Beati, qui nullum habét peccatũ siue apertũ siue tectũ.* sed quod maius cõmentum potuit excogitari, quàm peccata ita à Deo tegi, ut uiua tamẽ, & ueluti sub aliquo inuolucro, ac pauimento occultata permaneant? Quorsum, igitur spectant, Kemnici, quæ mox apud prophetam sequuntur? Beatus, uir in cuius spiritu dolus non est. si peccata solũ sunt occultata, quomodo spiritus omni dolo caret? quomodo, & dolos occultatos atq; nebula aliqua obductos esse non dixit? Quòd si illius, cuius tecta sunt peccata, spiritus, omni dolo caret, quomodo peccatis potest scatere? Neq; enim ullus esse potest maior dolus, Augustino auctore, quàm eum in ore habere ostẽtationem iustitiæ, cuius conscientia peccatis est plena. Si iusti à te dicuntur hi, si sanctificati, si puri, qui peccatorum sunt maculis cooperti, an non ingens,

Trident. Conciliũ sess. 5. canon. 5.

Conciliũ Mileuita c. 2.

Psal. 31.

apertius significauit, cùm ait, Lauabis me, & super niuem dealbabor. hoc est, cùm diuino beneficio fuero Spiritus sancti aqua cœlestique unda respersus, ita sordes omnes eluentur, ut illarum ne uestigium quidem relinquum fiat.

AT inquis, hanc societatis Iesu, immo totius catholicæ Ecclesiæ sententiam pugnare cum Ioannis uerbis, qui ait, Si dixerimus quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & ueritas in nobis non est. Atque cum D. Augustini, & D. Bernardi placitis, qui peccatis cunctos homines contaminatos esse docent. Sed si ad D. Augustini doctrinam aduertisses, satis profectò intellexisses, illum de actualibus solùm peccatis agere, & de adultis hominibus, qui propria se operatione possunt commaculare. hos enim quàm sæpissimè asserit non ita omnia peccata posse euadere, saltem minuta, & leuia, quin semper uerè dicere possint, Dimitte nobis debita nostra. omnes enim, qui hanc ad Deum precem fundunt, uerè id quidem, & non falsò usurpant. In quem etiam modum D. Ioannis uerba idem Augustinus interpretatur. Sic enim ait, Hac excepta magna indulgentia (baptismum intelligit) unde incipit hominis renouatio, in qua soluitur omnis reatus, & ingeneratus, & additus, ipsa etiam uita cætera iam rationis utentis ætatis, quantalibet perpolleat fœcunditate iustitiæ, sine remissione peccatorum non agitur, quod ipsum prorsus docet ad Macedonium scribens, & in Epistola ad Bonifacium Comitē, ubi tam apertè animi sui sensa hac de re explicat, ut testetur, baptismum ita peccata omnia extirpare, ac funditus tollere, ut ob illorum

Aug. Encherid. c. 64.

Epist. 54

Epist. 50

lorum interitum, qui illo ſuſcepto mox mortem obeunt, uera illa Pauli ſententia eſſe inueniatur, Dei ſcilicet Eccleſiam omni macula, ac ruga carere. mox uerò addit, propter ſcelera à nobis admiſſa poſt ſuſceptum baptiſmi lauacrum, omnes debere dicere, Dimitte nobis debita nôſtra. quam etiam fuiſſe D. Bernardi mentem, cum dixit, neminem peccato poſſe omnino carere. atque ideò eum ſolùm uerè beatum eſſe, cui non imputauit Dominus peccatum, *ſatis ipſe* docuit cùm baptiſmi uim atq; uirtutem explicat. Nam illo omnia prorſus peccata deleri, tandiuque mentem puram & candidam permanere, quandiu non ſe proprio arbitrio inquinauerit, apertè aſſerit. Quapropter liberè cum Ioanne, Aug. Bernardo, ſanctisq; omnibus patribus confitemur, omnes, qui rationis, atque uolũtatis utimur liberis functionibus, peccatis eſſe implicatos, & circumretitos: at qui poſt baptiſma, priſtina peccata manere arbitrantur, paſſionis Chriſti uirtutem eneruant, Spiritus ſancti uim comminuunt, ſcripturæ auctoritatem proculcant, totiusq; Eccleſiæ fidem contemnunt, & labefactant. Quòd ſi natos ex Deo peccatum non facere, Ioannes affirmat, & per baptiſmum, filij Dei efficimur, ex Deoq; orimur, quì fieri poteſt ut in ipſo Dei ſatu, cœleſtiq; ortu peccata non obliterentur & reſtinguãtur? Quocirca mirarì quidem iam non poterit, tam multa Kemnicium de ſocietate Ieſu petulantiſſimè mentiri, qui animaduerterit, ipſum eiuſdẽ Ieſu Chriſti uetus, nouumq; teſtamentum ita adulterare, ut illius conſenſui aduerſari procaciſſimè aſſerat, quæ cũ illo mirabiliter conueniunt. ſed homo uerſutus, & cal-

Ephe.c.5

Ber. in cã. ti. ſerm. 23.

Ioan. Epiſto. 1. c. 3.

lidus ut concupiſcentiam in renatis peccatum eſſe aſtruat, nihil erit tam abſurdum, quod non audeat affirmare. hoc enim quintum eſt ipſius Axioma.

MAGNAS agitant Ieſuitæ tragœdias, concupiſcentiam, quæ reliqua eſt in renatis, licèt repugnet legi Dei, tamen non eſſe propriè, uerè in ſe, uel ex ſe, & ſua natura peccatum. hæc enim ſunt ipſorum uerba. **5. Axioma.**

Ex ijs, quæ de peccati ui, & natura, deq; ſacroſancti lauacri uirtute ad peccata exhaurienda, & funditus euertenda hactenus diſſeruimus, ſatis, ut puto, fit planum, & perſpicuum, concupiſcentiam, quæ in renatis relinquitur, peccati rationem habere nullo pacto poſſe, neq; quidquam turpitudinis, fœditatis ue continere æternis cruciatibus dignum. Sed quoniã Kemnicius, tùm cauſæ bonitati, tùm D. Auguſtini teſtimonijs tantopere fidit, ut omnes ſanos uelit hac de re liberè iudicare, quod ſit Colonienſium, hoc eſt D. Aug. fidelium omnium, totiusq; Catholicæ Eccleſiæ de concupiſcentia iudicium, paucis aperiamus, ut qui ſe æquos præſtare iudices uoluerint, ueritatẽ in promptu habeant; & ſi inter ſe utraque conferantur, quantum ualeant Kemnicij argumenta, manifeſtum fiat, & exploratum.

CONCVPISCENTIAM ante baptiſmum, quia ex iuſtitiæ originalis deſtitutiõe profecta homini ineſt, peccatum eſſe, unà omnes cum Colonienſibus fatemur, ita tamen ut in originalis iuſtitiæ deſtitutione peccati ratio potiſſimùm poſita ſit. Quare cõcupiſcentia peccatum eſt, quà iniuſtitia originali informatur, & ex illa ineſt. Nam ſi à natura ita eſſemus affecti (ut Pelagius temerè effutiebat) aut animus quouis alio miſerando caſu, qui culpa uacaret, diræ con-

cupiſcentiarũ tyrãnidi,&importunitati ſubijceretur, miſer quidem, & afflictus meritò haberi, nuſquam tamen peccator dici potuiſſet. Cum igitur in ſacro lauacro iuſtitia nobis fuerit reſtituta, omnis ſanè peccati ratio ſimul abolita, & abraſa eſt, manentq; concupiſcentiarum aculei, qui nos pungant, & torqueant, noſque miſeriæ noſtræ perpetuò admoneãt, ſed peccati fonte obturato, & oppilato, omnis rationis peccati ſunt prorſus expertes. Atque ita quæ poſt *baptiſmum* concupiſcentia manet, omni prorſus peccati turpitudine atque ratione caret. Cum uerò in ſacris literis peccati nomen latiſſimè pateat, quã ſæpiſſimè docet Aug. concupiſcentiam in renatis ideò peccatũ dici, quia ex peccato tanquàm ex peſtifero fonte dimanauit, atque peccato exhauſto, adhuc manẽt illius in humanis mentibus expreſſa ueſtigia, quæ ad peccandum nos alliciunt, & quaſi impellunt.

AT uideo Kemnicium inane prorſus, & puerile exiſtimare, ex peccati uenia, illius mortificationẽ, & deſtructionẽ cõcludere. Quocirca quãuis cõcupiſcẽtiæ peccatum remitti dicat, mortificari tamen, nullo pacto induci poteſt ut confiteatur. Quòd ſi rem illã, quæ in paruulis peccatum fuit, hoc eſt concupiſcentiam ipſam, intelligat, non abſtergi, & extingui, nemo ſanè unquam tãtopere inſanire poterit, qui id neget. At peccati ipſam turpitudinem elui, & mortificari, atque ita extingui, ut concupiſcentia peccatum propriè dici minimè poſſit, & explicauimus abundè, Rom. 6. & luculentiſſimè docet D. Paulus in Epiſtola, quæ eſt ad Romanos, cùm ex forma, & ſimilitudine, quã ſacrum baptiſma habet cũ morte, & ſepultura Chri-

sti,peccato nos mortuos esse, non semel concludit. An ignoratis(inquit) fratres,quia quicunque baptizati sumus in Christo Iesu, in mortem ipsius (id est, ad imaginem mortis illius)baptizati sumus? Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortẽ. Quid uerò est aliud,baptismum nostrum imaginem gerere mortis Christi, illiusq; præclaram humationem,& sepulturam repræsentare, quàm peccata omnia non aliter baptismi ui,& robore extingui, atque deleri,quàm & Christus uerè pro nobis mortuus, & sepultus est? atque cum Christo renatorum crimina ita sepeliri,ut ex ueteribus turpitudinibus nihil iam prorsus appareat? Quem locum elegantissimè mea quidem sententia illustrat Cyrillus Hierosolymitanus,cùm trinam illam mersionem, quæ in baptismo fieri solet,exponit,Illa(inquit) salutis aqua, & sepulchrum nobis,& mater effecta est,& quod Solomó dixerat de alijs,hoc in uos optimè quadrat. Dicebat ille,Tempus pariendi,& tempus moriendi. De uobis dici contrà potest,Tempus moriendi, & tempus generandi. nam id utrunque uno eodemque fit tempore; simulq; mors, & generatio uestra concurrit.ò nouum,& inopinatum mysterium:nos quidem non reuera morimur,non reuera sepelimur, nec uerè cruci affixi sumus,sed in imagine tantùm nostra est imitatio,in ueritate autem salutis assecutio:Christus uerè crucifixus est,uerè sepultus, & uerè surrexit, & hæc omnia nobis donauit, ut cùm imitatione passionis eius communicauerimus, reuera salutem lucremur. O' excellentem benignitatem,Christus manus,ac pedes suos incontaminatos clauis perfodi passus est,

Cyrillus Hierosol. catechesi mystagogica 2.

&per hosce tantos dolores mihi nihil eiusmodi patienti salutẽ confert. Nemo itaq; existimet, baptisma tãtùm remissionis peccatorũ, uerùm etiã adoptionis filiorũ sese accipere, sicut Ioãnis baptisma solã peccatorũ condonationẽ præstabat. Nos uerò de Christi baptismo certi sumus, quòd ita ut est peccatorũ ablutio, & donum sancti Spiritus conciliat, sic & Christi passionum imaginem gerit. propterea & Paulus paulò ante exclamabat, An ignoratis (dicens) quòd *qui*cunque baptizati sumus in Christum Iesum, in morte ipsius baptizati sumus. consepulti ergo sumus ei per baptismum in mortem. hæc dixerat declarans quòd baptismus remissionem peccatorũ, & adoptionem filiorum conciliat, non autem iam ueras Christi passiones imitamur, ita ut ibi passio fiat. Vt igitur discamus, quòd quæcunque Christus pro nobis nostraq; salute sustinuit, uerè & non apparenter perpessus est, nosque participes earundem passionum efficimur, iccircò accuratè docens clamat Paulus, Si.n. insiti facti sumus illi, similitudine mortis ipsius, certè & resurrectionis erimus participes. Pulchrè autẽ uocat insitos. quia enim hîc uitis uera plantata est, nos quoque communione baptismi complantati sumus morti eius. Adhibe autem magna cum attentione mentem uerbis Apostoli. Non dixit enim, complantati sumus morti, sed similitudini mortis. uera nanque mors Christi fuerat, anima eius à corpore separata, & uerè sepultus: in nobis autem mortis quidem, & passionum quædam est similitudo; salutis
Rom.c.6. uerò non similitudo, sed ueritas. hactenus Cyrillus.
Quæ uerò mox apud Paulum sequuntur uerba, Vt quo-

quomodo (inquit) Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita, & nos in nouitate uitæ ambulemus. eò sanè tendunt, ut doceat, non minùs necesse esse nouo uiuendi genere Christi resurrectionem imitari, quàm baptismate mortem, & sepulturam repræsentare. et sicut Christus mortuus, & sepultus est, non quò perpetuò in sepulchro delitesceret, sed ut paulò pòst resurgens uitam gereret à priori abiectione, & mortalitate ualde dissimilem; ita peccatorum ille interitus in baptismo eò spectat, ut uita deinceps renatorum non quidem cupiditatum impulsionem, carnisque pruriginem sequatur, sed secundum spiritus leges informetur. Hæc enim tanta baptismi uis imaginem mortis, & sepulturæ Christi gerens, parum ijs hominibus proderit, qui postquàm sacro fuerint lauacro expiati, nefarijs sese criminibus infecerint, turpitudinibus cõtaminauerint, atque sub cupiditatum tyrannidem, importunissimumque dominatum subiecerint. Quæ paulò pòst clarius idem Paulus his uerbis explicat, Vetus homo noster simul crucifixus est, ut destruatur corpus peccati (idest quicquid peccati rationem habet) ut ultrà non seruiamus peccato. Quomodo autem cohærere inter se possunt, ueteris hominis peccata, Christi cruci esse affixa, & uiua in nobis perpetuò manere? dirutum esse, & euersum illorum importunissimum dominatum, & concupiscẽtiam, peccati rationem nunquam exuere, nullaque baptismatis ui, aliorumúe sacramentorum uirtute fœditatem istam extingui, atque deleri posse? Quare, Kemnici, remissum illud crimen, & condonatum dici nulla ratione potest, cu- *Rom. 6.*

ius

ius turpitudo, & fœditas in nobis adhuc infixa hæret, & uiuit? unde fuit, ut sanctissimus ille Pontifex Gregorius appositissimè dixerit, post baptismum sola peccatorum cadauera in mente relinqui: quia scilicet, concupiscentia manet nulla macula informata, & polluta. At Augustini auctoritas te sola mouet, cui hac in re repugnare nefarium ducis, & sacrilegum, à cuius placitis uitæque instituto utinam nunquàm tuus Lutherus sceleratè defecisset, & *quam fidem illi habendam esse Caluinus affirmauit*, ei perpetuò adiunxisset. neque enim unquam uestram cum Ecclesia coniũctionem dirimeretis, aut hac de re esse nobis ulla contentio potuisset, cum ab Aug. sententia ut cæteris in rebus, ita in hac una nullo modo discedamus; sed qui à Caluini delirationibus summopere abhorremus, qui illius impietatem execramur, perfidiam detestamur, non possumus illud Caluini de Augustino elogium non approbare: ita enim scribit, Neque opus est multùm inuestigando laborare quid ueteres senserint, quando unus Augustinus sufficere ad id potest, qui fideliter, magnaque cum diligentia omnium sententias collegit. Ex illo igitur sumant lectores, si quid de sensu antiquitatis habere certi uoluerint.

Gregorius.

Cal. institutionum lib. 3. c. 3 de Augustino iudicium.

QVID uerò Aug. de concupiscentia, quæ in renatis manet, sentiat, manifestè sanè tũc aperuit, cùm multis demonstrauit, concupiscentiam in ijs, qui sacro sunt lauacro sanctificati, peccatum dici nullo modo posse, nisi quia per peccatum introducta fuit, illamque post se peccatum reliquit, aut quia ad peccandum inuitat, & allectat, cuius tamen impulsionibus

Aug. lib. de Nuptijs & cõcupiscentia. c. 23.

nibus quandiu humanus animus non paret, peccator dici uerè non poteſt. & contra duas Epiſtolas Pelagianorum; infidelium illas eſſe uoces aſſerit, in baptiſmo non auferri prorſus crimina, ſed ita radi, ut peccatorum radices in mala carne reſideant; illorum uerò, qui ueram, & integram fidem colunt, firmam eſſe, & conſtantem ſententiam, baptiſmatis ui peccata non radi, ſed radicitus extrahi, & conuelli. Abraſorum uerò pilorum radices, quæ infixæ in cute relinquuntur, cùm diſſimiles à pilorum natura non ſint, alios rurſus procreare natæ ſunt. Quocirca, qui peccata raſa tantummodò eſſe aiunt, altiſſimis illa defixa radicibus manare innuunt, quæ nulla unquam ui labefactari poſſint. quod cùm impium ſit cogitare, abradi in baptiſmo peccata non pij, atq; Chriſtiani hominis, ſed ſacrilegi, & ſcelerati uoces eſſe arbitratur. Quod ut luculentius explicet, addit, Sed de iſta concupiſcentia carnis falli eos credo, uel fallere, cum qua neceſſe eſt, ut etiam baptizatus, & hoc ſi diligentiſſimè proficit, & ſpiritu Dei agitur, pia mẽte confligat. Sed hæc etiam ſi uocatur peccatum, nõ utique quia peccatum eſt, ſed quia peccato facta eſt, ſic uocatur; ſicut ſcriptura, manus cuiuſque dicitur, quòd manus eam fecerit. Peccata autem ſunt, quæ ſecundum carnis concupiſcentiam, uel ignorantiã illicitè fiunt, dicuntur, cogitantur, quæ tranſacta reos tenent, ſi non remittantur. Et paucis interiectis addit, Et ideò iam nõ ſit peccatum, ſed ſic uocetur, ſiue quòd peccato facta ſit, ſiue quòd peccandi delectatione moueatur, & ſi ei, uincente delectatione iuſtitiæ, non conſentiatur. Neque propter ipſum, cuius

Aug. 1. lib. contra duas epiſtolas Pelagianorum, capite 12.

ius iã reatus lauacro regenerationis absumptus est, dicitur in oratione baptizati, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris. sed propter peccata, quæ sunt, siue in eius consensionibus, cùm ab eo; quodlibet uincitur, quod placet, siue cùm per ignorantiam malum quasi bonum placet ei. A' quibus consensionibus neminem prorsus liberum reperiri mox docet Augustinus. Quòd si in memoriam reuoces, Kemnici, quoties D. *Augustinus* ex illis à Christo ad orandum institutis uerbis, Dimitte nobs debita nostra. probare soleat, neminem peccati esse expertem; satis intelliges, concupiscentiam, peccatum ab illo nullo modo iudicari, cùm concupiscentiam illa deprecatione minimè contineri, atque comprehendi asserat, quod ipsum repetit in Epistola ad Asselium Episcopum, multisq; ostendit, præcepto illo, Non concupisces. non quidẽ concupiscentiæ motus prohiberi, sed uoluntatem comprimi ne concupiscentias sequatur. Perlege, Kẽnici, quæ elegantissimè scripsit idem Aug. contra Iulianum, præsertim cùm sæpius repetit D. Ambrosij sentẽtiam, in baptismo omnia mortua esse uitia, sed eorum nos curare debere quoddammodo sepulturam. Nam cùm maneat concupiscentia, quæ peccati ratione extincta nos tamen exagitat, & torquet, peccati solùm cadauer præse ferre uidetur: hanc, inquã sententiam cùm ornatè, & subtiliter admodum explicat Augustinus, ait, In hoc bello (quod scilicet cõcupiscentia cum mente, & ratione continenter gerit) laborantes, quandiu uita humana, tentatio est super terram, non ideò sine peccato non sumus, quia hoc,

Augu. in Epi. 200.

Aug. lib. 2. contra Iulianum Pelagianum.

quod eo modo peccatum dicitur, operatur in membris repugnans legi mentis, etiam si non sibi ad illicita consentientibus nobis. Quantum enim ad nos attinet, sine peccato semper essemus, donec sanaretur hoc malum, si ei nunquam cõsentiremus ad malum. Quid, quæso, dici ab Augustino potuit enucleatius? quid explicatius? si concupiscentiarum aculeis puncti, atque illarum stimulis, & ignibus septi, peccatores dici, contaminati, sceleribusque infecti haberi non possunt, quandiu concupiscentiarum impulsibus non succumbunt & cedunt, quis iam cõtendere audebit, cõcupiscentiam, uerè peccatum ab Augustino dici, atque censeri? Infinitum esset, & minimè necessarium singula loca connumerare, in quibus idem Augustinus constanter docet, concupiscentiam peccatum nequaquam esse; dici uerò aliquando peccatum, tum quia ex peccato originali profluxit, tum quia ad peccandum allicit, & quasi titillationibus trahit. quare nihil nos mouere debet, si offendamus aliquando concupiscentiam peccatũ ab illo dici, cùm eundẽ habeamus sui interpretem, nobisque animi sui sensum ita aperientem, ut non propriè peccati uocem accipiendam esse uelit, nisi cùm mens illius impulsionibus succumbit, atque titillationum consilia sequitur. Qua ratione lib. 5. cõtra Iulianum Pelagianum, quo loco potissimùm fidit Kemnicius, concupiscentiam cum cœcitate cordis conferens, & peccatum esse dicit, & pœnam peccati, atque illius causam, quid tamen senserit, mox aperuit, cùm ait, peccatum esse, quia inest illi inobedientia contra dominatum mentis, hoc est; Tunc *Aug. lib. 5. contra Iulianum c. 3.*

Ee con-

concupiſcentia peccatum dicitur, quando mens cupiditatum procellis agitata, diuinam legem conculcat, ſicut & cœcitas mentis, peccatum dicitur, quando in Deum non creditur. Id nanque, quod propriè peccatum dici debet, non in ſola impulſione, ſed in actione impulſionis imperium ſequente conſiſtit, ut ex eodem Auguſtino abundè demonſtrauimus; pœna uerò pecccati, cōcupiſcentia appellatur, quia reddita eſt meritis inobedientis, & cauſa (inquit) *peccati*, dicitur defectione conſentientis, uel contagione naſcentis. Kemnicius uerò tam longè ab Aug. mēte aberrat, ut multa illius congerit teſtimonia, quibus affirmat, cōcupiſcentiā malā eſſe: ex quibus cōcludit homo argutus, & diſertus, in peccatis fore numerandam, neq; item illū pudet aſſeuerare, ſummam ſententiæ Colonienſium eſſe, *Concupiſcentiam in baptiſmo per gratiam credentibus non tantùm remitti, ut non imputetur ad damnationem, ſed effici ut ipſa concupiſcentia in ſe, & ſua natura non ſit amplius res mala, & diſplicens Deo: & etiam ſi Deus cum illa uellet in iudicium intrare, remoto gratiæ umbraculo, non tamen poſſet reum facere æternæ damnationis*. Non poſſum autem ſatis mirari, tam eſſe Kemnicium acerbo odio, & præcipiti, effrenatoque furore obcæcatum, ut non uideat, non omne malum, peccatum eſſe. Quare neq; Coloniēſes cùm cupiditatem peccatum eſſe negant, malam eſſe inficiari, neque D. Auguſtinum cùm malam eſſe aſſerit, peccatum eſſe ullo pacto exiſtimauiſſe: nam cùm malum boni ſit ſola deſtitutio, peccatum uerò illud ſolū dici poſſit, quod nos Deo facit odioſos; quis non uidet, permulta eſſe mala, quæ peccata nequaquam ſunt? Diuinarum

enim

enim humanarumque rerum ignorationem, stultitiam, insaniam, in malis tu numerandas ducis? Si mala esse minimè existimas, neque quæ ijs opposita sunt, animi dotes, bona dices. Cùm igitur mala illa esse, negare nemo sui compos possit, ita'ne insanies, ut ingenitas istas similesque alias animorum ægrotationes, & morbos magis peccata ducas, quàm corporis quasuis ægritudines, & imbecillitates? D. uerò Augustinus, quem tu potissimùm causæ patronum asciscis, cupiditatem in ijs rebus numerat, quæ mala quidem sunt, peccata uerò dici nulla ratione possunt. Ita enim scribit, Tu autem, qui putas, quòd si malum esset concupiscentia, careret ea, qui baptizatur, multùm erras. omni enim peccato caret non omni malo. quod planius ita dicitur, omni reatu omnium malorum, non omnibus malis. Nunquid enim caret corruptione corporis? an'non est malum, quod aggrauat animam? Nunquid caret ignorantiæ malo, per quod à nescientibus innumerabilia perpetrantur mala? An parum malum est, per quod homo non percipit quæ sunt spiritus Dei? & cùm multis probet, ignorantiam, magnum quoddam malũ esse, addit. Non igitur caruerunt tanto ignorantiæ malo in lauacro regenerationis, ubi tamen omnibus caruerunt sine dubio peccatis. Ex quibus concludit, cupiditatem, quæ in regeneratis reliqua sit, adeò quidem malam esse, ut cum illa nobis sit perpetuò confligendum, omnem tamen peccati immunditiem sacro lauacro fuisse abstersam, & planè dilutam; quod ipsum ijs uerbis docet D. Anselmus, De nulla nanque culpa, quæ ante baptismum in il-

Aug. lib. 6. contra Iulianum c. 5.

Ansel. de cõcordia gratiæ et lib. arbitrij.

 lis

lis erat, post baptismum arguitur, quanuis ipsa corruptio, & appetitus, quæ sunt pœnæ peccati, non statim in baptismo deleantur, nec ullum illis imputatur delictum, post baptismum, nisi quod sua uoluntate fecerunt. unde apparet quòd corruptio, & mala, quæ fuerunt pœna peccati, & post baptismum remanent, non sunt per se peccata. sola nanque est per se iniustitia peccatum, & *illa*, quæ sequuntur iniustitiam, propter suam *causam* iudicantur peccata, donec ipsa remittantur, nam si peccata essent, in baptismo delerentur, in quo omnia peccata in sanguine Christi lauantur. Hactenus Anselmus. In æternos uerò ignes cùm nemo à iustissimo & integerrimo Iudice Deo detrudi possit, nisi sceleribus sit contaminatus, & infectus, qui illis caret, & diuini spiritus cœlestisq; iustitiæ est muneribus abundè exornatus, nihil herclè est, quòd Dei ultionem iurè, ac meritò uereatur. Quamobrem scitè admodum, & religiosè Colonienses Patres docent, solis cupiditatum aculeis incitatum, haud quaquam esse diuinæ ultionis reum, quæ in solos nefarios, & sceleratos animaduertit. Id quod non modò diuinam gratiam, & misericordiam non deijcit, sed mirum in modum extollit, & erigit, quæ tam abundè peccata nostra deleuit, ut nullo diuinæ ultionis metu tangi meritò possimus, quandiu iustitiam, & innocentiam à Deo nobis largiter donatam sarctam tectam conseruabimus. Quod D. Augustinus uoluit significare, cùm sæpius ait, concupiscentiæ reatum in baptismo prorsus extingui, hoc est, ita ratione peccati spoliari, ut iam nequeat hominem facere

æternæ

æternæ damnationis reum, quandiu illius suasionibus libera uoluntas non obtemperauerit, eiusq; cesserit impulsibus.

IN 6. Axiomate carpit Kemnicius Colonienses, quòd arbitrentur duram esse atque adeò παράδοξον Monhemij sententiam asserentis, opera non renatorum quantumuis speciosa esse uideantur, inter peccata recensenda fore, atque hanc esse contendit D. Aug. mentem, libro præsertim 4. contra Iulianum Pelagianum c. 3.

RES hæc, quæ à Kemnicio in quæstionem uocatur, controuersa est, & dissensionis plena inter doctissimos, nō recentiores modò, sed antiquissimos Theologos: quidam enim omnes corū hominū, qui à uera Dei cognitione ualde sunt alieni, cogitatas actiones, & cōsultò susceptas ita deijciunt, ut peccato nullā uacare arbitrētur. Alij uerò nullā horū hominum uirtutē uerā esse, perfectā, omniq; ex parte absolutā, atq; adeò æternis præmijs dignam cōfitentur quidē, posse tamen aliquando humanas uires generalibus tātùm auxilijs fultas, & sustentatas, omnem peccati turpitudinem uitare arbitrātur. Quæ hac tanta in re fuerit Augustini sententia, paulòpost aperiemus. Diuus tamen Prosper maximus Augustini assectator, cùm horum hominum actiones, quas præ infidelitate referre in Deum non possunt, nil illis prodesse asseruisset, plurimùm etiam obesse, his uerbis testatur. Et quid dico, nihil eis profuerunt, immo etiam nocuerunt, dicente Apostolo, Omne, quod non est ex fide, peccatum est. non dixit omne, quod non est ex fide, nihil est, sed dicendo, omne, quod non est ex fide, peccatum

Prosper lib. 3. de Vita cōtemplatiua. c. 1.

tum

tum est, declarauit; quòd omnia bona, aut ex fide, gesta uirtutes sunt, quæ profectò iustificant, aut si nõ fuerint ex fide, non sunt aliqua bona credenda, sed uitia; quæ nõ iuuant suos operarios, sed condemnãt inflatosq; præcipitant, atque à finibus æternæ salutis eliminant. Cum Prospero uerò ut multi cõsentiunt, ita plurimos ab eo dissentire; & Kemnicius confitetur, & satis, ut spero, ostendemus. Quare circumspectissimè sanè Colonienses Patres censuram *ita temperarunt*, ut non impiam Monhemij sententiam appellarent, aut cum Ecclesiæ sensu, sed cum uera, & cõmuni huius tempestatis doctorum sententia pugnare dicerent. Tridentini uerò Concilij decretum cùm anathemate in eos animaduertit, qui opera omnia ante iustificationem facta, peccatum esse dicunt, Lutheri, Melanchthonis, Buceri cæterorumq; huius factionis hominum insaniam comprimit, qui non solùm infidelium opera, peccata esse censebant, sed ut iustitiam extollerent, ita naturam deprimebant, ut neque ullo cœlesti beneficio exornari posse, quin prius iustitia informaretur, neque ab ea quidquam, quandiu iustitiæ esset expers, emanare non sceleratum, atque nefarium dictitarent. Quod quàm sit, & à communi Ecclesiæ iudicio, & à Diui Augustini sententia alienum, satis intelliget, qui animo, ac ratione lustrauerit loca illa, in quibus non semel Augustinus prædicat, mirisq; laudibus effert, permulta sceleratorum opera, neque quicquam in illis criminis agnoscit: & præsertim perpenderit, quæ hac de re uno atque altero loco scribit. Ab hac igitur Lutheri insania cùm non longè absit Monhemius, qui non tam diuinæ

Cõcilium Trident. sub Paulo Tertio Sess.6. can.7.

Aug. lib. 3. Hipog. de spiritu & litera.

diuinæ cognitionis, quàm iustitiæ defectui hanc fide carentium peccandi quasi necessitatem ascribit, ut ex ipsius quinto dialogo luculenter constat, meritò sanè hoc Concilij decreto Colonienses usi sunt, ut tantam hanc delirationem reprimerent. Cuius sacrosancti Concilij auctoritatem cùm Kemnicius proterit, & proculcat, facit id quidem uafrè, & latronum, profligatissimorumq; hominum more, qui crucem, quam scelerum conscientia uerentur, ut supplicium infandum, crudele, & ab humanitate longè alienum procaciter execrantur, et eiectum cupiunt. Hæc uerò Concilij Tridentini integerrima definitio, quàm sit diuinis uerbis, quæ solùm à nobis illorum aduersarij expetunt, consentanea, planum faceremus, nisi quàm longissimè ab instituti nostri ratione abscedere uideremur.

VT igitur ad incœptam disputationem reuertamur, quo genere infidelium opera censenda sint, nõ dũ est ab Ecclesia sacrisq; Concilijs (ut arbitror) definitum: sed quemadmodum cuique liberum est opinari, ita multis, magnisq; rationibus Coloniensiũ sententia sapientissimis uiris uera, & sana uidetur; quæ non ita humanas uires extollit, ut statuat, generali solo, lateq; patenti Dei auxilio, quod rebus omnibus, quæ natura constant, pro cuiusque natura cõmune est, præclaras, omniq; ex parte absolutas actiones suscipi ab homine posse: sed peculiaribus diuinæ bonitatis subsidijs opus esse docet, ut omni turpitudine careant, uirtutisq; nomen mereantur, quanuis sola moralis philosophiæ trutina examinentur. Quod Diuus Augustinus ut multis in locis à Colo- *Aug. lib. 4. cõtra Iulianum c. 3.*

nienfibus

nienſibus recitatis aſſerit, tum maximè ubi in hæc uerba loquitur, Quanto (inquit) tolerabilius illas, quas dicis in impijs eſſe uirtutes diuino muneri potius, quàm eorum tribueres: tantummodò uoluntati? licèt ipſi hoc neſciant, donec ſi ex illo ſunt prædeſtinatorum numero, accipiant ſpiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciant, quæ à Deo donata ſunt eis. quum uerò in omni humana actione generale Dei auxilium *ne*ceſſariò includatur, impiorum autem uirtutes *non ip*ſorum uoluntati, ſed diuino beneficio aſcribendas eſſe Auguſtinus ait, ſatis indicat, peculiarius quoddam illud eſſe, & non idem auxilium, quo in uniuerſis actionibus omnes utimur. Verùm & ſi fateamur eos, qui à uera, & expreſſa Dei cognitione alieni ſtt, diuinis præſidijs peculiaribusq; ſubſidijs indigere, ut opera faciant oīs culpæ uacua, minimè tamē arbitramur, oēs illorū actiones cōſultò, & cū deliberatione ſuſceptas, peccata eſſe. Neq; .n. Dei ignoratio ita naturā, mētēq; euertit, ut neq; boni quicquā cognoſcere, neq; quæ agnoſcit, proſequi diuinis auxilijs ſubleuata poſſit. D. enim Aug. poſtquàm multis demonſtrauit, illa Pauli uerba, Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis ſunt faciunt. de ijs eſſe homibus intelligenda, qui ad Euangelij lumen non ex Moſis lege, ſed ex gentibus aſciti, naturam habent per Chriſti gratiam reſarcitam, & reparatā, addit, Veruntamen quia non uſque adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuū labe detrita eſt, ut nulla in ea uelut lineamenta externa remanſerint, unde meritò dici poſſit, etiam in ipſa impietate uitæ ſuæ, facere aliqua legis, uel ſapere, & hoc

Aug. De ſpiritu, et litera. c. 28.

eſt

est quod dictum est, quia gentes, quæ legem non habent, hoc est, legem Dei, naturaliter, quæ legis sunt, faciunt. & quia huiusmodi homines ipsi sibi sunt lex, & scriptum opus legis habent in cordibus suis, idest non omnino deletum est, quod ibi per imaginem Dei cũ crearetur impressum est. Nã si ad Socratem, Platonem, Philosophorumque omnium facilè principem Aristotelem & cæteros antiquissimos philosophos animum aduertamus, præclaros illos quidem fuisse uirtutum magistros, facilè intelligemus. neque enim uirtutes nudas, omnibusque insignijs destitutas tradiderunt, sed ijs ornamẽtis, quæ Græci περιστάσεων, nostri uerò circunstantias uocant, ita decoratas, ut sine illis uirtutes dici minimè posse, sapienter, & copiosè docuerint. Cum igitur ij tum intelligendi ui, & efficacitate ducti, tum maximè diuino lumine illustrati, apertam, & abditam multarum rerum ueritatem percipere, ad uirtutumque ueram rationem penetrare potuerint, non uideo quare non eadem possint cœlestibus adminiculis confirmati studiosè exequi, quæ uerè intellexerunt: cùm præsertim humana mens, quanuis uera sit, & integra diuini numinis cognitione destituta, capax sit cœlestium auxiliorum. Quæ & si non ualeant ad homines iustificandum, neque ut opera talibus auspicijs facta æternæ sint felicitatis digna, quæ recta in Deum fide tanquàm firmissimis fundamentis excitatur, tamen ad peccata euitanda plurimum momenti habent, ut ex D. Augustino discimus, qui hæc Dei auxilia sæpius comparat cùm muneribus, quæ Abraham dedit filijs concubinarum, ab hæreditate Isaac

Ff ualde,

ualde dissimilibus, quam & si ille solus adierit, nothi uerò, & ex concubinis suscepti filij, tam illa, quàm patrijs laribus fuerint expulsi, suis tamen muneribus non prorsus caruerunt. Quanuis igitur ii, qui fide à Christo geniti, charitate aluntur, & sustentãtur, Isaac personam gerant, quibus cœlestis hæreditas debetur, reliqui tamen, qui & à uera Christi cognitione alieni, & uarijs sunt sceleribus implicati, & si ut nothi & spurii filij exhæredes sint, & à paterna domo extorres, nihilominus liberalitate patria utuntur, diuinisque beneficijs non semel augentur, quibus opera efficere possint nulla culpa contaminata, sed egregia laude digna: fuisse tamen mercedem harum uirtutum longè disparem illi, quæ Christianis uirtutibus est præstituta, luculenter explicat D. Hieronymus in Aggæum prophetam. Christianarum enim uirtutum præmia, æterna inquit esse, & planè diuina; reliquarum uerò omnium exilia, & quæ simul cum tempore intereunt: nam cùm uirtus sterilis esse minimè possit, nulla profectò suis præmijs destituetur unquam. Quare D. Augustinus Romanorum uirtutibus tam latè patẽs imperium ascribit, & D. Hieronymus, nihil, inquit, ethnicos boni fecisse, quod absque mercede Dei iudicio præterierit, qua & si dum uiuerent nunquam donarentur, in præmiorum certè loco numerandum ducit D. Augustinus, quòd illi in tartara detrusi mitiora perferant supplicia, qui officium in uita coluerunt atque ita quanuis, ut ex Paulo accepimus, præclara opera nihil illis prosunt, qui nullis sunt charitatis ornamentis illustrati, ut summa, atque sempiterna felicitate

Hier. in Aggæũ. c. 2.

Hier. in Iesai. c. 29.

Lib. de patiẽtia, c. 6. 4. lib. contra Iulianum.

citate perfruantur, plurimùm tamen prodesse ad extremi iudicij tolerabilius supplicium subeundum, sæpe Augustinus asserit. Atque adeò cùm sine fide impossibile sit quenquam Deo ita placere, ut sempiternis cœlestibusque præmijs afficiatur, non tamē omnia fide carentium opera illi ita displicere existimandum est, ut crimina sint cruciatibus, supplicijsque digna. Qui uerò Augustini diuersa loca diligenter contulerit, satis, ut puto, intelliget, illum censuisse, tum post naturam deprauatam, cupiditatibusque infectam, nullum opus perfectum, & absolutum edi ab homine posse sine peculiari Dei auxilio: tum uerò eorum hominum opera, qui fidei lumine sunt destituti, peccata ut plurimùm esse, non tam quidem, quia ab impio animo fidei, Christiq; cognitionis experte profecta sunt, quàm quia non omnium conditori Deo, sed inani gloriolæ peculiaribusque commodis, & uoluptatibus seruiunt. Nā cùm uirtus non solo officio, hoc est, actione ipsa, sed fine etiam constet, qui præclaram actionem in prauum finem dirigunt, turpiter sanè labuntur, ac errant. Raro autem cum eueniat, ut qui Dei cognitione non sunt exculti, tēporalibus cōmodis nō indulgeāt, & uulgi opinioni deseruiāt, raro etiā actiones suscipere possunt oīs culpæ expertes. Quocirca cū D. Aug. probasset, officia sine fine, uirtutis dici non posse, addit, Proīde uirtutes, quæ carnalibus delectationibus, uel quibuscunque commodis, & emolumentis temporalibus seruiunt, ueræ prorsus esse non possunt. quia uerò tales fuisse Fabritij, Reguli, Fabij, cæterorumq; Romanorum uirtutes paulò pòst asseruit, *Aug. lib. 4. contra Iul. c. 3.*

Aug. lib. 5. de Ciuitate Dei. uirtutes appellari nequaquàm posse cõtendit. Quod luculentius alibi explicat, & confirmat Marij exemplo, qui Virtuti, & Honori phanũ dicauit, quo facto non obscurè declarauit uir laudis auidissimus, Romanos nullum alium uirtuti finem, quàm honorem præstituisse. Quare non quidem inficiatur Augustinus, aliqua infidelium opera uirtutum nomine digna esse, cum sæpe doceat, nullum esse tam sceleratũ, & impium uitæ genus, in quo non possint quandoq; aliqua bona opera reperiri. neque illorum actiones, quæ nullo absurdo fine contaminantur, omni culpa uacare denegat. Nam & si infidelis mẽs illas in Deũ, quem ignorat, referre nequaquam possit, in maximã tamen Dei gloriam illæ cedunt, quæ nulla sunt turpitudine inquinatæ. Sed quoniam rari admodum infideles sunt, qui temporalia, inaniaq; commoda studiorum suorum finem non constituant, uirtutum officia ab illis facta, peccata appellauit Augustinus. quod uoluit significare cùm libro de Spiritu, & litera, ait, permulta esse opera, quæ secundum ustitiæ regulam non modò non uituperare possumus, sed etiã meritò laudare, quanquàm si discutiantur quo fine fiant, uix inuenientur, quæ iustitiæ debitam laudem, defensionem'ue mereantur. Quæ uerò ratio Augustinum impulerit, ut diceret, uirtutes, quæ nulli rei seruire uolunt, ueras minimè esse, satis aperuit in libris de Ciuitate Dei, cùm ait, illas esse arrogantiæ fastusque plenissimas, quare cùm inflatæ, atq; superbæ sint, non uirtutes, sed uitia dicendas esse.

Aug. de Spiritu, et litera. c. 28.

Aug. de Spiritu, et litera. c. 27.

Aug. lib. 19. de Ciuitate Dei

At præclara illa facta, quæ nulla finis turpitudine inquinãtur, etsi uirtutis nomine ac laude digna cẽ

seat

ſeat Auguſtinus,& ab infidelibus diuinis auxilijs ad iutis atque ſubleuatis quandoque ſuſcipi poſſe non inficietur; perfectas tamen, & cumulatas uirtutes illas ſolùm dici poſſe arbitratur,quæ ad ſumam,& sẽ piternam felicitatem uiam muniunt. Quod alibi ex peruulgata illa apud omnes Philoſophos definitione, Virtus eſt animi habitus naturæ modo rationiq; conſentaneus.. ad hunc modum probat. Cùm beatitudinis cupiditas ſit in animis hominum à natura inſita,atque innata, nihil certè humanæ naturæ magis eſt conſentaneum,quàm illa omnia, quæ ad beatitudinem comparandam plurimùm ualent: unde efficitur, minimè ueras uirtutes illas eſſe exiſtimandas, quæ ad conſequendam felicitatem nobis fide promiſſam,nihil conferunt. Quare ſæpius eodem capite inculcat, in ſolis iuſtis pijſq; hominibus uirtutem reperiri.Quo fit ut cùm Auguſtinus nõ ſemel affirmet, extra ueram Eccleſiam,ueras uirtutes reperiri nequaquàm poſſe,tamen doceat,nullo modo uituperandã eſſe,immo mirum in modum laudandam ſchiſmaticorum,hæreticorumq; hominum animi magnitudinẽ, inuictamq; tolerantiam, qui æternæ geennæ metu conſternati, pro Chriſti nomine quæuis ſubeunt ſupplicia. cuius calamitoſæ perpeſſionis & ſi ſempiternum fructum percipere impij, & ſcelerati homines non poſſint,neque ad felicitatem,quam exoptãt, conſequendam quidquàm momenti habeat, ac proinde nec perfectæ, ueræq; uirtutis nomen mereatur, uirtus tamen eſt meritò nuncupanda,quia cùm nulla ſit præpoſtera atque peruerſa circunſtantia inquinata,peccatum dici nulla ratione poteſt.Quæ omnia

Aug. lib. 4. contra Iul. c. 3.

Aug. lib. de Patiẽtia.

ſi di-

ſi diligentius Kemnicius conſideraſſet, & diſputatio nis Auguſtini contra Iulianum ſeriem aduertiſſet, percepiſſet ſanè, quæ ſit illius mens, cum ait, Si genti lis nudum operuit, periclitantem liberauit, ægri uulnera fouerit, ad teſtimonium falſum nec tormentis potuerit impelli, nunquid quia non eſt ex fide, peccatum eſt. Prorſus inquantum non eſt ex fide, peccatum eſt. quibus uerbis ne amplius fallaris, Kemnici, memineris quæſo, D. Auguſtinum paulò antea *indu* xiſſe Iulianum humanas uires tantopere amplificantem, ut aſſereret, poſſe quidem illas nullis diuinis auxilijs confirmatas quæuis egregia, & præclara opera, & quæ omnes uirtutis numeros contineant, facilè edere. quod cum perſuadere ueterum Romanorum exemplis ſtuderet, ualidiſſimis uerò argumentis refellat, & coarguat Auguſtinus, omni diſputationis impetu fertur ad probandum, quicquid ab homine bene, ac ſtudioſè fit, peculiari diuini numinis auxilio debere referri acceptum. Romanorum uerò, ac reliquorum infidelium opera quantumuis præclara eſſe uideantur, ſi tamen ab infideli animo, hoc eſt, nullis cœleſtibus præſidijs confirmato oriantur, ſcelerata eſſe, ac nefaria: quæ uerò omni culpa carent, magis quidem Dei beneficio in illis, quàm ab *illis* fieri, eſſe exiſtimandum. Quæ enim ſolius ſtultæ, & ſceleratæ uoluntatis impulſione eduntur, fieri certè nequit, quin aliqua propoſiti finis labe ſint turpificata. Mala enim arbor bonos fructus edere nulla ratione poteſt. Quare cũcta ea bona, quæ ab impiis fiunt, magis quidem cœleſtibus ſubſidiis, quàm impiæ uoluntatis uiribus eſſe aſcribenda, conſtanter affirmat,

Aug. lib. 4. cont. Iulianum. c. 3.

quod

quod cùm quæstionis status esset, ijs uerbis demum explicat, Quòd si & ipsa misericordia per seipsam naturali compassione opus est bonum, etiam isto bono malè utitur, qui infideliter utitur, & hoc bonum malè facit: qui autē malè facit, aliquid profectò peccat. *Aug. 4. lib. contra Iul. c. 3.*
Ex quo colligitur etiam ipsa bona opera, quæ faciūt infideles, non ipsorum esse, sed illius, qui bene utitur malis ipsorum, aut esse peccata, quibus & bona malè faciunt, quia ea non fideli, sed infideli, hoc est stulta, & noxia faciunt uoluntate. Ex qua Augustini oratione satis (ut puto) constat, illa solùm infidelium opera peccata ab illo dici, quæ ab infidelitate, hoc est, ab animo nullis cœlestibus præsidijs munito, peculiaribusq; Dei subsidijs destituto exoriuntur. loci uerò Pauli ad Romanos, Quicquid non est ex fide, peccatum est. interpretatione, quia planè & dilucidè in Coloniensium censura continetur, supersedendum esse existimaui.

MIRARI tamen iam nemo poterit, quòd tam insolenter Kemnicius insectetur singulari pietate claram, egregiaq; eruditione insignem societatem Iesu, qui dementissima quadam temeritate neque diuis quidem ipsis parcit.

" Ne'ue foret terris securior arduus æther,

petulanti audacia concitatus, gigantum more cœlitibus bellum infert. nam cùm splendidissima tria ueteris Ecclesiæ lumina, Iustinum scilicet martyrem clarissimum, Clementem Alexandrinum, & Epiphanium referat dicentes, in lege naturæ permultos fuisse iustos, qui in Christianis iure numerari debent, ita sanctissimorum uirorum auctoritate

tate commouetur, ut illos non inscitiæ modò, sed impietatis etiam condemnare non uereatur. Quis uerò ab omni pietate religionis tam erit alienus, quis ita mentis inops, quis ab omni humanitatis sensu tantopere abhorrens, qui tam effrenatam licẽtiam, tantamque procacitatem non detestetur? hæccine, Kemnici, est tua erga diuos pietas; hæc obseruantia, hic debitus et iustus honor? qui tam petulanter cœlestia iura perfringis, sanctis debitum officium, uenerationemque uiolas, auctoritatem labefactare studes, tibi habendam esse fidem arbitraris? si uiros, per quos pietas conseruata, religio aucta, fides longè lateque propagata est, impietatis insimumulas, quid reliquum est, nisi ut apertis uerbis fidei aduersarios, pios, & sacrosanctos habeas? sed da ueniam, quæso, iusto dolori, qui uereor ne me coegerit modestiæ finibus excedere. Neque enim dubito quin si aliquando diuino beneficio resipueris, apertè intelligas, me nunquàm satis tam dementem petulantiam potuisse amplificare. Sed iam uideamus, quàm meritò uiros sanctissimos, atque eruditissimos reprehendas, tantoque cum furore, & insania exagites, atque contemnas, ut cùm nullam rationem reddas, tibi credendum esse, sicut olim Pythagoræ arbitrere.

FIDEM ueramque Dei cognitionem, fundamentum iustitiæ perpetuò extitisse, nemo unquam sanæ mentis dubitauit, cùm sit non modò D. Pauli testimonijs, sed omnium prophetarum uaticinijs, euangelistarumque monumentis confirmatum. In fide enim ueteres maioresq; nostros testimonium iu-

stitiæ

ſtitiæ fuiſſe conſecutos D. Paulus ait, utpote ex qua Ad Hebræos. c. 11.
iuſtus uiuit, & iuſtitia omnis excitatur; ueram autem Dei cognitionem non ex ſacris tantùm literis, diuiniſque oraculis, ſed ex rebus etiam ijs, quæ ſenſibus ſubijciuntur, haberi poſſe, idem Paulus ad Rom. c. 1.
teſtatur, cùm ueterum philoſophorum crimina nulla ignorationis excuſatione defendi poſſe aſſerit, quippe qui abdita maximè, & recondita Dei myſteria, & quæ cerni corporeis oculis non poſſunt, per res ipſas creatas tanquàm per fidiſſimos quoſdam interpretes docere diuinum numen ſolet. Vt .n. in rebus creatis diuinæ bonitatis amplitudo omnipotentiæ, felicitatis, ſapientiæque ſplendor elucet, ita qui res haſce accurata circunſpectione conſiderauerit, diuinæ gratiæ lumine mentem illuſtrante (cuius ſola uis errorum omnium tenebras propulſare poteſt) in Creatoris cognitionem uenire facilè poterit. Quare qui diuini ſpiritus fulgôre illuſtrati, cœleſtibuſque beneficijs aucti, in præclarum illud philoſophiæ genus incubuerunt, ut ex terrenis rebus cœleſtia, ex humanis diuina, ex temporalibus ſempiterna, ex creatis creatoris ipſius maieſtatis amplitudinem cognoſcerent, ab inani illa Deorum multitudine uehementer abhorruerunt, unicũ uerò Deum, quem aſſidua meditatione, totiſque animi uiribus inquiſiuerunt, & mente, cogitationeque complexi, & religiosè uenerati ſunt; in ipſo omnes ſuas ſpes collocarunt, illi perpetuò placere ſtuduerunt, ab illo uirtutum remunerationem, officiorumque gratiam ſperarunt; illos tu, Kemnici, illa fide, Deique cognitione deſtitutos dices, qua tanquàm ini-

tijs, & fundamẽtis excellẽtissima iustitia excitatur?
Psal. 18. Non meministi, Dauidem dierum, noctiumque ui-
cissitudinem, & admirabilem ordinem Dei, uoces appellasse, quas nulla sit tã barbara, & inculta gens, quæ non percipere queat, atque ab illis admirabilem Dei prouidentiam, infinitamque potentiam discere possit? Has uoces ad homines instituendos conflatas, tam absonas, atque fuscas tamque inanes putabis, ut qui illis fuerit mirabiliter Dei beneficio instructus, fide tamen præditus, & uera Dei cognitioue exornatus dici nullo modo debeat? Non uides quanta iniuria diuinæ bonitati inuratur, si ille, qui totas uires cõparat, ut in cognitionem diuini numinis ueniat, nihil eorum prætermittit, quæ ad hoc sunt consequendum instituta, nullum tamen possit aut laboris fructum percipere, aut à Deo gratiam cõsequi? Qualem uerò laboris illum esse fructum existimabis, si neque in Dei amicitiam uenire, neque cœlesti iustitia exornari possunt? Vt quis cum Deo arctissimo charitatis, iustitiæque uinculo prioribus illis sæculis constringeretur, nullam aliam fidem re-
Hebr. c. 11. quirebat Paulus, quàm credere Deum esse, & inquirentium se munificentissimum remuneratorem existere. hanc qui, accepta à rebus creatis disciplina, fuerint consequuti, quid est quòd à iustitiæ finibus excludantur? Quocirca aut uiam aliquam demonstres, Kemnici, oportet, qua ad ueram fidem, uigente lege naturæ, peruenire homines potuerint, aut satis Dei illam notionẽ fuisse confitearis, quam partim diuinum numen unà cum natura ipsa in hominum animis impressit, partim diuino splendore illustra-

lustrati, cœlestibus suppetiis roborati consequi ea rum rerum, quæ sub aspectum cadunt assidua, circun spectaque consideratione poterant. Nisi fortè iniquum, ferum & immanissimum prioribus illis sæculis Deum fuisse fingas. neque enim diritas, atque immanitas tetrior ulla esse potest, quàm sempiternis cruciatibus homines mancipare, propter fidei illius inopiam, ad quam nullus patebat aditus, & quam consequi nulla uia, nullaque ratione poterāt. Quod longè fiet promptius & explicatius, si ad fidem nunc fulgente Euangelio, & olim enitente Mosaica lege necessariam, animum aduertamus. Quan quàm enim plurima adhuc supersint diuina mysteria, quæ in diuturna obscuritate ad hoc usque tempus latuerunt, atque solùm beatis illis mentibus, quæ Dei conspectu fruuntur, explorata sunt; si tamen plurium cognitionem à nobis quis requirat, quàm sint diuinis oraculis, & Ecclesiæ definitione explicata, graui quidem iniuria Euangelium, Christumque ipsum afficiet, ut qui non omnia ad salutem suis necessaria compararit, sed illos uana salutis spe deluserit: neque secus uigente Mosis lege illa tantummodò sacra mysteria cognita haberi necesse erat, quæ in lege, & prophetarum prædictionibus apertè fuerant, & enodatè euoluta, atque explicata; nam quæ in cæremoniarum inuolucris delitescebant, ut non erant omnibus enodata, ita nec omnibus erant ad cognoscendum necessaria. Quid igitur est, quòd priscis illis legis naturæ sæculis, & cùm nō dum sese diuina bonitas tam largè, ac copiosè effuderat, non illam Dei notitiam fuisse etiam ad salutē

ſatis arbitremur, ad quam aditus illis hominibus pa tère poterat? aut perſpecta illa habere, ac credere aſtringerentur, quæ neque Deo aperiente accepe- rant, neque ſtudio conſequi, neque labore compa- rare potuiſſent? Impoſſibilia enim in obligationem cadere ferus ſolùm, teter humanitatisque hoſtis quiſpiam poterit exiſtimare. Fuiſſe quidem Chriſti cognitionem omnibus ante ſæculis ad ſalutē neceſſa riam, quanuis obſcuram, & inuolutam, fateor, *ſed* qui diligenter conſiderauerit, quàm latè pateat Dei prouidentia, & quanta cum uigilantia prouideat re- bus humanis, ſatis intelliget, humani generis per Chriſtum redemptionem in diuina procuratiōe im- plicatè, & abſconditè contineri. Quare qui hanc Dei prouidentiam perſpectam habebāt, & exploratam, ſi mul ſanè intelligebant, nihil Deum prætermiſſurum ut homines ſempiterna felicitate perfruerentur, atq; ita non prorſus ignoraſſe, Chriſtum Ieſum Crucifi- xum, dicendi ſunt, etſi rationem, quam Deus eſſet initurus humanæ ſalutis curandæ, compertam mini- mè habuiſſent. Si igitur illa fides, & quam ille ſtatus, uitæq; conditio ferre poterat, Dei cognitio ſatis erat ad ſalutem, profectò ſi cultum, ſi pietatem, ſi religio- nem aduerſus Deum illi adiunxiſſent, atq; quē ſum- mum eſſe bonum intelligebant, totis animi uiribus dilexiſſent, ad illius uirtutis præſtantiam, quam con templatione admirabantur, imitatione quàm maxi- mè poſſent, accedere conarentur (quod uberimum philoſophiæ fructum dixit Plato) leges, quas recta ra tio præſcribit, quoad eius fieri poſſet, conſeruaſſent, ad illius normam omnes uitæ rationes inſtituiſſent

neque officia unquam deseruissent, nihil est certè, quòd iustos illos fuisse dubitemus. Quod quidem mihi docere uidetur D. Paulus, Si enim illos, ait, nullam excusationē esse habituros, qui cùm ex procreatis rebus abundè satis in Dei cognitionem diuino beneficio deuenissent, illum tamen non sicut Deum glorificauerunt aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis; innuere sanè uidetur, excusationis illos plurimum habituros, qui quam de Deo, & de officio, animo persuasionem habuerunt, cultu, pietate, religione, morumq; integritate, quoad eius fieri potuit expresserunt: atque adeò iustitiam Dei, nequaquam in iniustitia detinuerunt, sed quæ iusta, & pia esse ducebant, iustè, & religiosè executi sunt. uerè item sapientes illos habendos esse innuit, quorum cor non usque adeò fuit obtenebratum, ut uero Deo, quem cognoscebant, repudiato, immundissimis quibusque animantibus diuinos cultus, honoresq; deferrent, immo illum solum, quem uerum esse Deum diuino beneficio persuasi erant, piè uenerati debitisq; honoribus, ac cultu studiosè prosecuti sūt; eiq; tantummodò placere perpetuò studuerunt. Si nanque quorundam impietas, nefariaq; scelera cū uera Dei cognitione coniuncta iustam occasionem diuinæ indignationi, promeritæq; dānationi dederūt; quid est, quòd aliorū pietas, & religio, cū officio copulata, Dei clementiam non prouocauerit, illumq; ad miserendum allexerit? Quare, Kemnici, nisi nunc demum ad Manichæos uelis deficere, confitearis necesse est cum Epiphanio, cui tantam ignominiam inuris, sine lege Mosis, & Euangelica nobis

Rom. c. 1

per

per Iesum Christum data, sola lege naturæ permultos fuisse Dei gratia iustificatos, & saluos. cùm præsertim ipse id probet Abelis, Enochi, Iobi, aliorumque sanctissimorum Patriarcharum exemplis, qui plurimis, atque amplissimis fuerunt diuinæ liberalitatis muneribus aucti, diuinæq; cognitionis luminibus illustrati. Neque dubito quin multos ex Philosophis in horum numerum aggregare potuisset, qui nunquam curuauerunt genua sua ante Baal, quod tamen faciunt Iustinus, & Clemens, quos, ut uideas quàm immeritò calumnieris, paulò magis aduerte illorum mentem, diligentiusq; introspice.

Iustinus prima Apolog.

QVI Iustini priorem Apologiam consideratè legerit, satis perspiciet, minimè quidem existimauisse, Christum Iesum uerum hominem humani generis redemptorem, admirabilemq; illam diuinæ humanæq; naturæ arctissimam copulationem, ex quibus una, & eadem persona, Christus scilicet, euasit, ueteribus fuisse Philosophis compertam, cum dixit, Socrati non fuisse Christũ prorsus incognitum, sed diuinam solùm ipsius naturam spectasse, ob quam Christus Dei uerbum Deiq; sapientia, per quam omnia facta sunt, dicitur. Cum enim Dei sapientiam, quæ in rerum procreatione, & administratione maximè splendescit, perspectam Socrates habuisset, illiusq; esse humanam rationem, qua honestum à turpi, uirtutem à uitio discernimus, quandam scintillam minimè ignorasset, Christum etiam hoc est, Dei λόγον ac uerbum cognoscere quodammodo uidebatur, qui uera est Dei sapientia. Quare eodem in loco Iustinus ait, Philosophos ideò pugnantia sæpe docuisse, neq;

exactam

exactam uirtutis rationem comprehendisse : quia non integrè mentem illam diuinam, seu uerbum Christum perceperunt. eodemque prorsus modo de Christo loquitur in Apologia ad M. Antonium Pium. Nam nequis existimaret, omnes, qui Christi aduentum ætate præcurrerunt, omni culpa caruisse, quippequòd disciplinam à Christo accipere non potuerint, quæ sola perfecta uirtutis, iustitiæque ornamenta tradit, ait, Christum primogenitum Dei didicimus, eundem mentem esse demonstrauimus, cuius totum humanum genus est particeps, & qui cum ratione uixerunt Christiani sunt, etiam si nō nouisse Deum existimati sunt. Quales apud Græcos fuerunt Socrates, Heraclitus, aliiq́; similes; apud Barbaros Abrahã, Ananias, Azarias, Misael, Helias, & multi alij, quorum nomina, & res breuitatis causa nunc non percensebimus. itaque & etiam illi, qui ante Christum natum sine ratione uixerunt, ἄχρηστοι, & inimici Christo erant, & sectatores rationis Christiani, fortes, & imperterriti permanserunt. Hæc Iustinus. Quare non eos hîc appellat Christianos, qui, Christum uerum Deum, ac hominem cognoscunt, sed qui legem, quam Christus docuit, & quam Dei uerbum, ac sapientia humanis animis simul cum natura infixit, studiosè seruant. quæ, si impia ducis Kēnici, etiam impium dicas necesse est, naturalem legē ab æterna illa & incommutabili lege profectam fuisse, atque per Christum Dei uerbum, & sapientiam humanis esse mentibus impressam, atque consignatam. Quare illos Christianos appellat Iustinus, qui hanc naturæ legem, quam Dei sapientia ac uerbum

Iustin. Apolog. secunda.

hominum

hominum animis consignauit, studiosè conseruarunt.

Clemens Stromat. CLEMENS uerò Alexandrinus cum dixisset, philosophia fuisse quosdam iustificatos, apertè mox docet, non quidem philosophiam ipsam habuisse unquam uim ad iustificandum, sed ad iustitiam comparandam fuisse Græcis olim necessariam, quia diuinarum humanarumq; rerum assidua illa contemplatio in ueri Dei cognitionem ducebat, & in uirtutum studia acrius incitabat. Dei uerò auxilium tanquàm excellentissimum thesaurum, ait, recõditum fuisse, & illam consensionem, qua ad Dei cultum, & pietatem in Deum ducebantur. Quibus uerbis satis declarauit uir sanctissimus, non aliter accipiendum esse quod dixerat, philosophiam scilicet iustificare, quàm diuinum numẽ philosophiæ ministerio usum fuisse, ut homines excellentissimæ illi disciplinæ deditos, clarissimis iustitiæ ornamentis illustraret. Quod ipsum significat, cùm philosophiam pædagogum ad Christum, Mosaicæ legis instar appellat. Nam sicut Mosaica lex præceptorum numero & multitudine, suppliciorumque terrore Israeliticum populum in officio continebat, & ad maiora munera excellentioraque mysteria perinde præparabat, ac ætatem teneram ad uiri munera pædagogus præmunire, & præfulcire solet, ita philosophiæ meditatio cùm mentem Dei cognitione illustrat, pietate informat, uirtutumque institutis, & amore exornat, ad Euangelium quodammodo uiam munit. Animus enim, qui uera Dei cognitione, uirtutumque luminibus est illustratus, atque in diuinarum rerum contempla-

templatione ſatis uerſatus, facilius quidem ad reliqua fidei myſteria adducetur. Eſt enim (inquit Clemens Alexandrinus) una uia ueritatis, ſed in eam tàmquàm in flumen perenne alia aliunde fluēta influūt. Quare uir idem eruditione, & ſāctitate egregius, nō modò ex ſacris literis, ſed ex philoſophiæ penetralibus argumenta ducit, ad Euangelicæ fidei ueritatem confirmandam. Memineris autem, Kemnici, ne philoſophiæ nomine fallaris, longè multumq; differre ueram philoſophiam, de qua Clemens ſermonem facit, à falſa, & ſophiſtica, quam ſancti patres ſemper reiecerunt, & aſpernati ſunt. *In eodem Strom. lib.*

De ueniali peccato ita loquuntur Ieſuitæ: leuia illa peccata, in quæ quotidie labimur, non ſunt talia, quæ nos ſordidos, & Deo exoſos reddant. Item, leuia illa nec impios, nec malos nos faciunt, neque operum noſtrorum obſunt efficaciæ. VII. *Axioma.*

PLVRIMVM inter ſe peccata differre, atq; uelut gradibus quibuſdam diſiuncta eſſe, & maximè diuerſa, cùm natura ipſa admonet, tùm ex diuinis oraculis, ſanctorumq; patrum ſententijs perſpicuum fit, & exploratum. Superſedeo maximis illis, ac grauiſſimis philoſophorum omnium argumentis, quibus, inſana de peccatorū æqualitate Stoicorum ſententia reiecta, iam olim fuit, & planè repulſa: à quorum mente, & ſi plurimùm ſe abeſſe Kemnicius, Lutherus, Caluinus, & reliqui huius factionis homines mentiantur, tamen re ipſa quantum cum Stoicis conſentiant, qui illorum uerba diligenter expenderit, ſatis perſpiciet. ita enim peccata eſſe inæqualia dicūt, ut omnia tamen mortifera, ſempiternisq; cruciatibus digna eſſe arbitrentur; illorumq; diſcrimen in

pœnitentia peccantis magis, quàm in actionibus ipsis esse ponendam ducant. Illa enim uenialia uocãt, quorum ueniam fide, ac pœnitentiã impetramus; mortifera uerò, quæ nostra negligentia nunquam à Deo dum uitam degimus, condonantur; & quia scceleratus animus ita est in peccatis obfirmatus, ut ad pœnitentiã induci nullo modo possit. At uerò quantum à ueritate aberrent, qui hanc philosophandi rationem sequuntur, satis intelliget, qui animaduerterit, diuinæ legis finem, ut à D. Paulo accepimus, in charitate positum esse, atque totam Euangelij institutionem eò potissimùm spectare, ut homines cum Deo arctissimo amoris uinculo coniungantur, ac copulentur. Quare ille perniciosius diuinam legẽ uiolare cẽsendus est, qui actionem suscipit, cum diuino amore magis pugnantem. leuiora uerò illa sunt peccata, quæ diuinæ dilectioni minùs repugnant. Quis enim non uideat, diuinum numen execrationibus, & blasphemijs prosequi, quàm hominem maledictis incessere eò funestius peccatum haberi; quia magis illa, quàm hæc maledicendi procacitas, diuinæ dilectioni aduersatur? Quare si peccatorum pondera sunt diuina dilectione quasi trutina quadam examinanda, illa profectò omnium sunt peccatorum leuissima, quæ minùs cum diuina dilectione pugnant, neque humanas mentes à charitate atque uera iustitia deturbant, qualia sunt cùm per iocum quis mentitur, aut multa facetè magis, quàm commodè loquitur, aliqua'ue turpitudinis prurigine stimulatur, quã tamen non comprimit mox, & restinguit. Hæc enim etsi charitatis impetum retardare aliquo modo uideantur,

quomodo peccata lethalia et uenialia inter sẽ differant.

antur, atque diuinæ dilectionis ardorem, quo humanus animus æstuare debuisset, aliquantulum tepefacere, non tamen diuinæ dilectioni, charitatis'ue officijs aduersantur prorsus, & repugnant, cum neq; proximo magnum incõmodum, neque diuino numini, ac legi dedecus, & ignominiã afferant. Quæ Theologi nostri dicunt magis esse præter Dei legẽ, quàm illi cõtraria, quia scilicet leuia hæc peccata ita ab exacta diuinæ legis regula absunt, & ab illius præscriptis aberrant, ut charitati, quæ legis finis, perfectio, atque absolutio est, non sint aduersa, neque repugnantia. Quare qui solis est uenialium maculis contaminatus, gratiæ certè, & charitatis ornamentis mirificè illustratus esse potest. unde fit, ut proprijs operationibus, quæ à Christi sanguine, qui nos ab omni peccato mundat, uim, atque efficacitatem habent, possit illorum ueniam à diuina misericordia facilè impetrare: unde uenialia dicuntur. Qui uerò lethalibus est criminibus implicatus, non nisi diuina gratia, & liberalitate ex illis se poterit laqueis expedire. nam cùm diuina gratia, ac charitas, uitalis sit quædam uis, salutarisq; spiritus, quo humana mens uitam degit, quãdiu illo humanus animus fruitur, ita Deum habet propitium, ut præclaræ actiones illi non possint non esse gratissimæ, neque omnium culparum ueniam non facilè exorare. Qui uerò cœlesti hoc, & planè diuino spiritu est destitutus, mortiferisque sceleribus sauciatus, ueluti mortuus iacet, nihil sanè uirtutis reliquum habet, qua se possit in uitam reuocare, mortifera'ue illa uulnera obligare: quare hæc scelera mortalia dicuntur, ut quæ sempiternam mortem animæ

 afferunt

afferunt illamq; cœlesti ac sępiterna uita, quæ in gratia, iustitia, ac charitate posita est, priuāt: quod Coloniēses Patres significare uoluerūt, cū affirmarunt, peccata uenialia, nō esse talia, quæ nos sordidos planè, & Deo exosos reddant, hoc est, neq; iustitiam ita delere, ut in Dei odium illico incurramus, neque charitatem ita extinguere quin uirtus maneat, qua possimus sordes ex peccatis uenialibus contractas eluere. Kemnicius autem ea, qua pollet fide, particulam planè subticuit, ut maiorem calumniandi rationem habere uideretur.

CVM uerò suppliciorum atrocitas, peccatorum fœditatem excedere nulla ratione debeat, illa certè flagitia, quæ mentes à Deo prorsus alienant, cœlestique gratia, ac uita priuant, ut mortem animæ afferunt, ita sempiternis cruciatibus illam addicunt, & mancipant. quæ uerò non sunt eiusmodi, ut à Deo nos disiungere omnino ualeant, neque charitatem penitus abradere, uenia quidem digna sunt, hoc est, quæ ijs cruciatibus puniantur, qui exitum aliquando ac finem sint habituri, neque ad omnes æternitates duraturi. Vt enim qui iustitiam ac charitatem abiecit, & sese à Deo per summum scelus disiunxit, cum eo felicitate coniungi nullo modo debet; ita illum, qui iustitiam, ac charitatem perpetuò retinuit, & conseruauit, ob leuia peccata à Dei consortio perpetuò distrahi, ab omni est ratione alienum. Leuia autem dico, si cum mortiferis conferantur. nam si cum diuino numine, cuius uoluntatis lineas uel minimùm trāsilire, nemo sine culpa potest, non adeò sunt leuia, quin crudelissimis sint suppli-

cijs

ciјs dignissima. Videre igitur iam poteris Kemnicij, quantam calumniam quantamque perfidiam tua illa oratio contineat, qua asseris, Colonienses quædam peccata adeò leuia ducere, ut digna non sint, quibus Deus irascatur. Viri enim eruditissimi, & circunspectissimi, & si non omnia æquali pœna digna esse arbitrentur, nullum tamen est, quod non atrociter puniendum fore credant. nam cum Catholica Ecclesia affirmant, Purgatorij ignibus illa uenialia peccata plectenda fore, quæ pœnitentiæ ui non fuerint abrasa prorsus, & deleta.

QVIA uerò te hîc olfacere ais, fetores Theologiæ Scholasticæ, agedum uideamus, an sacrarum literarum testimonia, & sanctorum patrum sententiæ, unde hæc omnia Scholastici hauserunt, putere tibi etiam uideantur. Non uides quanto interuallo distent apud Matthæum, fratri irasci, רקה illũ, hoc est, mentis, ac iudicij expertem, aut fatuum uocare? *Matth. c. 5.* Cum enim tria hæc peccata esse supplicijs digna Christus doceat, illud tamen solum, quod acerbius est, & atrociorem iniuriam fratri infert, atque magis charitati aduersatur, sempiternis ignibus dignum iudicat. Non meministi, Solomonem asseruisse, septies in die iustum cadere posse, & toties resurgere, atque sese omni culpa liberare? *prouerb. c. 24.* Quod si peccata quæuis iustitiam, & sanctitatem fugant, ac depellunt, non erat quòd Solomon iustum eum appellaret, qui tam multa scelera quotidie admitteret, & iustitiæ splendorem tam frequenter abijceret. Esse autem Solomonis uerba non de uitæ, salutisque periculis (ut aliqui arbitrantur) sed de peccatis intelli-

genda

genda, ipſemet paulò ante aperuit, cum dixerit, Ne inſidieris, & quæras iniquitatem in domo iuſti, neque uaſtes requiem eius; ſepties enim in die cadit iuſtus: hoc eſt, nihil eſt, quòd iuſtorum uitam diligenter inquiras, &, quæ illi admittunt, peccata per inſidias indagare cures; nam & ſi labi illum ſæpius, ac ruere accidat, non tamen peccatorum uinculis ita conſtringitur, quin diuino Spiritu, iuſtitiæque uiribus excitetur facilè, & reſurgat. At impij, *qui* firmiſſimis ſunt iuſtitiæ præſidiis deſtituti, corruant in malum neceſſe eſt. Quibus accedit nominis רשע uis, quod Latinus interpres accommodatiſſimè impietatem uertit: pœnam uerò, aut incommodum ſignificare nullo modo poteſt. Quorſum item, Kemnici, ſpectat egregia illa Diui Iacobi de concupiſcentia peccatorum altrice ſententia, quòd ſcilicet cùm

Iacob. can. 1.

conceperit, parit peccatum; illud uerò cùm perfectum fuerit, & abſolutum, generat mortem? An non uides, primum concupiſcentiæ fœtum, peccatum quidem eſſe, ſed non perfectũ, atque cõpletum, neque eiuſmodi ut ſempiternam mortẽ inferre poſſit? Nam cùm peccatum non niſi libera uoluntate perficiatur, ut abundè ſatis demonſtrauimus, quò actio minùs deliberata eſt, eò ſanè minùs ſceleris in ea inſit neceſſe eſt. Cum igitur laſciuientis naturæ impetus, qui concupiſcentiæ propenſionem ſequuntur, non tam ſint deliberatæ uoluntatis actiones, quàm ſeſe in liberam uoluntatem ingerant, & ſubrepant, quos priores motus appellamus, peccata quidẽ ſunt, quia cum Dei lege non omnino conueniunt, non tamen mortifera dicenda ſunt, neque cum Dei lege

omni

omni ex parte pugnantia, quandiu uoluntas non fuerit contra diuinæ legis præscriptionem deliberata, atque obfirmata. Quod Diuus Iacobus perfectum peccatum uocat, & sempiternum interitum inducere ui sua asserit. Prætermitto quòd Christus quædam peccata adeò ducit leuia, ut cum gluma, festucis, ac culicibus sæpius conferat; alia uerò adeò atrocia, ut trabibus, atque camelis similia esse doceat. Quod discrimen non in pœnitentis animo, sed in re ipsa situm esse satis ex eo constat, quia si solus pœnitentis animus peccata efficeret leuia, ac uenialia, omnia quidē trabes dicenda essent, omnia cameli, omnia consummata esse, ac mortem parere; omnia geenna ignis digna, atque posse homines iniustos efficere. Cum igitur non eisdem nominibus à Christo appellentur, neque parem uim habeant aut ad mentes contaminandas, aut ad sempiternos cruciatus inferendos, hoc certè tantùm discrimen in re ipsa magis, quàm in penitentis ipsius animo situm est, ac positum. Nō inficior, nullum esse tam scelestum, ac nefarium facinus, quod pœnitentia nō efficiat ueniale, id est quod non ueniam facilè consequatur per pœnitentiam, ut Diuus Ambrosius docet: sed quàm bellè inde colligere possis, ob solam pœnitentiam omnia peccata dici uenialia, si disserendi artem aliquo modo calles, uidere facilè poteris. Quinimmo si pœnitentiam ex mortalibus peccatis uenialia efficere, ideò Ambrosius asserit, quia mentes iustitia exornat, peccatorum fœditatem repellit, & propulsat, atque ueniam à Deo impetrat, satis innuit, in uenialium peccatorum ratione inesse, à Deo facilè condonari, neque

Matth. c. 7.

Ambr.

que tantopere cum iniustitia pugnare, quin conuenire simul possint, ac concurrere. Nam si à gratia ita uenialia abhorrerent, sicut mortalia, neque illis esset ad ueniam longè facillimus aditus, nulla certè excogitari potuisset dicendi forma ineptior, nulla dispar magis similitudo, quàm, mortalia peccata tunc uenialia effici, cùm iustitiæ, & charitatis splendore animus illustratur, & ueniam à Dei bonitate exorat. Esse uerò hoc peccatorum discrimen in re ipsa magis, quàm in personis positum, ex eodem Ambrosio disces, qui tria peccatorum genera enumerat; impietatem scilicet, quam in Dei ignoratione sitam esse ait; grauia, & leuia crimina, quæ omnia in baptismo obliterari dicit: idemque Popolum ait posse pro leuibus suis peccatis Deum precari, grauiorum autem ueniam, iustorum esse orationibus reseruandam. Quòd si sola uenia, peccata reddit leuia, nihil erat sanè, quòd ante remissionem illa ita distribueret, atque tantum per se ipsa esse disiuncta diceret, ut quædã nõ nisi Mosis, Hieremiæ, sãctissimorũq; hominum precibus, quædã uerò uulgi etiã orationibus cõdonẽtur. Cum itẽ ad leuium peccatorum cõdonationẽ satis quædã ualere Ambr. dicat, quæ grauia delere nullo mõ possunt, euidẽs certè fit, & perspicuum non ex pœnitentia animo cõseruata, sed ex ipsis peccatorum conditionibus tantam hanc differentiã excitari. D. uerò Aug. peccata, ait uenialia, sine quibus hæc uita non ducitur, à uita æterna iustum non impedire. Perlege, Kemnici, quæ hac de re lib. de natura & gratia abundè disserit, nam planè uidebis, Abelẽ cæterosq; sanctos Patres leuia quædam peccata susci-

pere

Ambr. in Epist. ad Rom. c. 4.

Ambr. lib. de patientia c. 9.

Aug. lib. de spiritu et litera c. 28.

pere potuisse (quorum Aug. permulta connumerat) neque tamen iustitiæ aut charitatis iacturam fecisse. ita enim concludit, Verùm quia sæpe in leuissimis & aliquando in cautis obrepit peccatum, & iusti fuerunt, & sine peccato non fuerunt. At, inquies, ideò iusti fuerunt, quia pœnitentiam integrè conseruarunt, illisq; eà displicuit deprauatio. Age dum, Kemnici, displicebant'ne sãctis uiris minutiora peccata, dum suscipiebantur, aut posteaquàm suscepta erant, si dũ suscipiebantur, non uides quanta sit deliratio existimare, & placuisse simul, & ita displicuisse, ut unà, & deleta & admissa fuerint? Quæ enim nulla ratione placent, neque peccata dici ullo modo possunt, pœnitentia uerò cum magno quodam dolore, & animi ægritudine necessariò cõiuncta est, & colligata. Quis autem uel mente poterit concipere, uoluntatem in tam contrarias, diuersas, atque inter se pugnantes partes fluere pariter, ac rapi posse? si cum uolupate quis per ludum ac iocum fallere quépiã uelit, quì fieri potest, ut mœrore simul ea de causa perfundatur? Quòd si posteaquàm admissa fuerunt, sanctis uiris diuino spiritu concitatis, iniucunda illa esse cœperũt, quæ paulò anteà placuerunt, age sanè, aut iusti esse eo temporis interstitio desierunt, aut nunquàm: si desierunt, fallitur igitur Augustinus, qui & iustos illos fuisse, & peccato non caruisse ait, immo fallitur Ioannes Euangelista, qui mendaces illos uocat, qui se omni peccato uacare dicunt. Si enim omne peccatum iustitiæ aduersatur, ut prætefers existimare, fieri certè nulla ratione potest, ut iustus peccato sit uel minimo contaminatus: nam quamdiu peccato subia- *Ioan. prima epist. c. I.*

 cet,

cet,iustus non est, esse autem iustus tum denuò incipit,cùm peccatum deletur per pœnitentiam, & abraditur.Quòd si leuiora illa & minutiora peccata iustitiam non delent, sed à sanctissimis uiris admitti salua iustitia possunt,hoc est,si illi,qui solis erant minutis peccatis contaminati, iusti esse nunquàm desierunt,non uides,Kemnici,peccatorum mortalium,ac uenialium distinctionem ex natura rei,& non ex pœnitentis animo proficisci? cùm illa iustitiam,& charitatem expellant prorsus, hæc uerò cum charitate cõiungi rectè ac copulari possint? Vnde fit, ualde esse D.Augustino familiare asserere, iustos peccatis quidem omnino carere nullo modo posse, atq; nunquã non uerè dicere, Dimitte nobis debita nostra. iustitiæ tamen ornamenta minimè abijcere, peccata autem illa,quorum necApostoli,qui diuini Spiritus erant præsidijs confirmati, neque sancti uiri, qui Dei legem studiosè coluerũt, expertes erant,uenialia esse leuiaq; ista,de quibus agimus,sæpe idem August. Hieronymus, cæteriq; sancti Patres docuerunt. Illa uerò Dauidis uerba, Nõ enim qui operantur iniquitatem,in uijs eius ambulauerunt. de atrocioribus criminibus,quæ mortalia dicuntur, Augustinus ducit esse intelligenda. Idem quoque infirmitatis, ait, & imperitiæ peccata,uenialia esse, malitiæ uerò mortalia, quæ bonitati diuinæ aduersantur. Quis uerò non uideat,hoc discrimen ex re ipsa magis, quàm ex animo pœnitentiam conseruante existere? Hinc D.Hieronymus, multum interesse arbitratur, inter παραπτώματα, καὶ ἁμαρτίας. ait enim παραπτώματα, siue delicta, peccatorum esse quasi initia, cùm scilicet

Aug. in Psal. 118.

Aug. lib. 83. quæs. q. 26.

Hieron. in Com. epist. Pauli ad Ephes.

cet cogitatio tacita subrepit, etiam ex aliqua parte conniuentibus nobis, nec dum tamen nos impulit ad ruinã. Hæc uerò quis peccata esse, quãuis leuia ac uenialia neget? at ἁμαρτίας siue peccata, integrã esse, & cõsummatã diuinæ legis transgressionẽ miserandã q; animi ruinã censet. Quòd si attentè cõsideraueris, Kemnici, quàm sint diuersa atque seiuncta peccatorum initia, à finibus; inchoata, imperfectaq; scelera à perfectis, & quantum inter se distent nutare & turpiter corruere, quasi quodammodo labare, & miserabiliter concidere, satis quidem perspicies quàm turpiter errent, Caluinus, atque reliqui omnes, à quibus didicisti, uenialia peccata & mortalia, nõ rerum naturis, sed pœnitentis animo differre.

QVOD nisi tam esset notum & manifestum, ut in quæstionem uocari nullo modo posset, nunquàm profectò Martinus Bucerus, acerrimus, & pertinacissimus præceptoris tui Martini Lutheri propugnator, tantum operæ & laboris posuisset, cùm ut doctorem suum ab hac tua opinione tanquàm ab insigni quadam ignominiæ nota, & impietate uendicaret, tùm ut demonstraret, hac in re à nobis, idest, à communi totius Ecclesiæ consensu nunquàm dissensisse. Nam, cùm tria peccatorum genera enumerat Bucerus, Peccatum scilicet ad mortem, idest irremissibile, pro quo Ioannes prohibet ne quis oret: Mortale, & Veniale, mortale docet in eo conuenire cum ueniali, quòd utrunq; meritum mortis infert. Nam, quandiu quis uenialibus fuerit infectus, & contaminatus, non poterit Deo plenè frui, quia cœlestem Hierusalem nihil poterit contaminatum ingredi: differre tamen

Bucerus in disputationibus Ratisp. Anno. 1546

inter se, quia mortalia à regno Dei excludunt prorsus, dum peccare homo non desinet, uenialia uerò remittuntur, quanuis mēs illis sit implicata & circumretita, at peccandi animum non dimittat prorsus et abijciat. Hoc uerò quantum differat à commentitia illa peccatorū differentia, quam à Caluino accepisti, non ita esse cæcus poteris, quin clarè uideas. Ne uerò suos accusare Bucerus uideretur, ait, ideò peccata omnia à suis mortalia appellari, cùm quia meritū mortis omnia inferunt, tùm maximè ut piorum hominū studia, peccati terrore uehementius incitata, Christo plenius sese addicerent, iustitiæq; amore magis ac magis inflāmarentur. putauit enim uir egregius, suis præceptoribus noui Euangelij institutoribus integrum fore, pietatis gratia mentiri, & insigne esse Euāgelicæ charitatis indicium, quos ueritate nō posset, mendaciorum multitudine ad sua studia adducere. Hoc enim ueteri Ecclesiæ incognitum Euangelium, tam est ueritatis inops, ut necesse habeat mendaciorum auxilia sibi adiungere. hæc igitur cum sit de peccatis uenialibus non modò sanctorum Patrum, sed eorum, qui Luthero adprimè studuerunt, sententia, Kemnicius ingenti flagrans calumniandi libidine, à suis maluit diffidere, quā cū Coloniēsibus aliqua ratione consentire, quos Iebusitica peccora uocat, omniumq; ignorantissimos esse dictitat, quia fundamenta (inquit) huius, qua de agimus, distinctionis non intelligunt. Sed cùm illorum causa cum sanctis Patribus non possit non esse communis, nō est quòd tanta procacitas illos mouere debeat.

SED uir emunctissimæ naris, cui Scholastica omnia

nia fœtent, sanctissimi Bonauenturæ, & D. Thomæ hac de re doctrinam, ferre nullo modo potest. irridet enim D. Bonauenturam, quòd dicat, de peccato ueniali per se, non necesse esse pœnitere, sed tantùm quia præparat ad periculum; peccatum uerò originale arbitretur, debere quidem homini adultæ ætatis displicere, non tamen necesse esse, ut propterea conteratur. Quod uerò ad uenialia attinet, si Kemnicius tantum illud discrimen peccatorum mortalium, & uenialium, quod abundè explicauimus, teneret, minimè quidem ueram istam & ualde accommodatam Bonauenturæ sententiam irridendam existimaret. Cum enim egregius hic doctor docuisset, peccatorum illum dolorem, quem contritionem uocamus, ita oportere omnium esse maximum, ut malit pœnitens, omnia animi & corporis incommoda perpeti, quàm sese sceleribus contaminare, id ap positissimè ex charitate, cui peccatum aduersatur, ostendit. Nam sicut fieri nequit, ut qui charitate exornatus est, Deum præ cæteris rebus non diligat; ita neque contritio, qua amissa charitatis ornamenta recuperantur, uocari ille dolor potest, qui non ita mentem occupat ac possidet, ut reliqua mala minima præ peccatis iudicet. Cum igitur, ut demonstrauimus, uenialia peccata, charitati non aduersentur, neque illam à mente exigant, atque expellant, sicut mortalia, neque contritio quidem, quæ pœnitentia uocatur, illis ita est ad salutem necessaria, qui uenialibus tantùm sunt culpis infecti, sicut ijs, qui mortalibus sunt sceleribus turpificati, cùm hæc charitati repugnent prorsus, illa uerò consistere cũ charitate

Bonauentura. 2. sent.

charitate simul possint. atq; adeò, sicut crimina, quæ uenialia uocantur, leuiora sunt & minutiora, ita leuioribus remedijs ab illis nos uindicari atque liberari necesse est, mitioraq; ac breuiora supplicia sint illis in futuro sæculo constituta. Quia uerò ex D. Augustino idem Bonauentura luculenter docet, tantopere humanas mentes uenialibus peccatis obrui aliquando posse, ut in mortalia quodammodo impellant; ait oportere actutum, animi languore, modisque omnibus à mente illa propulsare, non secus atque omnes illas occasiones præscindere, quæ in grauissima scelera apertamque ruinam præcipitare animam possunt. sed, cùm Kemnicius præiudicata quadam opinione cæcus omnia peccata, mortalia ducat, minimè mirum uideri debet, si piam hanc ualdeque disertam D. Bonauenturæ mentem, impiam atque rudem iudicet. Quod uerò ad originalia peccata attinet, nihil est, quòd D. Bonauenturæ, immo doctorum omnium ueram & præclarã sententiam longa oratione confirmare, aut exornare cogitemus. si enim nudas illius rationes proponamus, non dubito, quin omnes in eandem sententiam facilè trahant, quarum hæc ferè est præcipua. Cùm medicinæ, morborum generibus respondere debeant, pœnitentia uerò nõ nisi deliberata uoluntate & propria operatione suscipiatur, illis profectò peccatis accõmodata medicina erit & necessaria, quæ propria operatione, atque uoluntate suscipiuntur. originale uerò peccatum cùm non fuerit propria uoluntate, sed Adami arbitrio admissum, ut demonstrauimus, illa profectò medicina sola illi erit necessaria, quæ aliena

aliena etiam uoluntate adhiberi poteſt, qualis baptiſmus eſt, qui uagientes adhuc infantes originali crimine liberat: pœnitentia uerò, quæ propriam operationem neceſſariò exigit etſi originali peccato adhiberi poſſit, qui tamen neceſſariam eſſe ducit; originalis peccati naturam non ſatis perpendit.

AT ſanctiſſimi Thomæ Aquinatis acerbior multò, & ſeuerior cenſor eſt Kemnicius. nã illius ſententiam his uerbis refert (puderet enim me uehementiſſimè, tantam impietatem meis explicare) *Thomas dicit, uenialia ſunt reparabilia ſine uirtute diuina, & diſputat quàm facilimis remedijs curentur, ut non opus ſit contritione, non fide apprehendente Chriſtum, ſed tantùm aſperſione aquæ benedictæ, benedictione Epiſcopali, & ſimilibus nugis.* Hæc uerò quàm longiſſimè à D. Thomæ ſententia abſint, neminem latêre poſſe exiſtimo, qui in illius fuerit doctrina uel mediocriter uerſatus. Cùm enim illius ſcripta ſint non minus excellentiſſimæ cuiuſdam modeſtiæ exemplum, quàm præclaræ eruditionis uberrimus fons & ſcaturigo, tum nulla in re magis uerſantur, quàm in diuina bonitate, uirtute, gratia, potentia & maieſtate amplificanda, cui omnia docet bona referri debere accepta. Quare, qui hæc Kemnicii uerba petulantiæ pleniſſima legerit, mox intelliget, nihil magis à D. Tho. pietate, modeſtia, egregia doctrina, & uerbis abhorrere. De uenialium uerò peccatorum condonatione, cùm multa præclarè diſſeruerit in tertia parte; illam ſanè diuinæ gratiæ atque uirtuti maximè tribuit, cuiusſen tentiam, quàm potero breuiſſimè, aperiam.

PRINCIPIO docet D. Thomas, oĩa peccata cùm *Tertia p. q. 87. art. 1.*

lutem, nisi sacrificium obtulerint Deo spiritum contribulatum per pœnitentiam. Vt uerò D. Tho. sententia magis pateat, illũ loquentem audiamus. Vnde sequitur (inquit) quòd ad remissionem peccatorum uenialium requiratur quædam uirtualis displicentià, puta cùm aliquis hoc modo fertur secundum affectum in Deum, & res diuinas, ut quidquid sibi occurreret, quod eum ab hoc motu retardaret, displiceret ei & doleret, se commisisse, etiam si actu de illo non cogitaret. Quod tamen non sufficit ad remissionem peccati mortalis, nisi quãtum ad peccata oblita post diligentem inquisitionem. Hactenus D. Thomas.

HAECCINE sunt, Kemnici, existimantis peccata uenialia esse reparabilia sine uirtute diuina, neq; opus esse fide apprehendente Christum? in charitatis ardore, in animo diuina dilectione æstuante, nullam tu inesse diuinam uirtutem putas? ijs diuinæ dilectionis flagrantissimis motibus fidem esse coniunctam pernegabis? sed ad ea, quæso, quæ haud multò pòst idem Tho. ait, paulò magis animum aduerte. In quæstionem uocat, an peccata uenialia sine gratiæ infusione deleri pòssint. cùm uerò gratiæ necessitatem probare conetur ex illis Pauli uerbis, Deus, qui diues est in misericordia propter nimiam charitatem suam, qua dilexit nos, cùm essemus mortui peccatis, conuiuificauit nos in Christo, cuius gratia saluati estis. in hunc modum respõdet, Dicendum est, quòd etiam remissio peccatorum uenialium, est effectus gratiæ, per actum scilicet, quem elicit, non autem per aliquid habituale de nouo animæ infusum. Agedũ, Kemnici, si peccatorum uenialium condonatio di- *Ephes. c. 2.* *Tertia. p. q. 87 ar. 2. ad prim.*

dentes amoris flammans quatiunt, quibus peccatorum uenialium sordes absumuntur. Id uerò sine diuinis præsidijs effici posse, ille solus arbitrabitur, qui diuinam uirtutem & bonitatem in iustitia, quæ nos diuinæ naturæ consortes illiq; simillimos reddit, inclusam esse dubitabit. Qui uerò mortalibus sunt sordibus turpificati atque deformati, cùm tantam charitatis & iustitiæ iacturam fecerint, ut nihil intra se diuini spiritus retineant, quo à nefarijs illis sceleribus emergere, & tantam turpitudinem abijcere possint, singulari quadam Dei uirtute extrinsecus aduenien te egent, quæ mentem excitet, illius crimina diluat, & admirabili iustitia perfundat. Peccatorum igitur uenialium à mente expulsionem sine uirtute diuina effici, nunquàm D. Thomam existimasse, apertè puto demonstrauimus, sed in iustorum animis illam esse uim diuinam cum iustitia & charitate colligatam, atque implicatam, quæ uenialia crimina exterminare ualet, sæpè docuisse.

quàta sit aquæ benedictæ uis.

SED aspersionem aquæ benedictæ cæteraq; peccatorum uenialium remedia irrides, illaq; nugas appellas. Neque miror cùm maiores tui, à quibus disciplinam cum impietate hausisti, grauioribus contumelijs omnes Ecclesiæ ritus insectentur. Nam lustralis aquæ usum quidam ab Idolorum cultoribus, quidam à Iudæorum obsoletis iam & antiquatis ceremonijs profectum esse dicunt: alij anilem superstitionem, alij uerò impiam & sacrilegam profanationem uocant; nullumq; tantum conuitium possunt excogitare, quod in hanc benedictam aquam sanctis Patribus olim admodum uenerandam, non iaciant.

Palladius Historia lausiacæ.

Quod cùm legerem, uenit mihi in mentem quod Palladius uetustissimus scriptor de Machario Aegyptio, uiro sua ætate planè diuino refert. adquem cum deferretur mulier, non minus singulari castimonia quàm forma ægregia, quam æquæ speciem præ se ferre tam eius uir, quàm qui aderant, omnes falso arbitrabantur (ita enim erant præstigiatoris cuiusdam nefarijs artibus oculorum omnium acies perstrictæ, ut ueram mulieris formam cernere non possent; non sine magno uitæ castissimæ mulieris discrimine) Macharius uir sanctissimus fusis ad Deum precibus, lustralem aquam mulieris capiti infudit, atque subitò elusio omnis, quæ astantium oculos occupauerat, euanuit, & ueram mulieris formam conspicere potuerunt. Cum uerò eiusdem dæmonis industria, Lutheri, autē Caluini, Kemnicij, cæterorumq; huius factionis hominum opera, eorum, qui ab Ecclesia Romana discesserunt, oculi sint tetra caligine circūfusi, ne pulcherrimam ueritatis faciem possint intueri, huius aquæ sanctissimæ, atque eorum omnium, in quibus aliquid diuinæ uirtutis inest, Ecclesiæq; totius auctoritatem demoliri, & labefactare conātur, ne aliquando diuini spiritus afflatu (qui ijs, qui Ecclesiastica mysteria religiosè colūt, prestò adesse solet) tenebris fugatis, clarā & apertā ueritatis lucē cōspicere, & in quātis fuerint tenebris uersati, cōtemplari liberè possint. Quātis uerò miraculis Deus Opt. Max. huius aquæ uim & uirtutem ostenderit, latêre certè, Kemnici, te non potuisset, si antiquitatis monimenta, quorum egregiam quandam cognitionem præteferre conaris, nullo præiudicio deprauatus euoluisses.

Neque

Neq; enim poteris ignorare, amplissimum Iouis templum, quod in Apamenorum urbe olim fuit admodum celebre, nulla uerò ignis ui aut humanis artibus euerti poterat, D. Marcelli eiusdem ciuitatis Episcopi precibus, & lustralis aquæ uirtute, igne, qui dæmonis opera extinguebatur, uehementissimè accenso, tandem ad exustionem usque conflagrasse, dæmone (ut Theodoretus ait) aquæ uim non ferente. Perlege Beati Malachiæ Episcopi res gestas à Diuo Bernardo conscriptas, & huius sacræ aquæ uim multis prodigijs confirmatam facilè cernes. cuius non minora sunt testimonia apud Diuum Gregorium, quæ recensere esset infinitum. Quæ uerò cœlestibus sunt prodigijs confirmata, falsitatis aut impietatis aliquid continere, ille solus existimabit, qui Deum mendacij arguere non ueretur. Quocirca in Concilio Nannetensi statutum fuit, ut omnibus diebus dominicis quisque presbyter in sua Ecclesia ante missarum solennia aquam benedictam faceret in uase mundo, & tanto mysterio conueniēti, de qua populus intrās Eccl. aspergeretur; & atrium eiusdē Ecclesiæ cum crucibus circumeundo similiter aspergeretur, et pro animabus ibidem quiescētibus oraret, & qui uellet, in uasculis suis acciperet ex ipsa aqua, & per mansiones & agros & uineas, super pecora quoque sua, atque super pabula eorum, nec non super cibos & potum suum consperegeret. Quare iure optimo piorum est omnium mentibus infixum, ea omnia, quæ Ecclesia benedicere aut religiosa facere solet, illis esse uirtutibus & dotibus abundè exornata, quas Ecclesia precibus à Deo

Theodoret. hist. Ecclesiastica lib. 5. c. 21.

Bernard. de uita Malachiæ.

Grego. lib. 1. dialogorū.

postulare

postulare solita est. Cùm enim Christus receperit, ea omnia nos certissimè esse impetraturos, quæ à Deo orantes efflagitaremus, qui preces cōmuni Ecclesiæ consensu fusas, irritas ac uanas arbitratur, magnæ profectò falsitatis Christum arguit. Quare cùm Ecclesia Deum precetur, ut uirtutem aquæ infundat, quæ animi & corporis morbos sanare possit, corporis uerò ægritudinibus mederi, cùm ex Ecclesiæ annalibus, tum ex multarum rerum experiētia abundè acceperimus, dubitare sanè nemo poterit, ad mūdandum etiam animam, non minus uirium momentique habere. Neque enim postulari solùm, sed expectari etiam à se omnia Christus uult. Quam lustralis aquæ uirtutem Alexander Quartus à Petro Romanus Pon. satis abundè explicauit. Ab Apostolis uerò fuisse hanc cùm benedicendi aquæ rationem, tum uirtutis illius persuasionem profectam, tradit Clemens Romanus, qui ait, Apostolicos illos uiros in gratiarum actione, de aqua & oleo, diuinam potētiam fuisse precatos, ut illis uirtutem donaret sanitatis effectricem, ægritudinum expultricem, dæmonum fugatricem, omnibusque insidijs aduersariam. Quæ si nunquam Ecclesiæ preces impetrarunt, nihil profectò illius auctoritatem iminuere, aut decorem obscurare magis potest, quàm illam precandi rationem à principio excogitasse, & conseruasse perpetuò, quæ inanis esset, & uacua, nihilque à Deo exorare unquam potuisset. Quod si cogitare impium est, Ecclesiæ certè preces nos admonent uirtutum omnium, quæ rebus ab illa sacratis diuinitus infigguntur. Quare minimè mirum esse debet, aquam lustralem

Clemens Rom. constitut. Apostolicarum lib. 8. c. 35.

lem ad peccata uenialia delenda plurimum momenti habere: non quidem quòd mentem contingat, & eius sordes ui sua abluat, ut sacramenta efficere solent; sed quia diuina uirtus in illa impressa, mentem ad Deum illa ratione piè & religiosè colendum excitat, atque elicit. Quos pios & ardentes animi motus peccata uenialia delere demonstrauimus, quia pœnitentiam, quam uirtualem uocant, connexam habent, & colligatam. Quod D. Thomas satis apertè ijs uerbis docuit, Omnia ista causant remissionẽ uenialium peccatorum, in quantum inclinant animam ad motum pœnitentiæ, qui est detestatio peccatorum, uel implicitè, uel explicitè. Quòd si hæc sanctificata aqua, ac reliqua, quæ ab Ecclesia benedicũtur, suis destituantur effectibus, magis id est quidẽ animi languori & desidiæ fidelium, quàm cœlestis uirtutis imbecillitati tribuendum. Ex quibus etiã est rationibus, quòd nostrûm plurimi ijs carent prærogatiuis, quæ Christus iamiam ad cœlos ascensurus omnibus in se credentibus promisit. Neque enim puto negabis, Kemnici, apud uos, qui integram euangelj disciplinam uobis falsò arrogatis, tum neminem esse, qui dæmonum cruciatibus corpora liberet, qui ægros diuina uirtutẽ sanet, qui serpentes expellat, atque tutò uenena ebibere possit, alijsque sit honoris insignibus exornatus, quæ Christianis hominibus promisit Christus; tũ uerò horum defectionem magis esse uestræ culpæ quàm fidei infirmitati tribuendam. Quæ si aduertisses, nunquàm profectò in Ecclesiam tam fuisses contumeliosus, & in sanctissimum Thomam procax, & iniuriosus. qui etsi

Tertia p. q. 87. art. 3. ad pri.

iram effugere nullo modo poterit. Colonienses uerò, etsi peccatorum uenialium fœditatem non tantopere amplificent, ut æternis cruciatibus dignam esse arbitrentur, non tamen ita extenuant, quin aliquo cruciatuum genere plectēdā esse ducant, quare qui uenialibus sunt culpis contaminati, maledicti dici nō secus possunt, ac illi, qui mortalibus sunt sceleribus inquinati; quanquàm non par maledictio utrosque inuadat. Si enim uenialibus tantùm maculis turpificatus de uita quis decesserit, non prius sanè sempiterna felicitate perfructur, quàm illa maledictio ultricibus Purgatorij ignis flammis expietur. In eos uerò, qui mortiferis sceleribus fœdati mortē obierint, sempiterna maledictio, hoc est, nunquàm interitura supplicia, sunt constituta. Nam sicut crimina paria non sunt, ita nec par maledictio esse potest.

AT inquis D. Iacobus Apostolus loquens de peccato in se, & sua natura considerato, dicit, Qui delinquit in uno, factus est omnium reus. Principiò magnas tibi gratias ago, Kemnici, quòd Epistolæ D. Iacobi auctoritatem (ut par est) nobis integram conseruasti. erit enim iam inde sumendi argumenta nobis liberior potestas. sed aduerte, D. Iacobum de præcepto charitatis sermonem facere, quod unum qui uiolauerit, omnium reum fieri ait. siquidē legis perfectio, est dilectio, omniaq; diuinæ legis instituta in hoc uerbo instaurantur. Diliges proximum tuum sicut te ipsum quod ex orationis serie apertè constat. Cum enim illos arguat Iacobus, qui plus diuitum quàm pauperum personæ deferunt, ait, Si tamen le- *Iacob. c. 2.*

gem perficitis Regalem secundum scripturas, Diliges proximum tuum sicut te ipsum: benefacitis. si autem personam accipitis, peccatum operamini, redarguti à lege tanquàm transgressores. quicunque enim totam legem seruauerit, offendat autem in uno, factus est omnium reus. Illud uerò unum, præceptum est sanè dilectionis proximorum, quo qui ducitur, in diuitũ obseruantia, præclarè fecisse dixit, in personarum uerò acceptione uiolatur. Quam etiam interpretandi rationem sequitur Primasius egregius Aug. auditor, quam ait esse doctorum omnium sententiam. Cum uerò peccata uenialia charitati minimè aduersari, abundè paulò antea demonstrauimus, neque ille sanè præceptorum omnium transgressor dici potest, qui uenialiter tantùm peccauerit. qui uerò uni co peccato mortali contaminatus è uita excesserit, non secus sempiterna illa felicitate perpetuò excidet, quàm si omnium esset flagitiorum reus, diuinamque legem uniuersam conculcasset.

Primasius in Epist. ad Gal. c. 3.

OBIICIS nobis demum, Christum ipsum, quem dicis *Matth. c. 5. reprehendere planè similem distinctionem Pharisæorum, qui fingebant, quædam mandata legis esse magna, quædam uerò minima, quorum transgressio per se leuis sit, non obnoxia iudicio & iræ Dei, etiam si Deus cum illis in iudicium intret. Quàm grauiter uerò Christus intonet, de minimis apicibus legis, manifestum esse* ais. Vnde concludis, Coloniensium de peccatis uenialibus doctrinam Christo planè repugnare.

LEGI equidem quàm maximè potui diligenter 5. illud c. Matth. neque potui quidquàm offendere, quod aut illam, quam fingis, Pharisæorum reprehensionem præ se ferre, aut Coloniẽsium senten

tiam

tiam oppugnare aliquo modo uideretur. Nam quæ de minimis ac maximis legis præceptis Christus tradit, non modò reprehensionem non continent, ut ais, sed satis apertè indicant, quasdam Dei leges alijs longè præstare, quia quasi perfectionem & absolutionem Christianæ uitæ demonstrant. Quòd si D. Aug. ut par est, credas, tibi sanè perspectum erit, & exploratum, quàm longissimè à Christi mente aberrare eos, à quibus argumentationem illam hausisti. Is enim sæpe tradit, illa præcepta à Christo appellari minima, quæ sola Pharisæi obseruanda esse putabant, nempe, Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, & alia eiusmodi, quæ in lege Mosi data explicatè continentur. minima autem à Christo dici, quia si cum eorum, quæ ipse eno datius docuit, perfectione conferantur, tantò minora esse uidebuntur, quantò minus est manum quàm cor comprimere; externas corporis actiones, quàm celeres animi motus cohibere, & retardare. Nam Mosaicæ legi, Christi disciplina, in eo longè multumque præstat, quòd illa in externa iustitia, hæc uerò in animo uirtutibus informando, & cupiditatibus compescendis, potissimùm posita est. Cum uerò omnis, qui cœlesti illa felicitate fruitur, magnus dici iurè debeat, illos, qui hæc minima legis præcepta soluūt, et sic docēt, ideò minimos ī regno cœlorū appellari Augustinus affirmat, quia ut contempti & abiecti à cœlestibus illis sedibus perpetuò exulent, necesse est. Quæ quantum ualeant ad Coloniensium uerissimam sententiam oppugnandā, tu ipse iudica.

Aug. de serm. Domini in monte c. 17. 18.

QVOD si aliam interpretandi rationē sequi ma-

lueris, atque, minima illa præcepta à Christo appellari existimas, quæ Pharisæorum uulgus leuiora iudicabat, Christi certè mens alia esse non potest, quã demõstrare, se minimè ueterẽ legẽ uelle abrogare, sed perficere, non tollere, sed perpolire, & deformitatem illam, quam Pharisæorum hypochrisi cõtraxerat, abstergere. quod apertè illis uerbis significauit, Nulla ratione patiar, ut iota unũ, aut unus apex de lege, quã per Mosen Deus docuit, pereat, sed illam tantoperè locupletabo, ac perficiam, ut nisi abundauerit iustitia uestra plusquàm scribarum, & Pharisæorum, qui solam externam iustitiam, & quæ oculis cerni potest, magnifaciebant, non intrabitis in regnum cœlorum. Vera enim iustitia, quàm Christus docuit, in animo potissimùm sita est, magisque est diuino iudicio, quàm humano ingenio metiẽda. Quare cum ait, Qui soluerit unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur in regno cœlorum. nonquidem inficiatur, quædam esse legis præcepta alijs maiora, cùm id ab ordine serieque orationis ualde abhorreat, sed Christianæ disciplinæ perfectionem mirabiliter amplificat, quæ tantam requirit in euangelij doctoribus morum integritatem, ut qui uel unam ex minimis illis legibus, quas docẽdas suscepit, uiolauerit, minimus in regno cœlorum habeatur. Singulari enim quodam uirtutis splendore cæteris omnibus ij antecellant necesse est, qui doctorum munere perfunguntur, atque omnem curam & operam collocare debent, ut quam uerbis docent legem, moribus mirabiliter exprimant. Nam qui soluerit unum de Christi mandatis uel minimis, & sic

hoc

hoc est, illa culpa inquinatus homines docuerit, nō erit quidem ea gloria & splendore dignus, qui ueris Euangelij doctoribus debetur, sed minimus uocabitur in Regno cœlorum. At qui fecerit, & docuerit, uitaque ipsa, quoad eius fieri poterit, diuinæ legi, quam docet, omni ex parte, responderit, magnus uocabitur in Regno cœlorum. Quæ quàm parum faciāt ad Coloniensium de peccatis uenialibus doctrinam euertendam, omnes iudicent sani.

R. D.

DIEGHI PAYVA ANDRADII LVSITANI, ORTHODOXARVM EXPLICATIONVM LIBER QVARTVS.

De Libero Arbitrio.



ON eram neſcius, cùm hanc de libero arbitrio diſputationem inſtituiſſem, illam in præcipuis eſſe huius temporis controuerſiis, atque ad animos pietate, & religione informandos, in primis neceſſariam. Nam ſi ignoremus, unde potiſſimùm noſtra ſalus pendeat, an ſcilicet in ſolo Dei patrocinio collocata ſit, & in ſola ipſius miſericordia ita ſit nobis conquieſcendum, ut nec nobis tribuere quidquam debeamus, nec in noſtra ſit poteſtate quidpiam conſtitutum, fieri certè non poterit, quin infinitis miſerijs inuoluamur, & ueluti portus ignari, aduerſa tempeſtate iactemur, & quaſi fluctibus obruamur. Sed quoniam ſolùm cõſtitui Kemnicij maledictis reſpõdere, quæ me ſæpius cogunt longius quàm cõſtitueram digredi, hac certè in quæſtione breuior eſſe, quàm rei dignitas poſtulabat, coactus ſum; tum quia, quæ hîc Kemnicius reprehendit, magna ex parte à nobis diſputata ſunt in ſexto Axiomate de Peccato; tum quia ſex axiomata, quæ ab illo hîc exagitantur, Verbis

inter

inter se tantùm diuersa, idem sanè re ipsa continent. Quare non esse singula persequenda existimaui, sed ita rerum capita explicanda, ut quæ maximè ad rem facerent, non fuisse à nobis prætermissa uideantur. illas enim tantùm quæstiones ingredi, in quas illius nos calumniæ traxerint, in animum induxi meum.

SED quoniam tota ipsius disputatio uersatur in accusando societatem Iesu Pelagianismi, *quam eo solo miraculo* (inquit) *cæteris hominibus præstare, atque canonizari uoluisse, quòd Pelagium ab inferis nunc demum post tot sæcula excitauerit, in uitamq; reuocauerit*, facturum me operæprecium existimaui, si paucis aperiam summam opinionum, cùm Pelagij tùm Lutheri, quam Colonienses Patres euertere conati sunt, atque unà explicem Coloniensium de libero arbitrio sententiam, quibus inter se collatis, facilius pateat, quàm absit à Pelagianismo sanctissima Iesu societas; Kemnicij uerò calumniæ coerceantur, atque quæ illius dictis uanitatis plenissimis fides debeatur, sit oĩbus abundè notum & exploratum.

Pelagij de libero arbitrio impia sẽtentia.

INTER reliquas Pelagij delirationes fuit non minima, quòd tam acerbum bellum cum Christi gratia suscepit, humanæ autem naturæ tantopere fuit assentatus, ut dictitaret, humanam naturam, atque uoluntatem tam esse potentem, ut omnia diuina præcepta posset, diuina ope destituta, non minus præstare modò, quàm in ipso naturæ flore, cum nondum illius uires funesta peccati labe debilitatæ fuerant, atque confractæ. Neque tam horrendã stragem primum illud scelus in omnibus naturæ partibus ediderat. Nam etsi peccandi consuetudine usque

quę adeò uoluntatem torpere Pelagius existimaret; ut uirtutum actiones iniucundas ualde & molestas redderet, minimè tamen confitebatur, liberi arbitrij uim ita protritam esse, quin si uires colligere uoluisset, omnem illam molestiam superare, carnis lasciuientis motus comprimere, atque omnia præclara opera edere per se ipsum posset, quãuis omnibus esset diuinæ gratiæ opibus atq; auxilijs destitutum: Ad illam etiam uitæ integritatem, innocentiæque præstantiam peruenire quemuis posse docebat, ut si tota liberi arbitrij ui cupiditates refrenare, atque comprimere conaretur, nullis omnino cupiditatem stimulis tandemque agitaretur, sed ueram ἀπάθειαν, hoc est, affectuum omnium uacuitatem consequeretur. de qua librum scripsisse Euagrium Ponticum Hyperbioritã pelagianum tradit D. Hieronymus. in Epist. ad Ctesiphontem. Ne uerò diuinam gratiam abijcere prorsus, atque contemnere Pelagius uideretur, necessariam esse dixit, ut perfectæ uirtutis uiam demonstraret, legesque præscriberet, à quibus discedere nefarium esset, & sceleratum. Quia uerò multorum fuit oratione increpatus (ut D. Aug. auctor est) quòd ad Dei legem obseruandam, nihil ipsius gratiæ auxilijs tribuere uideretur, quam esse ad omnia præclara opera in primis necessariam, sacræ literæ frequenter tradunt, respondit, esse quidem Dei gratiam eatenus necessariam, ut quæ facere per liberum arbitrium iubemur, promptius & facilius Dei gratia roborati præstare possimus, atque ita orationem temperabat, ut diuinam gratiam quam commendare uidebatur, libero arbitrio non modò

Hier. ad Ctesiphontem.

Aug. lib. de hæresi. hæresi. 8.

modò non præferret, sed callidè, & ueteratoriè posthaberet; atque satis esse naturæ dona, quæ cum libero arbitrio indissolubili uinculo constricta sunt, & colligata; ad omnia excellentissima opera facienda uniuersaque peccata declinanda dictitaret; usque adeò, ut quiuis si modò uellet ἀναμάρτητος esse, hoc est, omnibus peccatis carere prorsus posset. cuius uocis intolerabilem arrogantiam, cùm orientis Ecclesiæ ferre nullo modo possent, callidè & ueteratoriè, ut auctor est D. Hierony. simulabat, non audere hominem unica & simplici uoce ἀναμάρτητον dicere, sine peccatis uerò esse, superbè affirmabat.

In epist. ad Ctesiphontem.

AB hac incredibili stultitia cùm longissimè abscedere Lutherus uellet, alia non minori insania aut uerius stupore oppressus est. Neque enim ad uirtutum solùm officia arbitrij libertatem necessariam esse denegauit (quod Caluinus multique huius factionis homines faciunt) sed illam prorsus sustulit, remque dixit esse (ut ille balbutit) de solo titulo. cum enim arbitraretur, nihil posse ab homine ulla ratione fieri non turpe & sceleratum, satis uidit, liberum illud arbitrium dici non posse, quod in alteram tantùm partem ualet, illamque peiorem. Quare ne uestigium quidem in nobis liberi arbitrij post peccatum extare existimauit: usque adeò, ut ne mali quidquam per se ipsum facere illud posse dictitaret. assiduis enim ac domesticis suis furijs incitatus affirmabat, nulla esse tam horrẽda scelera, nulla tam indigna facinora, quæ Deus ipse in impijs non operaretur: quippe qui nulla sunt libertate exornati, sed ueluti stipites quidam ac saxa, nec sese loco mo-

Lutheri de libero arbi. insana sententia.

uere, neque eorum, ad quæ natura inclinat, quidquam agere ualeant, nisi peculiari Dei impulsione pellantur, atque agitentur. In quâ sententia cùm Philippus Melanchthon, impietatum omnium hac nostra ætate quasi primipilus, aliquando fuisset, rei indignitate demum exterritus, sententiam mutauit in locis communibus Anno 1552. editis, esseque hanc Lutheri amentiam cum Manicheorum impietate ualde coniunctam, asseruit.

Colonienſium de libero arb. uera ſententia.

COLONIENSES uerò totius catholicæ Ecclesiæ & omnium sanctorum patrum fidem sequuti, docent quidem contra Lutherum, esse in nobis uerè liberum arbitrium; non modò quo annuente omnibus nos sceleribus inquinamus, sed sine cuius consensu neque Dei gratia exornari, nec boni quidquã agere integræ ætatis homines possunt. Ne uerò ad Pelagij errorem deflectere aliquò modo uiderentur apertè ac planè confitentur, ita esse uires nostras tenues & infirmas, ut nisi diuina gratia roborentur, nihil perfecti boni, hoc est, quod ad uitam æternam consequendam ualeat, prorsus facere, aut uelle possimus, adeò ut neque oblatam à Deo gratiam ualeamus amplecti, nisi sanctissimi Spiritus ui atque uirtute excitemur. sæpe enim Aug. illas uoces usurpant, gratiam esse nobis necessariam, non solùm ut credamus, sed ut credere uelimus, neque tantùm ut conuerti possimus, sed ut conuertamur. nisi enim potentissima Dei gratia uoluntati nostræ præeat, & præluceat, fieri certè non potest, ut eorum, quæ perfecti boni nomen merentur, quidquam consectari ualeamus. quæ cùm humanam naturam non euertat, sed perficiat,

perficiat; non perdat, sed instauret, & pristinæ dignitati restituat, non quidem liberum arbitrium nobis à natura inditum alligat, illius'ue actionem impedit, aut retardat; sed iacentem erigit, languentem excitat, uiresque suppeditat, ut quæ pulchra sunt, & diuina, ultrò prosequatur, & complectatur. Quare minimè quidem sese mutuò gratia & liberum arbitrium impediunt, ut Pelagius somniabat, sed potius ad idem agendum concurrunt, atque alterum ab altero adiuuatur; cùm gratia uoluntatem erigit, & confirmat; uoluntas uerò Spiritus sancti uocibus auscultat, gratiam amplectitur, & antecedentem illius impulsionem sequitur.

HAEC est, Kemnici, Coloniensium sententia, quam Pelagianismi insimulare nunquàm desinis, omnibusq; Germanis hominibus longa animi prouisione fugiendam esse dictitas. Quæ à Pelagij delirationibus usque adeò abhorret, ut si cum illis diligenter & accuratè conferatur, nulla certè alia defensione opus sit. Quæ enim pugnare inter se magis possunt, quàm existimare, diuinum auxilium esse quidem hominibus utile, minimè uerò necessariũ; & illius necessitatem tantopere extollere, ut ne optare quidem, aut uelle ullum perfectum bonum sine illo possimus? Quæ magis sunt inter se aduersa, quàm humanam naturam ita efferre, ut omnia præclara opera suis tantùm uiribus edere posse, gratiæ aditum aperire, & mentem ad illam suscipiendam disponere dicas; & eandem usque adeò deprimere, & deijcere, ut confitearis, peccati cõtagio ita eneruatam esse, & debilitatam, ut nec oblatam Dei gratiam ample-

xari, nec cogitare quidquam eorum bonorum possit, quæ ad sempiternam fœlicitatem ducunt, nisi diuini Spiritus ui atque uirtute erigatur, atque confirmetur? sed quoniam Coloniensibus, non cum Pelagio, sed cum Luthero res erat, gratiæ quidem necessitaté paucis explicarunt, arbitrij uerò libertatem contra Lutheri amentiam pluribus firmare & stabilire conati sunt. Ignari enim hominis est, in ea re comprobanda plurimùm sudare, de qua aduersarius nunquàm dubitauit. Quam ne ipse notam incurram, in diuina gratia explicanda minimè laborabo, in qua tu extollendam, ultus es; sed paucis demõstrabo, tantã hanc Dei gratiam non euertere arbitrii libertatem, sed demissam & oppressam erigere, & excitare, atque simul cum diuina gratia effectiuè (ut dici solet) adquæ uis præclara opera iustificationemque nostram concurrere.

PRINCIPIO igitur ex his, quæ à nobis hactenus dicta sunt, satis constare puto, quàm perperam controuersiæ huius statum teneas, qui ais, non uersari in quæstione quid liberum arbitrium, diuina gratia erectum & confirmatum possit (*confiteri enim* iniquis *te cum Augustino, agi filios Dei à diuino Spiritu, ut ipsi agant, non ut nihil agant*) *sed quid ipsum ex prima natiuitate à natura sua ualeat in rebus spiritualibus*, hoc est, ut tute ipse interpretaris, *quæ illi sit facultas in hac deprauata natura, ante renouationem Spiritus sancti in rebus ad salutem pertinentibus*. Ac proinde ita Coloniensium uerba interpretaris, ac si de libero arbitrio gratiæ experte ab illis esset sermo institutus, cum illius uim & facultatem efferunt. Quod quantopere ab illorum mente abhorreat, & cum de peccato egimus, explica-

explicauimus copiosè, & hæc ipsorum uerba in eodem, quem tu citas folio 36. apertè indicant. Et sanè (inquiunt) quanuis nos à diuina misericordia pendeamus, quanuis nihil boni operetur fidelis, quod in illo non efficiat Deus, quanuis non solùm gratia conferatur, ut conuerti possimus, sed etiam ut conuertamur, etsi gratia hæc, quæ ad operandum necessaria est, & uelle facit, non sit quæcunque inspiratio aut cogitatio sancta, seu boni propositi suggestio, sed efficax Dei operatio, quanuis hæc omnia uera admittamus, & ex D. Augustino uarijs locis elici posse concedamus, homini tamen semper liberum relinquitur, diuinæ operationi præbere impedimentum, eamque uel amplecti uel etiam repudiare. Hæccine uerba, Kemnici, sunt liberum arbitrium à diuina gratia seiungentium? cum tam auidè inquirebas, quid calumniari posses, non uidisti, quàm enodatè, & apertè Colonienses confiteantur, mentes peccatorũ seruitute oppressas, neque Dei gratiam promereri, neque in illius amicitiam uenire, neque boni, quod ad æternam salutem aliquo modo pertineat, quidquam uelle, aut cogitare ui sua posse? Quare si (ut ais) in quæstionem uocatur, quid solis naturæ uiribus possimus, explicata iam quæstio est, tuaq; hæc omnia axiomata fraudulentam magis interpretationẽ, quã ueram & iustam reprehensionem continent. Inesse tamen mentibus, fœdissimis peccatorum monstris occupatis, liberum arbitrium, ad præclaras actiones suscipiendas, neque ulla scelerum turpitudine deleri illud, aut extingui posse, multis ac magnis rationibus confirmant Colonienses Patres. sed tamen uelu

ti ferreis compedibus ita constrictum, ut ex illis se expedire nullo modo, nisi Dei uirtute possit. Quòd igitur nihil perfecti ac spiritualis boni facere scelerati homines possunt, quandiu eorum mentes flagitiorum sunt maculis coopertæ, non quidem est, quia libera uolũtate carẽt, sed quia adeò illa est peccatorũ laqueis implicata, ac scelerum põdere pressa, ut nec se ab illis extricare, nec emergere ullo modo propria uirtute possit. Non secus ac ligneis soleis deuincti, qui incedendi quidem facultatem habent, etsi ingredi nullo modo possint, ni uincula rumpantur prius, quæ motum reprimũt, ac retardant. Cùm igitur diuinæ gratiæ splendor sceleratis mentibus elucet, non illis quidem iustitiam obtrudit, aut uim ad tanta illa animi ornamenta capescenda affert, sed iacentem uoluntatem erigit, languentemq; excitat, ut iam sui iuris quodãmodo diuina ope facta, diuinæ uocationi respondere, illiusq; gratiam accipere liberè possit, neque quidquam sit, quod libertatem impedire, aut alligare queat.

AT inquis, *minimè dubium esse, animi conuersionem constare nõ posse, quandiu mens ita reluctatur gratiæ, seu Spirituisancto, ut nulla planè fiat applicatio.* Quare homo leuis & inconstans, qui aliud sedens, aliud stans, ut aiunt, sentis, tui ipsius immemor ais, *non quæri quid liberum arbitrium per se ipsum ualeat in rebus ad salutem pertinentibus*, ut principiò asseruisti, *sed quæstionem esse de causa efficiente, unde homo habeat, ut in conuersione non reluctetur, sed applicet se ad gratiam.* Neque obscurè id diuinæ gratiæ ita tribuis, ut libero arbitrio nullum locũ reliquum facias, quod ueluti cœcum, ac stupidum ad iustitiam trahi arbitraris. neque enim liberè ac

sponte

ſponte ſua,ſed quaſi ſaxum quoddam à Deo moueri atque agitari præ te fers exiſtimare. à qua ſententia non modò Colonienſes plurimùm abſunt, ſed cum Conciliorum decretis, D.Auguſtini(cuius auctorita tem nobis paſſim obijcis) iudicio, Eccleſiæq́; totius firma & conſtanti fide ex aduerſo pugnat. Eſt enim communis omnium uox, liberum arbitrium diuina gratia non tolli,ſed perfici; non cogi,ſed incitari,nō opprimi, ſed uires accipere, ut quæ diuina ſunt & cœleſtia,toto animi ardore proſequatur. Quare aper tè confitemur, mentem nefarijs cupiditatibus preſ ſam, & ſcelerum mōſtris occupatam, à miſerādo illo ſtatu reſpirare nunquam poſſe,niſi diuina gratia alli ciatur, & diuino ſpiritu quaſi ſtimulis quibuſdam excitetur. Neque item oblatam ſibi gratiam amplexari, niſi peculiaribus Spiritus ſancti impulſibus adiuuetur, aut (ut tuis utar uerbis) nunquam ſe ad gratiam applicare hominem poſſe, niſi eadem cœle ſtis gratia adiumento ſit. quod tamen non impe dit quidem, quo minus liberum arbitrium ultrò gra tiam apprehendat, ſitq́; illi liberum eam reijcere & aſpernari. Nam cùm Spiritus ſancti potentiſſima mo tio uoluntatem corroboret, ut uelit gratiam amplecti, non quidem noſtram libertatem adimere, ſed perficere uideri debet. Quod D. Paulus diſertis uer bis docuit in epiſtola ad Philippenſes, Deus eſt, inquit, qui operatur in nobis uelle & perficere, pro bo na uoluntate. At quonam modo poterit in nobis operari uelle, quàm excitando animum noſtrum, ut uelit? ita ut animus, qui cœleſtia diuinaque bona ui ſua uelle nullo modo poterat, accedente diuina *Philip. c. 2.*

uirtu-

uirtute, amore illa iam, ac desiderio prosequi ualeat, atque ita liberam naturam, rationisque participem perficit, cùm uires suppeditat, ut ea liberè uelit, quæ antea minimè poterat. Velle enim, ut D. Hieronymus ad Ctesiphontem ait, & currere, meum est: sed ipsum meum sine Dei semper auxilio, non erit meum. Quòd si uoluntas à Deo mota, non ultrò uult, hoc est, non liberè sese ad gratiam applicat, uoluntas certè dici nullo modo potest, cuius in natura ac ratione inest, liberè sese ad quamuis obiectam bonitatis speciem adiungere. Quanuis enim bona, quæ omni ex parte perfecta sunt, & absoluta, neque odio prosequi, neque abiecta habere uoluntas possit, animum tamen ad illa potest non adiungere, neque oblatam sibi felicitatem amore complecti: præsertim quandiu diuinæ pulchritudinis faciem, atque infiniti illius numinis bonitatem, apertè & clarè cernere non licet, quæ ita beatorum mentes occupat, ut illas ad se amandum necessariò rapiat. Quare, qui diuina gratia hominum uoluntates ita ad iustitiam allici putat, ut liberum illis nullo modo sit eam aspernari & respuere, magis quidem iustitiam humanis mentibus à Deo obtrudi, quàm efficere ut illam uelint, existimare uidentur.

philip.c. 2. *Aug. lib. de gratia & libero arbi.c.9.*

Quod quàm repugnet eidem Paulo, satis indicant, quæ paulò superius Philippensibus dixerat, Cum timore (inquit) & tremore uestram salutem operamini. Quando autem iubentur Philippenses, ut operentur, liberum eorum conuenitur arbitrium (ut D. Aug. ait) sed ideò inquit cum timore & tremore, ne sibi tribuendo quod bene operentur, de bonis tanquàm

quàm suis extollantur operibus. quæ suscipere diuinæ gratiæ præsidijs destitutus nemo potest. quæ quò potētiora sunt & firmiora, eò liberius uoluntas, Dei uocibus obtemperat. Quibus accedit præclara illa atque peruulgata magni Dionysij sententia, Dei scilicet prouidentiam ita res omnes gerere & gubernare, ut illorum se naturis & conditionibus blandissimè accomodet, neque naturæ uim ullam inferat. Quare nisi liberas uoluntates ita moueat, ad iustitiāque alliciat, ut libertatem nulla ex parte minuat, nō sanè nobilissimam naturam perficere, sed labefactare, atque deijcere uidetur. Ex quibus manifestum fit, atque testatum, efficientem causam applicationis animi ad gratiā, hoc est, internis Dei uocibus auscultandi, uel ingratè aspernandi, esse tùm gratiam ipsā, tùm liberum arbitrium. Quæ duo nisi simul concurrant, fieri certè non poterit, ut humana mens se toto impetu ad iustitiam adiungat. Nam etsi quædā sint, quæ Deus in nobis nullo nostro consensu accedente efficiat; ut ad se nos uocare, uoluntatem nostram ad iustitiæ amorem excitare, huic tamen gratiæ non repugnare, atque obsistere, sed ad illam se applicare, & admouere, atque diuino beneficio ad se delatam nō repudiare, neq; nostrū liberum arbitriū diuini auxilij expers potest, neque diuina uirtus in nobis facere, libero arbitrio non consentiente, solet. Vnde liquet, ex gratia & libero arbitrio unicam causam conflari nostræ ad iustitiam applicationis. quare à Theologis nostris appositissimè hæc Dei gratia cooperans appellatur, quia unà cum libero arbitrio operatur, ut diuinam gratiam non respuat, sed complectatur.

ſtrã uitiorũ turpitudine ita oppreſsã,ut diuinæ gratiæ opibus deſtituta, ne aſpirare quidẽ ad iuſtitiæ ornamẽta poſſit,cœleſtibus præſidijs magis ac magis roborari,aduenantéq; diuina gratia, perditas uires rẽcuperare, atque perſequi iam illa omnia poſſe, quæ ne optare quidem, paulò ante per ſeipſum poterat. D.enim Paulo auctore, nemo eſt, qui uſurpare Ieſu ſanctiſſimi nomẽ ſine Spiritus ſancti beneficio queat.Quod ipſum D. Auguſtinus apertè docet cùm liberum arbitrium equo comparat in tractato, & indomito, gratiam uerò equiti,qui iumentum domat, & condocefacit. Quare ſicut uniuerſum iter eques feciſſe eò ſolùm dicitur, quia equum moderatus eſt, effecitque, ut iter equus conficeret; itineris tamen labor utrique communis eſt, ita iuſtitiæ uniuerſum iter gratia, & liberum arbitrium unà conficiunt, cum tamen gratia liberum arbitrium ferocitate exultans domet, illudque dirigat, ut Dei uoces audiat, & ſeſe ad illius monita ſponte applicet. Quorſum ſpectant illa Chriſti uerba, ut Irenæus auctor eſt, Quoties uolui congregare filios tuos,quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas ſuas,& noluiſti.Nam ſi noſtra cõuerſio à ſola Dei gratia penderet,& nihil eſſet in noſtra libertate poſitum,fieri certè non poſſet, ut diuina uoluntas humano arbitrio impediretur unquã. uoluntas inquam illa, quam de hominum ſalute mitis, & manſuetus Dominus ſemper habet. Nam quæ animaduertere in eos ſtatuit, qui illius fuerint gratiam aſpernati,impediri certè nullo ingenio aut induſtria poterit. Quod efficit, ut diuina uoluntas inuicta

Aug. lib. 3. Hypognoſticô.

Matth. 23.

perpetuò maneat, quanquàm illius legem sceleratè uiolemus, gratiam repudiemus, studia nefariè contemnamus. ut scitè admodum docet D. August. Innumera sunt, Kemnici, sacrarum literarum testimonia, quæ in nostra potestate nostram salutem positam esse docent. Vt uerò cætera taceam, Dei illa uerba apud Iesaiam paulò accuratius considera, Si uolueritis, & audieritis me, bona terræ comeditis. Quod si nolueritis, & me ad iracundiam prouocaueritis, gladius deuorabit uos, quia os Domini locutum est. Si accedente diuina gratia, sine qua neque cogitare quidquam boni possumus, ita libertas nostra ligatur, ac constringitur, ut nec diuinæ uocationi possimus non parêre, nec gratiam ullo modo repudiare, quid hac Iesaiæ oratione esse potest fucatius? quid magis simulatum ac fallax? Si in ijs, quæ ad animæ salutem spectant, nihil prorsus agimus, nihilque nostrum est, quid hac potest esse comminatione ineptius? Quocirca Deus Optim. Maxim. Caino ægerrimè ferenti diuini amoris erga fratrem significationem, apertè indicauit sibimet potius quàm innocenti fratri irasci, & succensere debuisse, quippe quia penès suam esset uoluntatem, aut diuinis beneficijs augeri, aut ultionem miserè experiri. Non'ne (inquit) si bene egeris, recipies, sin malè ecce ad fores peccatum (hoc est supplicium peccatis debitum) aderit? sed sub te est, uel potius (ut Hebræa uerba sonant) penès te est, & à te pendet, appetitus eius, & tu dominaberis in illum, ut neque admitti ullum scelus, nisi tua sponte, ne-

Aug. lib. de spiritu et litera c. 33.

Iesaiæ. c. 1.

Gen. c. 4.

te, neque animo conceptum uitari, sine tua uoluntate possit. Prætermitto regium uatem Dauidem crebrò asserentem, omnia religionis ac pietatis officia à se suscepta, uoluntaria fuisse, & quàm maximè spontanea, Voluntaria (inquit) oris mei bene placita fac Domine. & haud multò pòst, Inclinaui cor meum ad faciendas iustificationes tuas, propter retributionem. Qui uerò nihil planè operatur in sua conuersione, non quidem seipsum inclinasse ad parendum diuinæ uoluntati, sed impulsus potius dicendus est. Quocirca Concilium Arausicanum contra Pelagij delirationes coactum, ita diuinam gratiam effert, ut liberi arbitrij functionem non tollat, sed omnia bona, quæ agimus, Deum inquit, in nobis atque nobiscum, ut operemur, operari. neque consensum nostrum superfluum, minimeque necessarium ducit, quanuis gratiam arbitretur necessariam, quæ uoluntatem moueat & confirmet, quò Deo uocanti consentiat. Vnde Cœlestinus Pon. summus, gratiam, inquit, præstare, ut bene utamur libero arbitrio. cum quibus conuenit & hoc sacrosanctum Tridentinum Concilium cùm ijs uerbis libertatis nostræ rationem explicat. Siquis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum & excitatum, nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, atque uocanti, quo ad obtinendam iustificationis gratiam se disponat, & præparet; neque posse dissentire si uelit, sed uelut inanime quoddam, nihil omnino agere mereque passiuè se habere, Anathema sit. Quæ cum Ioannis uerbis mirabiliter conuenire arbitror, qui gratiam ac iustitiam, Christi meritis nobis comparatam

Ps. 118.

Conciliũ 2. Arausicanum. c. 9.

Cœlestin. Papa Epist. 1. ad Episcopos Galliæ contra errores Pelagij.

Tri. Cōc. sub Paulo 3. Sess. 6. cā. 4.

bus, ut de cœlo aduentantem gratiam complectantur, ne negligentia euanescat. Quàm mirificè uerò, in hominum iustificatione hæc duo gratia scilicet, & liberum arbitrium conueniant, dilucidè admodum explicat auctor librorum de Vocatione gentium, quos falsò Ambrosio ascribi, apertè indicat disputatio contra Pelagium de industria suscepta, quem Ambrosii ætatem non uidisse, auctor est D. Augustinus contra Iulianum agens. Esse uerò Prosperi Aquitani, & orationis stylus, & antiquissima Vaticani exemplaria testantur. Cum enim de gratiæ opitulatione & necessitate contra Pelagianos agit, inquit. Quòd à multis refutatur (gratiam intellige) ipsorum est nequitiæ; quòd autem à multis suscipitur, & gratiæ est diuinæ, & uoluntatis humanæ. Siue igitur initia, siue profectus fidelium, siue usque in finem perseuerantium cogitemus genus, nulla species cuiusquam uirtutis occurret, quæ uel sine dono diuinæ gratiæ, uel sine consensu nostræ uoluntatis habeatur. ipsa enim gratia hoc omni genere medendi, atque auxiliandi agit, ut in eo quem uocat, optimam sibi receptricem & famulam donorum suorum præparet uoluntatem. Et paucis interiectis, addit, Cùm timor Domini per quandam uim magni terroris immittitur, non ibi ratio extinguitur, nec intellectus aufertur, sed illa potius, quæ mentem premebat, caligo discutitur, ut uoluntas deprauata prius, atque captiua, recta efficiatur, & libera. Vnde sicut animus nihil uirtutis capit, nisi radium ueri acceperit luminis; ita gratia nihil ei, quem uocat, confert, nisi oculos in eo aperuerit uoluntatis.

Aug. contra Iulianũ lib. 2.

Prosp. de uocatione gentiũ lib. 2. c. 9

dem sodalitij monachos, qui tua hac ignoratione occupati erant, scriptum; quibus luculenter probat, fidei catholicæ illos aduersari, qui uel inficiātur liberũ arbitrium ad malum & bonum plurimùm ualere, uel illi tantùm tribuunt, ut sine Dei gratia aliquam uim habere arbitrentur, quo uel à peccatorum fœditate resipiscat, uel in uirtutum studijs progressus aliquos faciat. Quod persuadet præclara illa Solomonis sententia, Dirige semitas pedibus tuis, & omnes uiæ tuæ stabilientur, ne declines ad dextram nec ad sinistram. Auerte pedem tuum à malo. uias enim, quæ à dextris sunt, nouit Dominus, peruersæ uerò sunt, quæ à sinistris sunt, ipse autem rectos faciet cursus tuos, itinera autem tua in pace producet. Si nanque in nostra libertate nulla salutis nostræ particula posita esset, nunquàm profectò nos Solomon, ut iustitiæ præclaras uias ingrederemur, tantopere adhortaretur. Diuinorum uerò auxiliorum necessitatem apertè demõstrat, cùm illorum certissima spe torpentes animos permulcet, & allicit. Probat uerò Augustinus multis diuinarum scripturarum testimonijs, uoluntatem gratia iuuari, ne frustrà tam multæ leges illi à Deo imponantur; quippe quia sine gratia torpet, qua tamen, si fuerit exornata, præclarè omnia præstare poterit. Quæ uberius ac fusius alibi disputat, cuius hæc uerba paulò accuratius expēde, Cùm ista cõmemoramus (gratiæ uires intellige) quibus nos Deus ad se trahit, non quidem arbitrium uoluntatis tollimus, sed Dei gratiam prædicamus. Cui enim prosũt ista, nisi uolenti? sed humiliter uolenti, non se de uoluntatis uiribus, tanquàm ad perfectionem iustitiæ

Prouer. c. 4.

Aug. lib. de gratia & libe. arb. c. 4.

Aug. lib. de natura et gratia. c. 33.

sola sufficiant, extollentibus. explicans uerò uerba illa Ioannis, & omnis qui habet hanc spem sanctificat, siue, ut Aug. legit, castificat se ipsum, sicut & ipse sanctus est, ait. Videte quemadmodum non abstulit liberum arbitrium, ut diceret castificat se ipsum. Quis nos castificat, nisi Deus? sed Deus te nolentem non castificat, ergo quòd adiungis uoluntatem tuam Deo, castificas te ipsum; castificas te, nõ de te, sed de illo, qui uenit ut habitet in te. tamen quia agis aliquid uoluntate, ideò & tibi aliquid tributum est, ut dicas sicut in Psal. Adiutor meus esto, ne derelinquas me. si Deus adiutor meus est, aliquid certè agis: nam si nihil agis, quõ ille adiuuat? Hæc Augustinus. sed quid moror in Augustini de libero arbitrio testimonijs recẽsendis? qui contra Pelagianos ita gratiæ usũ ac uires passim demõstrat, ut arbitrij necessarias operas spernari atq; respuere nunquã audeat. Ita nostram iustificationẽ diuinæ gratiæ maximè tribuit, ut uoluntatis consensum, ducat etiam necessarium, ita liberi arbitrii infirmitatem amplificat, ut, illo non cõcurrente, iustificationem compleri nullo modo posse arbitretur. Quare ubi alterum horum desit, nil sanè præclarum effici, aut ab integræ ætatis homine, aut in homine potest. Quod sanè si ad naturæ functiones animum aduertamus, perspicuum magis fiet, & manifestum. Nam etsi rebus omnibus Deus Opt. Max. eas uires facultatesq; suppeditauerit, quibus secundum naturam agere, muneribusque suis fungi commodè possint: ignem enim ui sua calefacere, solem cuncta candentibus radijs illustrare, cœlum ea celeritate contorqueri cernimus, cui par esse

Aug. in prioré epist. Ioannis. c. 4.

Psal. 26.

ſe nulla poſſit: fruges denique, & reliqua quæ terra parit, occulta quadam naturæ ui ac penitus inſita, maturata pubeſcere, intuemur; tamen diuina uirtus rerum omnium functionibus ita aſſidet, ut niſi cum rebus ipſis unà ageret, & continenter illis agendi facultatem ſubminiſtraret, nulla certè ratione munera ſua exequi, nec efficere quidquàm poſſent. Vnde quidam Theologi, & ij quidem magni atque nobiles, ducti ſunt, ut exiſtimarent, nihil res ipſas agere, ſed Deum per ſe ipſum illa omnia præſtare, quæ ſenſibus percipiuntur. neq; enim ignem, ſed Deum aſtante igne exurere arbitrabantur; non aquam refrigerare, non ſolem illuſtrare, ſed Deum ipſum præſente ſole. Quæ opinio tam longè eſt ab intelligentia ſenſuq; diſiuncta, ut ſatis quidem per ſe ipſa quaſi labatur & concidat. Diuina enim uirtus ideò maximè cum natura coniungitur, & ueluti quadam neceſſitate atq; indiſſolubili uinculo conſtringitur, ut illam foueat, tueatur, & operandi potentiam ac facultatem ſuppeditet, atque à diuina uirtute non ſecus pendeat, ac ab ſplendẽte ſole lux. Cùm uerò naturæ opera & actiones cunctas à Deo pendêre dicimus, non quidem naturæ uires frangere, ſed firmare; non actiones impedire, ſed expedire illum exiſtimamus. Nam ſi abeſſet, ne aggredi quidquam aut conari ipſa quidem natura poſſet. Si te igitur, Kemnici, rogem, cùm ligneam materiam conflagrare cernis, quæ ſit conflagrationis illius efficiens cauſa, niſi naturam ſimul cum religione euertere cupis, ignem dicas neceſſe eſt, unà cum Deo naturæ auctore & patrono, qui igni exurendi uirtutem ſuppeditat,

Gabr. 4. ſentent. diſ. 1. q. 1.

tat, & ad operandum cum illo conspirat. cùm igitur liberi nostri arbitrij motio atque ad iustitiam applicatio non magis à Dei gratia pendeat, quàm à diuina uirtute stipitis ista exustio, quid est, quòd liberum arbitrium efficientis causæ nomine & dignitate spolies? pendet quidem iustificatio ipsa, atque uoluntatis ad iustitiam admotio à Dei gratia, fateor, sed cùm diuina gratia iacentem libertatem erigat & cófirmet, uiresque illi addat, quibus oblata iustitiæ ornamenta complecti possit, non secus quidem sui ad gratiam applicationis causa efficiens dicenda est, ac ea, quæ natura constant, earum omnium operationum, ad quæ naturæ impulsione ferũtur. Quare præclarè quidem Colonienses affirmant, liberum arbitrium plurimum momenti habere in rebus ad salutem pertinentibus, non quidem gratia destitutũ, ut Pelagius arbitrabatur, sed diuina gratia abundè exornatum. Eò uerò procacitatis Kemnicius peruẽnit, ut hanc de gratiæ ui Coloniensium sententiam *Pelagij artificium* dicere audeat, *quem* inquit, *gratiam commendare solitum fuisse, ut inuidiá declinaret, et maiori cum fœnore falleret.* At qui Pelagij artes tam probè callet, & in ijs tam est gnauiter exercitatus, ignorare certè non debuisset, Pelagium nunquam usque adeò gratiam prædicasse, ut necessariam esse, atque sine illa nihil à nobis boni aut fieri, aut optari posse arbitraretur. Quod si fecisset, nunquàm profectò tantum in se odij, in Ecclesia uerò dissidij concitasset, neque diuinæ gratiæ tam immanis hostis haberetur: nam etsi perutilem Dei gratiam confiteretur, inesse tamen in ipsa natura uires, cùm ad uniuersa præclara facta suscipienda

pienda, tum ad gratiam promerendam dictitabat; ita enim posse, à uelle, atque ab esse, separabat, ut posse, soli Deo ascriberet, quippequi cùm naturam condidit, suæ creaturæ contulerit, posse omnia bona exequi, ipsámque possibilitatem (ut Pelagij utar uerbis) gratiæ suæ adiuuet semper auxilio. uelle autem, atque esse, hoc est, re ipsa quæ uult præstare, ad hominem ipsum referenda esse censebat, quia de arbitrij fonte illa descendere iudicabat. Quod D. Aug. ita interpretatur, nec uoluntatem nostram, nec actionem diuino credit adiuuari auxilio, sed solam possibilitatem uoluntatis, atque operis, quam solam in ijs tribus nos habere affirmat ex Deo; tanquàm hoc sit infirmum, quod ipse Deus posuit in natura. Cætera uerò duo, quæ nostra esse uoluit, ita sunt firma & fortia, & sibi sufficientia, ut nullo indigeant auxilio. Et ideò non adiuuet ut uelimus, non adiuuet ut agamus, sed tantummodò adiuuet ut uelle & agere ualeamus. Hoc est, Kemnici, de gratiæ necessitate Pelagii iudicium. Colonienses uerò cùm Paulo affirmant, nobis non esse integrum cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis, sed omnem sufficientiam nostram ex Deo esse, diuinoq; auxilio peropus esse, non modò, ut possimus, sed ut uelimus, atque agamus. est enim Deus qui operatur in nobis uelle & perficere. Si enim gratiæ suæ splendorem comprimat, atque fulgentissimos radios occultet, teterrima nocte inuoluamur necesse est, & ad bonum neque niti quidem aut aspirare ulla ratione poterimus: opem uerò infirmitati nostræ diuina gratia adferente, languentem nostram libertatem, incre-

Refert Aug. lib. de gratia Christi.

Aug. de gratia Christi.

2. ad Corint. c. 3.

Philip. c. 2.

dibili firmitate roborat, ut cooperatores Dei esse ualeamus. Quam Coloniensium uerè Euangelicam sententiam, cùm à Pelágiano illo artificio non minus abesse, quàm tuas calumnias à ueritate abhorrere, satis constet, nihil est sanè, quòd in illis coercendis diligentiores simus. Cùm præsertim ea, quæ à nobis hactenus dicta sunt, ad illas omnes machinas, quibus Coloniensium doctrinam quatere, ac euertere, Pelagianismique condemnare conaris, demoliendas satis sufficiant. Illi enim, ut demonstrauimus, nihil prorsus libero hominis arbitrio deferunt, in rebus, quæ ad animæ salutẽ spectãt, nisi gratiæ opibus, diuinisq; muneribus fuerit exornatum. gratiæ uerò nomine, nõ illa sẽper intelligenda est, qua iustificamur, et quæ ipsa iustitia est, sed peculiare quoddam Dei munus atq; auxiliũ, quo mens ad iustitiam incitatur, quæ etiam gratia dicitur, quia gratis datur. Quare nõ est, Kẽnici, quòd eradantur sententiæ illæ ex scriptura, ut per summã audaciã calũniaris. Ipse operatur in nobis uelle & perficere. Nõ sumus sufficiẽtes cogitare, aliquid à nobis, quasi ex nobis. Auferã à uobis cor lapideum, & dabo cor carneum. Gẽtes ambulant in uanitate sensus sui, tenebris habentes obscuratum intellectum, alienum à uia Dei, per ignorãtiam, quæ est in illis, propter cœcitatem cordis ipsorum. Et si quæ sunt aliæ eiusmodi, sed, ut diuina oracula, uenerandæ sunt, & suspiciẽdæ. solùm enim nos admonent infirmitatis nostræ, dum diuina gratia, destituti sumus. incredibilis uerò firmitatis, cum illa copiosè & abundè exornamur: atq; quidquid in nobis est boni, Deo debere referri acceptum, à quo omne datum

datum optimum,& omne donum perfectum descendit. Te autem, quæso Kemnici, memineris omnes, qui arbitrij libertatem, cum gratiæ tanta necessitate, cohærere non posse putant, eò se magis ad Pelagianorum causam adiungere, quò ab illa discedere longius cupiunt; quorum erat axioma (ut auctor est D. Hieronymus) liberum illud arbitrium nō esse, quod alterius ope indiget. Quare si ab illorum impietate tantum animo, quantum oratione significas, abhorres, arbitrii certè libertatē cū excellentissima Christi gratia mirabiliter cohærere dicas necesse est, adeò, ut cum Coloniensibus hac saltim in re consentias. *In epist. ad Ctesiphontem.*

REPREHENDIT rursum Kemnicius Colonienses, quòd eisdē sacrarum literarum testimoniis, eisdéq; argumentis, quibus olim Pelagius, arbitrii libertatem firmandam susceperint. Hæc enim sunt, quinti Axiomatis ipsius uerba, *Ne quid à patre suo Pelagio degenerarent, planè eisdem utuntur testimonijs, eisdemq; argumentis, ad probandam arbitrij libertatem, quibus olim usus est Pelagius. dicunt enim. Si eligere iubemur Deu. 30. est ergo uoluntas in nobis libera.* Et paulò inferius, *Cur cōcionibus, cohortationibus, disputationibus, & id genus alijs medijs mutanda uita consulitur, si in eorum facultate posita non est?* quæ omnia Pelagiana esse probat Kemnicius, ex iis Pelagii uerbis apud Augustinum, Non iuberet Deus, quod sciret ab homine non posse perfici. Quæ si Pelagianam impietatem, Kemnici continent, & Augustinum ipsum, quem huius causæ potissimum patronum sceleratè adoptasti, pari scelere inuoluas necesse est, à quo hæc omnia argumenta Colonienses hauserunt. Nam Valentino & eius sodalitatis fratribus, hoc potissimùm argumento persuadet, *5. Kemnicij Axio.* *Lib. de gratia, et libe. arb. c. 16.* *August. epist. 46.*

runt. audi quo arguméto Aug. agat contra Cœlestium. qui dicit (inquit) fiat cor meum immaculatum, & itinera mea dirige secundum uerbum tuum, & ne dominetur mihi omnis iniquitas, & fiat uoluntas tua sicut in cœlo, & in terra, & ne nos inferas in tentationem, & cætera huiusmodi, quæ commemorare longum est; utique orat, ut præcepta Dei faciat, quæ ut fierent nec iuberentur, si nihil ibi nostra uoluntas ageret, nec oraretur, si sola sufficeret. Sed funesto tu odio in sanctissimam Iesu societatem cœcus atque amens, splendidissimam lucem cernere, nullo modo potuisti. Neque est quòd nobis testimoniorum Augustini legis conseruationem in diuinis beneficijs numerãtis tanquàm immensum aggerem opponas. Nam diuina hæc esse beneficia, libenter confitemur, diuinique numinis dona in omnibus bonis operibus agnoscimus, sed tamen eiusmodi illa esse, quæ libertatem augeant, atque efficiant, ut ea præstare, & uelimus, & ualeamus, certò & constanter affirmamus, confitemurq; cum Augustino, nos mandata seruare posse, si uolumus, sed quia præparatur uoluntas à Domino, ab illoque petendum est, ut tantum uelimus, quantum sufficit, ut uolẽdo faciamus. Certum est enim, nos liberè uelle cũ uolumus, sed is facit, ut uelimus bonum, de quo dictum est, à Domino, gressus hominis dirigentur, & uiam eius uolet. Neque dubitamus ab eodem Augustino docti, liberè nos facere cum faciamus, sed tamen existimamus, illum facere, ut faciamus, præbendo uires efficacissimas uoluntati, qui dixit, Faciam ut in iustificationibus meis ambuletis, & iudicia mea obseruetis & faciatis. Hæc

Aug. lib. de perfect. Iustitiæ.

Aug. de gratia & libe. arb. c. 16.

de gratia & libe. arb.

uerò quis non uideat ita gratiam exaggerare, ut libertatem etiam mirabiliter amplificent?

Ne uerò procacitate aut impudentia cuiquam cõcesſiſſe Kemnicius uideretur, Colonienſes Patres criminis falſi reos facit, quippe qui ijs Auguſtini ſententijs ſuam confirment, quas ipſummet improbaſſe tandẽ, & acriter reprehendiſſe, certò ſciebant. ſunt aũt illæ, uerba Auguſtini lib. de ſpiritu & litera, quæ ſuperius recitauimus, cõſentire ſcilicet uocationi Dei, uel ab illa diſſentire, propriæ uoluntatis eſſe. Apponam autem Kemnicij uerba, ut ipſius tam in confirmando ſua, quàm in refellendo aliena, ſicophantiæ, teſtatæ omnibus relinquantur. *Hoc certè (inquit) manifeſtum eſt, & ipſis Ieſuitis non ignotum, Auguſtinũ illas ſententias, quas ipſi allegant, diſertè & expreſsè retractaſſe de prædeſt. Sanc. lib. 1. c. 2. Dicit enim, ſe erraſſe quòd putarit, gratiam Dei in eo tantùm conſiſtere, quòd Euangelium nobis prædicatur: ut autem prædicato Euangelio conſentiremus, noſtrum proprium, & ex nobis eſſe. & addit, quem errorem quædam opuſcula noſtra continent.* Qui uerò Auguſtini uerba accuratè perpenderit, fieri certè non poterit quin uideat, quàm longè Kemnicius à ſcopo aberret. prætermitto, Auguſtinũ ipſum teſtari, opuſcula ea, quæ errorem illum continent, ante ſuum Epiſcopatum fuiſſe conſcripta, quod tamen Kemnicius ueteratoriè ſubticuit, ne latẽtes doli, atque fallaciæ, quibus miſeros decipere ſolet, detegerentur. Neque enim potuit ignorare, librum de ſpiritu & litera ab Auguſtino ad præclaram Epiſcopi dignitatem iam euecto fuiſſe compoſitum. Quam uerò ſententiam reprehendat Auguſtinus, non obſcurè ſanè conſtare poterit, ſi locum à Kemnicio

nicio citatum de prædestinatione sanctorum, cum 23. c. prioris lib. retractationum conferamus, ubi eadē de re copiosè se egisse affirmat. Eo igitur in loco narrat, se cùm Carthagine uersaretur adhuc presbyter, legereturque à fratribus, qui cum illo erant diligenter, Pauli Epistola ad Romanos, ab illisque rogaretur, ut quæ difficiliora uiderentur, quo ad eius fieri posset, explicaret, illorum tandem precibus uictum fuisse, ut literis mandaret, quæ uerbo antea docuerat. quem librum, inquit, incipere, Sensus hi sunt in Epistola Pauli ad Romanos, qui nunc, Expositio quarundam propositionum in Epistola Pauli ad Romanos, inscribitur. Erat igitur sermo de loco illo Pauli institutus, Cum nondum nati fuissent, neque aliquid egissent boni aut mali, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non ex operibus, sed ex uocante dictum est, quia maior seruiet minori: sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau odio habui. Qua oratione in eas difficultates Augustini sodales dilabebantur, ut arbitrij libertatem illam euertere iudicarent. Quibus Augustinus respondit, præscientia Dei factum esse, ut unum odio alterum amore prosequeretur, quæ nouit etiam de nondum natis, qualis quisque futurus sit. Quod tamen respōsum magis quidem difficultatem augere, quàm extenuare uidebatur. Nam præsefert innuere, in eo, qui nōdum extabat, bona illa opera elegisse Deum, quæ futura esse præcognoscebat, contra Pauli sententiam, qui electionem nullo modo operibus esse ascribendam constanter affirmat. Quare multis Augustinus probat, non præelegisse in nobis Deum præcla

Rom.c.9

Aug. lib. expositionum quarundā prop. in Epist. Pauli ad Rom.c. 9. Tom. 4.

ra opera, quippe quæ ſine charitate ſuſcipi nullo modo poſſunt, quam Spiritus ſancti donum eſſe ſcriptura ipſa frequenter teſtatur; ſed ut ex tanta ſe difficultate expedire poſſet, affirmat, Deum ſolam fidem prælegiſſe, ut ſcilicet quem ſibi crediturum eſſe præcognouit, elegerit, cui Spiritum ſanctum donaret, ut bene operando uitam æternam cõſequeretur, unde concludit, Quòd ergo credimus, noſtrum eſt, quòd autem bonum operamur, illius eſt, qui credentibus in ſe dat Spiritum ſanctum.

Aug. lib. de præde ſtinat. ſan ctor. 1. c. 3. Quam ſententiam poſtquàm Auguſtinus ipſe diligentius expendit, acriter reprehendendam eſſe exiſtimauit, lib. eo de prædeſtinatione ſanctorum, quẽ Kemnicius produxit; quippe quæ nobis fidem ita aſcribebat, ut nullum in ea Dei donum agnoſceret: nam cùm præcognitionem fidei, diuinæ electioni cauſam quodammodo dediſſe arbitraretur, omnis uerò Dei gratia, electionis ſit quaſi effectus, diuinæ certè gratiæ in fide locum nullum reliquum faciebat. Quem ſuum errorem his uerbis explicat, Errabam, putans fidem qua in Deum credimus, non eſſe donum Dei, ſed à nobis eſſe in nobis, & per illam nos impetrare Dei dona, quibus temperanter & iuſtè, & piè uiuimus in hoc ſæculo. Neque enim fidem putabam Dei gratia præueniri, ut per illam nobis daretur, quòd poſceremus utiliter, niſi quia credere non poſſemus niſi præcederet præconium ueritatis: ut autem prædicato nobis Euangelio conſentiremus, noſtrum eſſe proprium, & nobis ex nobis eſſe arbitrabar. Hæc uerò quàm abſint longè ab ijs, quæ Auguſtinus tradit lib. de ſpiritu & litera,

quem Kemnicius reprehendit, satis perspiciet, qui animaduerterit, illum sæpius ibi docere, non modò credere, sed in animũ id inducere, Dei donum esse, neque sine præuenientis gratiæ auxilijs fieri. Cum enim in quæstionem uocet, an fides, qua in Deum credimus, in nostra potestate posita sit, concludit, in nostra quidem potestate illam esse, quia non nisi uolentes credimus, sed sine diuino beneficio haberi nullo modo posse: quæ tamen si te parum mouent, quia fortasse ab ijs uerbis, quæ inimice insectaris, aliquot interiectis capitibus distant, relege, quæso, easdem ipsas Aug. sententias, quas in Coloniensium scriptis reprehendis, & facilè reperies, sensum eundem his uerbis Augustinum explicasse, Et ipsum uelle credere, Deus operatur in homine, & in omnibus misericordia eius præueniet nos. Quæ quantum ab eo errore abhorreant, in quo aliquando is uersatus fuit, & in se ipso acerbè reprehendit, nisi furore cæcus es, uidere facilè poteris. Neque uerò ea solùm ratione Deum operari in nobis, Colonienses existimarunt, quia uerbo nos suo suadet & monet, ut Kemnicius fictè, & fallaciter, dicit, sed potius, quia singulari quadã & eximia gratia mentẽ mouet, ut sese ad Dei uoces accõmodet, oblataq; iustitiæ ornamẽta libenter accipiat. Quod hæc Coloniensium uerba satis apertè indicãt, Gratia hæc, quæ ad operãdũ necessaria est, & uelle facit, non est quæcunq; inspiratio seu cogitatio sancta, seu boni propositi suggestio, sed efficax Dei operatio. Ad Augustini tamen sententiam, quam Kemnicius procacissimè lacerat, explicandam reuertamur.

Aug. de spiritu et litera c. 30. 31.

Nequis

Ne quis uerò existimaret, hæc Dei præclarissima dona, quæ tantopere commendauerat, arbitrij liberta-tem extinguere, atque opprimere, admonuit, nihil diuinæ uocationis beneficium prodesse non consentientibus; consentire uerò, cùm sine arbitrij libertate esse nullo modo possit, propriæ uoluntatis munus appellauit. Cum ijs uerò quàm mirificè cōsentiant, quæ is ipse docet lib. de prædestinatione sanctorum, planè intelliges, si eundem ita seipsum explicantem rēq; edisserētē audieris. Et quod paulò pòst dixi, Nostrum est credere & uelle, illius autem dare credentibus, & uolentibus facultatem bene operandi per Spiritum sanctum, perquem gratia diffunditur in cordibus nostris; uerum est quidem, sed ea regula quòd utrunque ipsius est, quia præparat uoluntatē, & utrunque nostrum, quia non fit nisi uolentibus nobis. Quæ satis ostendunt, hanc Coloniensium causam tam esse cum Aug. causa coniunctam, ut illorum hostis esse nullo modo possit, qui Augustino quoq; bellū non indixerit. Sed quid miror sanctissimam Iesu societatem ab illo acriter & inimicè exagitari, qui nec singulari quadam uitæ innocentia commotus, nec admirāda morum grauitate retardatus, nec insigni Paphuntij sanctimonia cum ueneranda canitie coniuncta deterritus fuit, quo minùs Pelagij prolem, atque posteritatem illum appellaret, eò quòd bonorum initia in hominis uoluntate esse collocata, apud Cassianum dixit? Quod Kemnicius de uoluntate, diuinæ gratiæ opibus destituta interpretatur. Qui uerò totam illam sanctissimi uiri Paphuntij de gratia & libero arbitrio egregiam disputationem ac

Aug. lib. 1. de præ dest. sanc. c. 3.

Cassian. colle. 3.

curatè

curatè legerit, nõ minus à Pelagianiſmo eum, quàm à Chriſtiana ſinceritate Kemnicium abeſſe intelliget. Neque enim parem ullã orationem diuinæ gratiæ amplificãdæ, reperire egregius uir poteſt, frequẽter uerò repetit, omnia quæ ad uirtutum perfectionẽ ſpectant, Deum in nobis incipere & perficere. Vt uerò cæteras ſanctiſſimi uiri ſententias taceam, iudica quæſo Kemnici, an hæc illius uerba cum Pelagiana impietate aliqua ratione conſentiant. Non quidem (inquit) liberum arbitrium, ſed dominus ſoluit compeditos; non noſtra uirtus, ſed Dominus erigit eliſos; non lectionis induſtria, ſed Dominus illuminat cœcos; non noſtra cautio, ſed Dominus cuſtodit aduenas; non noſtra fortitudo, ſed Dominus eleuat, ſiue ſuffulcit omnes, qui corruũt. Hæc autem dicimus non, ut ſtudium noſtrum & laborem atque induſtriã quaſi inaniter & ſuperfluò impendenda uacuemus, ſed ut nouerimus, nos ſine auxilio Dei nec admittere illa poſſe, nec efficaces eſſe noſtros conatus, ad capeſſendum tam immane præmium puritatis, niſi nobis adiutorio Domini, & miſericordia fuerit contributum. Et paulò inferius, Quam ſit igitur ineptum ac ſacrilegum, quidquam de bonis actibus noſtræ induſtriæ, & non Dei gratiæ, uel adiutorio deputare, manifeſtè probatur, Dominica proteſtante ſentẽtia, ſine ſua opitulatione, uel inſpiratione, ſpiritales fructus exhibere neminem poſſe. Omne enim datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendes à patre luminum. Zacharias quoque, Quia ſi quid boni, ipſius eſt, & ſi quid optimum, ab ipſo. Et ideò cõſtanter Beatus Apoſtolus, Quid enim habes

Iaco. c. 1.

1. ad Corint. c. 4.

habes, quod non accepisti? quod si accepisti, quid
Ad cor. c.4. gloriaris quasi non acceperis? Ex quibus satis intelligi potest, Paphuntium non quidem de libero arbitrio diuinis ornamentis nudo, ac uacuo, sed illis mirabiliter aucto atque exaggerato uerba apud Cassianum fecisse, cùm ipsi ad iustitiam comparandam aliquid momēti tribuit. Sed cùm Kemnicius in eorum numero sit, quos in mendacio spes suas collocasse Ie-
Ies. c.28. saias ait, nihil mirum si omnia peruertere & calumniari conetur.

R. DO.

DIEGHI PAYVA ANDRADII LVSITANI, ORTHODOXARVM EXPLICATIONVM LIBER QVINTVS.

De Lege.



RAECLARE quidem Plutarchus existimauit, uix posse quempiam uitiosos, & corruptos mores corrigere, prauisq; animi sui affectibus mederi, qui non sese in spectati alicuius uiri potestatem & disciplinã traderet, cuius imperata faceret, monitis & consilijs pareret, præscriptisq; ab illo legibus religiosè obediret. quippe quia amor & odiũ, unde uitia omnia oriuntur, & cum quibus indissolubili sunt uinculo colligata, ita animum occupant, ut ueritatem intueri nullo modo sinant. Vnde etiam est, ut oporteat eum, qui ex æquo & bono magis, quàm ex libidine omnia iudicare uelit, hisce animi affectionibus, atque perturbationibus maximè liberum esse. Cùm enim animum inducere nemo unquã possit, ut ea amet, quæ intellectus anticipata cognitione non comprobauerit, odiouè prosequatur, quæ præconcepta opinione non execranda ualde, & detestabilia iudicauerit; qui fieri potest, ut qui præiudicatis hisce opinionibus cœcus fuerit, sententiam rectè & legitimè ferat? Cùm igitur Kẽ-

nicius infinito quodã & immani odio in sanctissimã Iesu societatẽ æstuet, mirũ uideri minimẽ debet, si illius dicta omnia nefaria, sacrilega, & impia iudicet, præpostereq; interpretetur; atque nodum (ut aiunt) in cirpo quærat, nec constare sibi ullo modo possit. Tanta enim calumniandi libidine tenetur, ut quasi mente permotus, hac illac oberret, nec antecedentia satis meminerit, nec cõsequentia consideret, eadem sentiens obgamniat, nihil probet, plurima mẽtiatur, adeò ut furere magis, quàm dicere, sæpe uideatur. sed do, Kemnici ueniam, acerbo dolori; Cùm enim uideas, tuas tuorumq; machinationes ad ueram & integram fidem non Germaniæ modò, sed totius Christianæ Reipub. euertendam comparatas, societatis Iesu opera, & industria labefactari; præstigias patefieri, quos multo cum labore ab Ecclesia auulseratis, uobis uerò ac satanæ, in expiabili scelere deuinxeratis, horum inprimis diligentia, in ueræ fidei lucem libertatemq; filiorum Dei uendicari, non potes non præ dolore, insanire, atque omnes copias ad horum hominum auctoritatem euertendam comparare. qua integra, saluos uos esse nõ posse ducitis, sed exitium uestris esse fraudibus allaturam præuidetis. atq; ita superbissimo uos tandem, & importunissimo dominatu pulsos iri arbitramini. Quare cùm rationibus illam imminuere non te posse confidas, crebris saltẽ calumniarum repetitionibus, animum istum tuum exasperatum, & mœrore confectum, explere studes. Quod satis indicant priora ista tua axiomata; quæ ea solùm continent, quæ à te quàm sæpissimè inculcata, à nobis uero, abundè, dum de peccatis ageremus

profligat

profligata sunt. Sed quia in 3. Axiomate potissimum causæ præsidium collocasse uideris, illiusq; inculcãdi finem nunquàm facis, paucis illum euoluam, quã uis aliqua ex parte fuerit à nobis superius explicatum. cuius hæc sunt uerba.

DOCENT *Iesuitæ, esse alia multa, quæ uoce legis quidem non arguuntur, & tamen sunt multò grauiora, & damnabiliora peccata quã illa, quæ legi Dei repugnant, scilicet quæ committuntur contra traditiones humanas, contra receptos abusus, & inueteratos errores.*

Quod inquit scriptũ esse fol. 309. censuræ Coloniens.

QVO in loco, de communione sub utraque specie Colonienses Patres agunt, illorumque hominum sententiam (uerius furorem) refellunt, & coarguunt; qui hanc suscipiendæ sacrosanctæ Eucharistiæ rationem necessariam esse dictitant, multisque ac magnis rationibus ostendunt, quàm sit Ecclesiæ præceptis sanctè, & religiosè obtemperandum; unde concludunt, illos esse ueluti Ethnicos & publicanos habendos, qui Ecclesiæ præscriptione, ab utraque specie sumenda, non retardantur. Quæ Ecclesiæ æquissima lex, quàm nefariè à te inueteratus error, abususque dicatur, cùm de illa agemus, abundè, & copiosè, Deo dante, demonstrabimus. Reliqua uerò Ecclesiastica præcepta, quæ per contemptum humana uocas, non aliter obseruanda esse, quàm diuina; magisq; diuina iussa, quã humana, esse existimãda, satis Christus docuit, cùm se ab ijs contemni testatus est, qui sacerdotes Ecclesiæ suæ præpositos despiciunt; audiri uerò ab illis, qui eorum monitis præceptisque auscultant. Qui uos (inquit) audit, me audit, & qui uos spernit me spernit. Nam cum in lo- *Luc. c. 10*

Ecclesiæ in ferendis legibus diuina auctoritas.

cum suum illos substituerit, ac maximè Petro Romanisque Pont. uniuersalis Ecclesiæ suæ curam commiserit, qui illorum iussa petulanter contemnit, illum sanè despectui potissimum habet, cuius personam sustinēt, ac uicem in uniuerso terrarum orbe gerunt. Cùm enim humanarum rerum status, inconstans maximè sit, & permutabilis, plurimisque, ac maximis uicissitudinibus expositus, illas certè leges tantummodò Christum ferre per se ipsum oportuit, quæ perpetuæ essent, & uariari nullo unquàm casu, aut ratione possent. Vt potè, decem illa præcepta, quæ Decalogi appellamus, & quæ ad sacramentorum uim rationemque pertinent, ac denique ea omnia, quæ in Euangeliorum uolumine continentur. Quæ cùm in ijs rebus, quæ mutationem subire nequaquàm possunt, uersentur, firma certè ac perpetua, esse oportet. quis enim ita esse stupidus ac tardus queat, qui, diuinæ humanæque dilectionis necessitatem inuerti, atque immutari aliquando posse arbitretur? Quis fraudulenta furta & latrocinia, adulteria, stupra, incestus, homicidia, odia, inimicitias, atque denique, cuncta quæ diuina lege prohibentur, licere unquam putabit? Quis Christiana fide & religione imbutus, existimare poterit, sacrum lauacrum, sacrosanctam Eucharistiam, & reliqua noui testamenti sacramenta, inania esse, aut alijs quàm ijs partibus, quæ à Christo instituta sunt, constare aliquando posse? Quæ igitur tam sunt fixa & stabilia, ut cœlo etiam ac terra corruente, nec mutari ulla ex parte, nec antiquari possint, solū Christum habere auctorem & legislatorem potuerunt.

Inter

Inter quæ, unum illud fuit, ut Ecclesiæ suæ prælatos, non secus ac se ipsum audirent, illisque omnibus in rebus obtemperarent, quippe quibus potestatem dedit, ut de ijs rebus, quæ tempore mutari possent, pro temporum, morum, gentium, necessitatumq; uarietate, nunc has, nunc illas leges conderent, quibus & Christianam Rempub. prudenter administrarent, & homines in officio religioneque continerēt. Quæ leges, si illorum à quibus sanciuntur, personam spectemus, humanas quidem esse, non inficiamur; si uerò auctoritatem, diuinæ sanè, ac Christi sunt; cuius personam Ecclesiæ præpositi referunt, & à quo Ro. Pon. integram, perfectam, atque plenā potestatem regendi uniuersam Ecclesiam accepit. quare qui illas conuellit & conculcat, non minùs sanè Christo iniuriam infert, cuius auctoritate institutæ sunt, quàm si leges ab illo latas contemneret, & posthaberet. quod satis indicarunt Apostoli Hierosolymis congregati, ut exortam de legis Mosaicæ necessitate controuersiam sedarent. Nam cum intelligerent, Christianæ Reipub. paci admodum expedire, aliqua ex parte Iudæis morem gerere, ne si Mosaicam legem inanem prorsus, & mortiferam iudicassent, Christianum nomen illis fieret inuidiosum omnino & detestabile, lege iusserunt, ut ijs, quæ idolis immolata fuerant, sanguine, & suffocato, iuxta Iudaicæ gentis instituta, cuncti abstinerent. quod non sibi modò, sed Spiritui sancto etiam, uisum fuisse, planè & confidentissimè asseuerarunt. Quòd si Christi præcepta euoluas, hæc nō solùm instituta ab illo nō fuisse, sed cum cæteris omnibus ueteris legis ritibus abrogata

Act. c. 15.

abrogata esse, & antiquata, ex D. Paulo disces. At cum Christi Ecclesia, & diuinam auctoritatem habeat, ferendi leges temporum necessitati accommodatas, & Spiritus sancti consilio fruatur, patrocinio defendatur, ope præfulciatur, diuinisque ornamentis illustretur, meritò sanè ipsius præcepta, Spiritus sancti oracula habentur, cuius auctoritate atque cōsilio fiunt. Quare non minoris criminis reus est, qui Ecclesiasticas leges uiolauerit, quàm si Christi ore editæ illæ fuissent, ac promulgatæ. Euenire autem sæpe potest, ut maiori scelere īuoluatur, qui illas, quàm qui diuinas leges perfregerit, si præsertim prælatorū despiciētia, legumq; quas sacrosanctas habere oportet, petulanti contemptione feratur: quo fit, ut D. Paulus editas à se leges, Domini mandata appellet. Agatho uerò Pont. summus, omnes apostolicæ sedis sanctiones, non aliter accipiendas esse dicat, quàm si diuini Petri uoce firmatæ essent. Quod apostolicus uir Ignatius aperte significauit, cum Christi interfectores illos appellauit, qui die Dominico aut Sabbato: unico Sabato Pasche excepto, contra Apostolicum decretum ieiunassent. Quod in Iudæorum gratiam factum fuisse, quos hisce quasi lenociniis, ad ueram pietatem & religionem inducere, atque in officio continere Apostoli studebant, quidam non ineptè, meo quidem iudicio, arbitrātur. Quanquàm D. Clemens Petri successor & assiduus auditor Sabatum, inquit, & Dominicum diem non esse ieiunādum, quoniam illud naturæ conditæ est monumentum, hic resurrectionis. Quam legem postquàm Ecclesia antiquari passa est, die tamen Dominico

Prima ad Corinthios c. 14.

Ignatius ad philippenses.

Canon. Apost. 65.

Const. Apostolicarum lib. 7. c. 24.

tanta seueritate ieiunio interdixit, ut satis diuinam eius in ferendis legibus potestatem, declararet. Ita enim habet Concilium Carthaginense, Qui die Dominico studiosè ieiunat, non credatur Catholicus. Et Gangrensis syn. anathemate percellit eos, qui dominicis diebus religionis ergò ieiunassent. Quorum decretorum rationem innuere D. Epiphanius uidetur; nam in uniuersalis Ecclesiæ moribus illud numerans, ait, non decere die dominico ieiunare, quippe quia sancta catholica Ecclesia, omnes dominicas ueluti in delitijs habet, ac proinde & Synaxes eo die mane peragere solet. hoc est, ut mihi quidē uidetur, à ratione ualde alienum esse, cum diem in lacrimis & mœrore (quem cum ieiunio coninnctum esse oportet) consumere, quo Christus Iesus, omniū Dominus ac liberator, uitam sibi nobisq; restituit. mortem enim nostram moriendo destruxit, & uitam resurgendo reparauit. At Melchiades Papa, decreti huius rationem longè diuersā reddit. Ieiunium (inquit) dominicæ diei & quintæ feriæ, nemo debet celebrare, ut inter ieiunium Christianorum & Gentilium, & ueraciter credentium, & infidelium, & hæreticorum, uera & non falsa discretio habeatur. Cū uerò Lucinius quidam D. Hieronymum per literas interrogaret, An esset Christiano homini integrum, sabbato ieiunare, Hieronymus autem perenne, perpetuumq; ieiunium ualde commendaret, addit, Nec hoc dico, quòd dominicis diebus ieiunandum putem, & contextas sexaginta diebus ferias auferā, sed unaquæque prouincia abundet in suo sensu, & præcepta maiorum, leges Apostolicas arbitretur.

Conciliū Carthagin. 4. cā. 64.

Conciliū Gangrē. can. 18.

Epiphanius cōt. hæres. lib. 3. de Copen. doctr. fidei Catholicæ.

Melchiad. Papa Epist. ad Episcop. Hisp.

Hierony. Lucino.

Quæ

Quæ qui inania ac leuia ducit, quantum scelus impietatemque sustineat, apertè quidem docuit D. Ignatius. Nam cùm asserit, Apostolicarum legum uiolatores eos esse, qui Episcopos nō sicut Christum colunt & obseruant, ita Episcopum definit; Quid est Episcopus, nisi omnem principatum, & potestatem omnium illorum tenens, quemadmodum deceat hominem tenere imitatorem Dei factum, secundum uirtutem? Vnde concludit, Qui igitur istis inobediens fuerit, hic sinè Deo omnino erit, & impius, & contemnens Christum, & ordinationem ipsius minorans. Cuius sanctissimi uiri epistolas, etsi tantopere commendet Polycarpus Ioannis Euangelistæ discipulus, & inter egregios felicis illius sæculi uiros martyr clarissimus, ut illarum lectionem animum puritate, uirtutumque omnium ornamentis augere facile posse asserat; centuriarum tamen auctores, qui nihil magis quàm uniuersam sanctorum Patrum auctoritatem labefactare, doctrinamque conspurcare moliuntur, non pudet affirmare, Ignatij temporibus Euangelicam disciplinam obscurari, iam cœpisse. quare inter tēporis illius næuos ennumerant, quòd ignatius Ecclesiasticis legibus plurimum tribuat. Quod satis magno argumento est, illos non tam antiquâm Ecclesiæ fidem instaurare, disciplinamque reuocare, quàm antiquitatis simulatione euertere, atque demoliri uoluisse. Si enim Apostolorum discipulis fidem non habent, si disciplinam, quam ab Apostolis se accepisse sanctissimi uiri affirmant, superstitionibus obscuratā, & obtenebratam ducunt, si fidei propagatoribus, Ecclesiæque amplificatoribus superstiti-

Ignat. Epist. ad Trall.

Polycarpus in Epist. ad Philipp.

Cēt. 2. c. 4. tit. de humanis traditionibus.

ſuperſtitibus, ſi ijs, per quos euangelica diſciplina incorrupta ad nos dimanauit præſentibus, egregios illorum ac præcipuos diſcipulos, puram & integram fidem conſeruare non potuiſſe arbitrantur, quæ maior inſania, aut impudentior audacia excogitari poteſt, quàm confictum à Luthero (ſi Deo placet) euangelium, excogitatamque ab impuriſſimis hominibus diſciplinam, ut ueram & incorruptam obtrudere, ſanctiſſimorumq; hominum ſcriptis omni auctoritate anteferre? At (inquit) omnia ſacrarum literarum trutina examinanda eſſe, illiusq; exquirenda iudicio, à quo, ſi uel tranſuerſum unguem alia diſceſſerint, ut falſa atque notha eſſe abijcienda, Sed quid, quæſo, cum Chriſti uerbis dicentis. Super cathedram Moſis ſederunt ſcribæ & Phariſæi, omnia quæcunque dixerint uobis, ſeruate & facite, ſecundum autem opera illorum nolite facere; dicunt enim & non faciunt. conſentire magis poteſt, quàm Ignatij hæc Colonienſiũq; ſententia? Si nõ ea ſolùm obſeruanda eſſe decernit Chriſtus, quæ Moſes præceperat, ſed illa etiam, quæ ij imperaſſent, qui in Moſis locum ſuccederent; qui Chriſti locum tenẽt, minori eſſe obedientia, atque obſeruantia proſequendos exiſtimabimus? quorum ampliſſimum dignitatis gradum D. Petrus ut ſignificaret, Ananiam dixit atque Saphiram, repentinam, & inſperatam necem ſatis fuiſſe promeritos, quippe quia non hominibus, ſed Deo imponere, atque Spiritui ſancto mentiri cogitaſſent. Cum enim auctoritas, qua Antiſtites Chriſti Eccleſiæ præſunt, non humana ſit, ſed cœleſtis, & planè diuina, Spiritui ſancto iniu-

Matth. c. 23.

Act. 5.

riam inferre is sanè uidetur, qui illorum imperia detrectare, præceptaque contemnere audet. Quare D. Paulus Hebræos hortatur, ut obediant præpositis suis, & illis sponte subiiciantur. Ipsi enim (inquit) peruigilant quasi rationẽ pro animabus uestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes; hoc enim non expedit uobis. Quæ uerba cùm D. Chrysostomus interpretatur, eleganti & ornata oratione exaggerat, quanto in periculo illa Respb. uersetur, quæ Principe ac gubernatore caret: multò tamen in maius & penè extremum discrimen illã uocari putat, quæ Principis & moderatoris præcepta petulãter despicit atq; contemnit. Illa uerò Pau. uerba, Hoc non expedit uobis (præpositorum gemitus intellige) summam Dei uindictam, extremamque in eos ultionem, qui in superiores contumaces sunt, continere, longa & eleganti oratione idem Chrysostomus demonstrat. Quòd si Conciliorum auctoritas, quæ apud pios omnes grauissima semper ac sacrosancta fuit, apud te quidquam ponderis habet, non poteris certè, Kemnici, Ecclesiasticas leges non suspicere & uenerari, quas perpetuò sacra Concilia mirificè cõmendarunt. Illud enim, quod Gangris Paphlagoniæ urbe coactũ fuit, anno à Christo nato, 324. anathematis fulmine eos percussit, qui Ecclesiæ de ieiunio præcepta contempsissent, quæ πλείους λογισμοὺς hoc est, perfectas sententias appellauit. Cuius decreti uerba, quæ tam apud Gratianũ, quàm ĩ prioriuolumine Cõciliorũ à Græcis ualde dissidẽt, ita habent, Si quis eorũ, qui religionis exercitio studẽt, absq; necessitate corporis insolescat, in cõmuniq; tradita

Ad Hebr. 13.

Chrysost. in Epist. ad Hebr. Hom. 34.

Cõcilium Gãgr. cã. 19.

c. si quis corum. 30. dist.

tradita,& ab Eccl. obseruata ieiunia dissoluat, impro bãs apud semetipsũ,& arrogans præcipuã perfectãq; sententiam, Anathema esto. Neque dissimilis lex de Ecclesiasticarum legum uiolatoribus, extat in Concilio apud Lauriacum celebrato, Si quis, inquit, diuinæ legis, præuaricator uel pro manifestis criminibus sanctorum canonum contemptor repertus fuerit, ac sanctorum patrum constitutionibus contradictor, et si monitionibus Episcopalibus obtemperare distulerit, anathematizetur. Cõcilium uerò Carthaginense sub Syluestro primo coactum, Clericos Ecclesiasticorum canonum cõtemptores, honore, Laycos uerò cõmunione priuãdos decernit. In alio item Cõcilio Carthaginensi, lege cautũ fuit, ne ad Episcopalẽ presbiterij'ue dignitatem quis eueheretur, cui nõ prius Conciliorum decreta diligenter fuissent explicata, ne quid contra illorum scita, per ignorantiam committere potuisset. Quod Cœlestinus Pont. imitatus fuisse uidetur, qui nefas esse putauit, sacerdotem Ecclesiasticos canones aut ignorare, aut uiolare. Sed quid Concilia commemoro, cùm Imperatores ipsi, qui totius terrarum Orbis ditionem affectasse semper uisi sunt, ad Ecclesiæ se pedes summisse abiecerit, legibusq; iusserint, ut illius decretis, tanquàm diuinis quibusdam oraculis, omnes sanctè religioseq; optemperarent? quibus diuina potius quàm humana auctoritate, se etiam teneri confitebantur. Quod quidem satis apud omnes testatum reliquit Iustinianni Imperator, qui Ecclesiasticarum legum auctoritatem grauissimis atque amplissimis uerbis commendat, Sancimus (inquit) ut sancti Ecclesiastici canones,

Burcardus Decretorũ lib. 15.c.7.

Concil.3. Carth.cã. 3.

Cœlestinus Primus Epis. 3.ad Episcopos Apuliæ & Calabriæ.

Iustinianus Nouella.131

qui à sanctis quatuor Concilijs hoc est Niceno trecentorum decem & octo, Constantinopolitano centum quinquaginta sanctorum Patrum, Ephesino primo, quo Nestorius condemnatus est, & Calcedonensi, in quo Euthiches cum Nestorio anathemate percussus est, expositi & confirmati sunt, uicem legum obtineant. prædictorum enim sacrorum Conciliorũ decreta perinde ut sacras scripturas suscipimus, & canones ut leges custodimus. Quam Iustiniani Nouellam cùm inducit Photius Patriarcha Constantinopolitanus, quatuor hisce sacris Concilijs tria alia, Constantinopolitanum scilicet secundum, ac tertium, & Nicenum secundum annectit. Eorum uerò cùm secundum Constantinopolitanum Iustinianò adhuc imperante, duo uerò posteriora, multò pòst ipsius tempora celebrata fuerint, rectè mihi sanè sensisse uidetur Theodorus Balsamon, ab illo fuisse Imperatore adiecta, qui leges expurgauit, atque recognouit, inq; unũ Basilicorũ uolumen coegit, siue Constantinus, Porphyro geneta is, ut Balsamoni placet, siue alius quispiam fuerit. Cum uerò non editos modò, sed confirmatos etiam à sanctis illis Conciliis canones Iustinianus ueneratur, omnes quidem Ecclesiasticas leges sacrosanctas habet. Calcedonensis enim synodus omnes à sanctis Patribus, in quauis synodo conditas uiuendi regulas confirmat, sexta uerò synodus, quæ tertia est Constantinopolitana, leges, non à synodis tantùm, sed à sanctis etiam Patribus latas comprobat. Hanc uerò Ecclesiæ amplissimã diuinamq; auctoritatẽ, Illustrissimi Imperatores nõ legibus modò, sed factis etiam mirificè declararunt.

Photius Nomocanon. tit. 1. c. 2.

Theodorus Balsamon.

Concilii Calcedo. can. 1.

Sexta synodus can. 2.

ut

ut uerò cæteros pijssimos Ecclesiæq; iussis obtemperantissimos Cæsares taceam, Philippus, qui inter Romanos Imperatores primus fuit, qui Christi se militiæ sacramento addixit, ut Ecclesiæ monimenta tradunt, cùm se Christianorum cætui in Paschatis peruigilio coniungere, precumq; particeps fieri peroptasset, non prius ab Episcopo admissus est, quàm se pœnitentium numero aggregasset, ut scelerum, quibus erat infamis, pœnitentiam de more Ecclesiastico faceret. Quibus iussis, non aliter religiosissimus Imperator obtemperauit, quàm si diuina esse certò sciret, eximiæ cuiusdam pietatis aduersus Deum esse intelligens, maioribus humiliter obtemperare, neque de eorum præceptis ulla ratione disceptare. Quod D. Hieronymus non minus egregia eruditione, quã admirabili sanctitate illustris, his uerbis docuit, Præpositum monasterij timeas ut dominum, diligas ut patrem, credas tibi salutare quidquid ille præceperit, nec de maiorum sententia iudices, cuius officij est obedire, & implere quæ iussa sunt, dicente Mose, Audi Israel & tace. Quam Ecclesiæ auctoritatem qui labefactare studet, obseruantiamq; erga illam ab hominum animis conuellere conatur, nihil certè aliud, quàm Christianæ Reip. interitum ruinamque machinatur. Quod D. Ioannes Chrysostomus apertè demonstrat ducis exemplo, cui qui necem intentat, aciem quidem ipsam profligare, exercitumq; uniuersum interimere molitur. Cùm tamen Ecclesiæ auctoritas, diuinis præsidijs præfulciatur, non dubitamus, Kemnici, tuos tuorumq; omnium conatus irritos fore ac prorsus uanos. Cuius etiam maiestas, & ampli-

Euseb. Cæs. Historiæ Eccl. lib. 6. c. 34. Nicephorus lib. 5. c. 25.

Hieronymus ad Rusticum

Chrysost. in Epist. ad Hebr. hom. 34.

amplitudo ita est cum diuini nominis gloria & honore colligata, ut, qui iustas illius leges contemnendas docent, qui grauissimis cõtumelijs illas lacerãt, conuitijsq; prosequuntur, non in homines quidem, sed in ipsum Spiritũ sanctum iniuriosi sint, atque maxima sanctissimum numen, quod illam tuetur, ac fouet, ignominia afficiant.

In 4. & 7. Axiomate, uehementissimè reprehendit Kemnicius Colonienses, quòd doceant, legem charitatis seruari à nobis abundè ac perfectè in hac uita nostris operibus posse, si quantum in nobis est præstiterimus: quod non aliunde oriri arbitratur, quam quòd existiment, *illa, quæ lex concionatur de perfecta integritate ex toto corde, tota mente, tota anima, & omnibus uiribus, ita ut nulla sit mala concupiscentia, ad eos, qui in hac mortali uita uersamur, non pertinere, nec nos in terra obligare, sed illos tantùm, qui sunt in altera uita.* Cui calumniæ antequàm respondeam, lectorem uelim admonitum, Colonienses Patres quoties asserunt diuinam legem seruari à nobis posse, non nostris uiribus id, sed diuinæ gratiæ opibus ascribere, quibus qui abundant, præclara omnia præstare facilè posse ducunt. Quod satis declarant cùm Monhemij illa uerba exagitant, *Nobis incumbit necessitate, ut legem perficiamus, nõ tamen id possumus, sed solus id potuit Christus*. Hæc (inquiunt Colonienses) uerba duplicem sensum admittunt, alterum catholicum, ut pote hominem sine diuinæ gratiæ auxilio legem implere nũquàm posse; quod utique nullus negabit: immo non hoc solùm fatentur ueri Christiani, sed illud quoq;, nihil posse quenquam operari, quod bonum sit, quod'ue rationem habeat ueræ uirtutis, nisi non generale

Monhemij dialogo. 3.

nerale tantummodò Dei auxilium præstò sit, sed peculiari gratia roboretur omnino, & adiuuetur. Quæ Coloniensium uerba, qui diligenter perpenderit, satis profectò intelliget, quàm ueteratoriè Kenicius doctissimorũ uirorum mentẽ peruertat, dum eos ait arbitrari, renatos in hac uita suis operibus legi satisfacere posse. at uerò cùm calumnijs extruẽdis præcipuam operam nauet, nihilque magis quàm Pelagianismi illos insimulare optet, minimè sanè mirandum est, si quod ueritate efficere nullo modo sperat, confictis uerbis præstare omni ratione conetur: atque adeò si quæcunque Colonienses Patres libero arbitrio diuinis præsidijs confirmato tribuunt, de naturæ uiribus Kemnicius interpretetur. à qua sententia tantopere Colonienses absunt, ut catholicæ fidei illos aduersari asserant, qui ueræ uirtutis quidquam peculiaribus diuinæ gratiæ auxilijs destitutis ascribunt. Quocirca, macte animi Kemnici, fingendi tuam istam licentiam (mihi crede) audacissimè prosequere, nihilque sit, quod te à tam egregio facinore deterreat: sic fama paratur. Neque enim ullus esse tam timidus ac ignauus potest, qui non ea fingere audeat, quæ ueritatis aliquam speciem præ se ferant. at quæ ne umbram quidem ueritatis habeant, audacissimos solùm, & maximè strenuos, hoc est, tui similes, decent. Sed ne nobis ista tua tanta importunitas plus negotij facessat, ne'ue crebra rei eiusdẽ repetitione lectori satietatem, ac fastidium afferamus, te iterum atque iterum admoneo, humanam nos uoluntatem diuinæ gratiæ præsidijs munitam & confirmatã ponere, quoties de diuina lege obseruã-

da

da uerba facimus, quorum expertes nihil præclarum efficere posse, Coloniensium uestigia persequentes, copiosè demonstrauimus. Quæ sententia tam est illis familiaris, & ab ipsis toties inculcata, ut id nō potueris tādē nō ijs uerbis per sūmā īprudētiā cōfiteri. *Hieronymus Pelagianis ita respondet, Sunt impossibilia naturæ, sed possibilia gratiæ. & gratiam intelligit de auxilio & renouatione Spiritus sancti. Aug. inquit, gratia sanat uoluntatem, ut uoluntas sanata impleat legem, & hoc illud ipsum est, quod Iesuitæ contendunt.* Si hanc esse illorum sententiam intelligebas, quid est quòd tam frequenter propriorum operum iactationem illis exprobrandam putasti? Quid illos Pelagianismi tam audacter insimulasti? Sed agedum uideamus, quam camlumniam egregius hic mendaciorum architector inuenerit, ut clarissimæ ueritati, quā inuitus nunc demū cōspexit, tenebras obducat. *Sed nō debebāt (inquit) ignorare oculatissimi isti Patrū lectores, quid postea secutum sit. Cœlestius enim Pelagij discipulus illud Hieronymi & Aug. axioma arripuit, & cœpit docere, hominem in hac uita licèt non possit naturalibus liberi arbitrij uiribus, posse tamen instructū gratia, hoc est, dono renouationis, legem perfecta obedientia suis operibus implere, ita ut sine peccato esse possit in hac uita, quia qui legem perfectè impleuit, in nullo reus est in lege, & quando lex nihil potest accusare in homine, tunc est sine peccato, ibi Aug. coactus fuit scripturæ testimonia de hac quæstione penitus considerare, & hac occasione scripsit librum de perfectione iustitiæ.* Ex quibus concludit callidissimus hic sententiarum omnium æstimator, Colonienses à Pelagij discipulis haud esse dissimiles, quantumuis gratiæ necessitatem efferant & commendent. Quæ oratio ita me commouit, ut Germaniæ uicem, ac potissimum Braunzuicentium, quorum

rum Kemnicium doctorem esse ac in religione institutorem audio, non possim non uehementer dolere. Quid enim in angulis eũ facere existimabimus, quem in frequentissimis quasi theatris, & totius Orbis conspectu, tam impudenter mentiri non pudet? Quid ille apud suos non audebit? quid nõ tentabit? quid non finget? quæ impia commenta non persuadere ijs conabitur, qui se in illius disciplinã tradiderunt, qui palàm in clara omnium luce cuncta tentat inuertere, & uniuersitati generis humani imponere se posse sperat? Vos ego uiros Germanos, qui Ecclesiæ Christi gloria & ornamentum nõ ita pridem fuistis, qui pulsæ atque fugatæ fidei quasi asylum non semel priscis temporibus extitistis, uos inquam, per uiscera misericordiæ Dei nostri oro, per ueram fidẽ obsecro, & obtestor, ut uestris hisce præceptoribus, uerius, perditissimis deceptoribus, ueritatis uerò acerbissimis hostibus diffidere aliquando incipiatis. Neque enim dubito, quin illorum fides suspecta uobis esse incipiat, neque damnatis eorum perditisque opinionibus adhærescatis, ac fluxam, inanem, fucatam, fallacem, & quàm maximè fraudulentã eorum fidem esse, tandem aliquando intelligatis. Quis enim ita insaniet, ut ueram & integram fidem iudicet, quã mendaciorum præsidijs potissimùm munitam intuetur? Quis ueritati ita erit iniurius, ut præstigiarum & fallaciarũ patrociniis egêre arbitretur? Qui uerò istorum hominum lucubrationes accurata circumspectione legerit, atque sententiarum præcipua fundamenta ad suos fontes reuocauerit, neque fidem illis temerè adiunxerit, non dubito quin illorum in fa-

bricandis mendacijs audaciam, ne dicam impudentiam, ferre nullo modo possit. A quibus tùm demum sibi temperabunt, cùm contra ueritatem insanire desierint. Quod Braunzuicenses in Ecclesiæ suæ ministro Kemnicio facilè cernent, si quæ hic Cœlestij, & Augustini nomine dicit, cum libro de perfectione iustitiæ, quem testè citat, contulerint. Quid enim, quæso, petulantius esse potest, quàm asserere, illam esse Cœlestij sententiam, quam in eo potissimum Augustinus requirit, is uerò semper impugnauit maximè? Quid procacius, quàm utriusq; sententiam ita inuertere, ut affirmet, eo crimine fuisse Cœlestium maximè liberum, quo eum potissimum condemnat Augustinus? id uerò solum, in ipso damnare Augustinum, quod si reprehendit, impietatis tamē damnare nullo modo audet? Cum enim Cœlestius tam fuerit Pelagij assectator temerarius & pertinax, ut Pelagiani Cœlestiani etiam dicti fuerint, persuadere sibi nunquàm potuit, gratiam esse ad peccatorum omnium uitationem necessariam, sed solius naturæ uiribus, uirtutū omnium officia ascribebat. Quod apertè docent, tum Cœlestij argumenta, ab Augustino, libro de perfectione iustitiæ inducta, tum eiusdem Augustini responsiones, quibus cōtorta & aculeata Cœlestij sophismata refellit, & coarguit. Multus enim est Augustinus, in repetēdo, uitari quidem à nobis peccata posse, si natura uitiata sanetur gratia Dei per Iesum Christum dominum nostrum, atque naturam tandiu inualidam esse, & imbecillam, quandiu id quod faciendum est, aut cœcitate non uidet, aut infirmitate non implet. Quod uerò Cœlestius semper

Aug. lib. de hæres. heret. 88

existimauerit,

existimauerit, legis perfectionem, solis naturæ uiribus comparari à nobis posse, satis quidem ex ratiocinatione ipsius constat, qua concludit, liberum arbitrium rem bonam dici nō posse, si magis ad malum, quàm ad bonū pronum sit atq; procliue. Quod sanè eos dicere, inquit, necesse est, qui hoīem per illud in malum posse, in bonum uerò non posse arbitrantur. Quod ratiocinatione 12. magis explicat, cùm ita argumentatur. Quærendum est, quomodo non potest homo sine peccato esse, uoluntate an natura? si natura, peccatum nō est, si uoluntate, facilè potest uoluntas, uoluntate mutari. Quam arrogātissimam insaniam cùm ferre nullo modo posset Aug. ita respōdet. respōdemus admonentes, esse cogitandum, quanta sit ista præsumptio, qua dicitur, non solùm posse, quod quidem adiuuante gratia Dei negandum non est, sed etiam facilè posse uolūtatem, uoluntate mutari, cùm dicat Apostolus, Caro concupiscit aduersus spiritum, & spiritus aduersus carnem. Quare concludit, non alia de causa Cœlestium, tanto in errore uersatum fuisse, quàm quòd non aduerterit, nostram propriam uoluntatem uitiatam, sine Dei gratia sanari non posse. Et in responsione ad 16. eiusdem Cœlestii argumentationem ait, nō quidem uersari in quæstione, an possit homo omni prorsus culpa uacare, sed quando, atque per quèm, hoc est, neque in hac uita, neque naturæ, sed solius diuinæ gratiæ uiribus. & cū interpretatur scripturæ sacræ testimonia, quibus Cœlestius suā sententiam confirmabat, ait. Ecce nos, ut ualuimus, exposuimus, quomodo accipienda essent testimonia, quæ pro sua causa commemorauit; ipse

Lib. de perfec. Iust. ratiocinatio 9. Cœlest.

Ratiocinatio. 12

Lib. de Perfectione Iustitiæ.

autem quomodo sit accipiẽdum quod scriptum est Omnis homo mendax. omnino non soluit, nec sol- uere potuit, nisi correcto errore, quo credit homi- nem sine adiutorio gratiæ Dei, per solam propriam uoluntatem posse esse ueracem. Cum uerò multis demonstret, fieri non posse, ut quandiu anima cor- poris ergastulo inclusa manet, innumerisque est cu- piditatibus impedita, solicitudinibusq; implicata, omni peccato careat, atque omnibus illam precatio- nem competere, Dimitte nobis debita nostra. eorum tandem sententiam, qui longè aliter sentiunt, damna re nullo modo audet. Impios tamen Christique im- manissimos hostes declarat eos, qui naturæ uiribus, & non potius gratiæ Christi, tantam perfectionem a- scribunt: quorum Cœlestius fuit quasi antesignanus. Quod, ut magis pateat, ipsum, quæso, Augustinum loquentẽ audi. Postremò si excepto illo capite nostro sui corporis Saluatore, asseruntur, uel fuisse uel esse in hac uita aliqui hoĩes iusti sine aliquo peccato, siue nunquã cõsentiendo desiderijs, eius, siue quia pro nullo peccato habendũ est, quod tantum est, ut hoc pietati non imputet Deus, quanuis aliter sit beatus si ne peccato, aliter autem beatus, cui non imputat Do minus peccatum, non nimis existimo reluctãdum. scio enim quibusdam esse uisum, quorum de hac re sententiam non audeo reprehẽdere, quanquàm nec defendere ualeam. Sed planè quisquis negat, nos o- rare debere, ne intremus in tentationem (negat au- tem hoc, qui contendit, ad non peccandũ, gratiæ Dei adiutorium non esse homini necessarium, sed sola le ge accepta, humanam ait sufficere uoluntatem) ab-

Aug. ad finem lib. de Perfe- ctione Iu stitiæ.

auribus

auribus omnium remouẽdũ, & ore omnium anathematizandum non dubito. Apertè igitur iam uides, Kemnici, quid Augustinus in Cœlestio quàm maximè improbet, & quam ob causam anathematizandũ censeat: cuius lucubrationes si legisses, nunquàm profectò sententiam tam temerè præcipitasses.

Ad tua uerò Axiomata ut reuertamur, nõ inficior, Colonienses fateri, cùm fieri non posse, ut Deum perfectè in hac uita cumulateque diligamus, tum legem plenè & perfectè seruari à quouis posse. quæ etsi contraria, & inter se quàm maximè pugnantia tibi uideantur, esse tamen uerissima demonstrabo. ut uerò à diuina dilectione ordiamur; qui grauissimam humanæ uitæ plurimis animi corporisque incommodis agitatæ conditionem considerauerit, qui præcipitis & lubericæ libidinis, ardentis iniuriosæque auaritiæ, indomitæ audaciæ, effrenatæ iracundiæ, cæterarumque omnium cupiditatum, quibus humanus animus continenter impetitur, uim diligenter expenderit, satis quidem intelliget, mentem tantis perturbationibus obsessam, non ita se in diuini numinis dilectionem tradere totam posse, ut ab ea distrahi ac diuelli nũquam possit. tempestatum enim, quibus iactamur, uis tanta est, ut nullo nos in loco consistere patiatur. Qui uerò Deum toto corde, tota mente, atque omni animo diligit, illum solum auidè intuetur, nulla perturbatione afficitur, oblectatione'ue alia commouetur, diuiniq; illius amoris æstu ita absorbetur, ut per omnes animi latebras & recessus peruadat, nullusque sit humanis curis, & cogitationibus locus relictus. Nam cùm toto addi nihil

di nihil possit, qui totum diuinæ dilectioni tribuit, nihil certè rebus cæteris reliquum facit. Quod Hebræa illa uerba satis explicarunt. Diliges Deum tuũ in toto corde tuo, tota anima וּבְכָל מְאֹדֶךָ quæ si totidẽ uerbis transferamus, Deum in omni nostro nimis, diligẽdum esse significant, usq; adeò, ut non mõ omnes animi ac corporis partes ad Deum amandum cõferamus, sed eò uires omnes intendamus, atque in diuino illo amore consumamus, nec aliò mens nostra feratur unquam.

Aug. de perf. Iustit.

QVARE D. Aug. ait, Deũ tota mente diligi non posse, quãdiu aliquid est carnalis concupiscentiæ, quæ uel continendo frenetur. Cùm enim cupiditatum impetus & incursiones nos conturbent, & in diuersas partes sua ui trahant, fieri non potest, ut mentem in diuina dilectione ita defigamus, ut immobilis maneat, & in ea perpetuò hæreat, nec alia cura sollicitudine'ue tangatur. Quibus accedit misera huius uitæ ratio, quæ tantam felicitatem ne ferat, corporis pondere præpeditur. Vnde est, quòd D. Aug. multis & ualidissimis argumentis probat, Deum nõ posse à quoquam perfectè & cumulatè amari, hoc est, toto corde, anima, & uiribus, quandiu mortale hoc, immortalitatem, & corruptibile istud, incorruptionem non induerit. Explicans enim locum Pauli. Quicunque ergo perfecti sumus, hoc sapiamus, (inquit) quotquot perfectè currimus, hoc sapiamus, quod nondum perfecti sumus, ut illic perficiamur, quò perfectè adhuc currimus, ut cum uenerit, quod perfectum est, quod ex parte est, destruatur. Id est, non iam ex parte sit, sed ex toto, quia fidei & spei iam

Aug. lib. de perfectione Iustit.

Philip. c. 3.

iam res ipsa, non quæ credatur, & speretur, sed quæ uideatur, teneaturque succedet. Charitas autem quæ in his tribus maior est, non auferatur, sed augeatur, & impleatur, contemplata quod credebat, & quod sperabat adepta, in qua plenitudine charitatis, illud præceptum implebitur, Diliges dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota mente tua. Quam sententiam quàm sæpissimè, & in libro de spiritu & litera, his uerbis repetit. At si credendum est, quòd ad tantam dilectionem sancti præuenire potuerunt, qua certè maiorem in hac uita esse non posse, Dominus ipse testatus est, ut animam suam pro fide, & pro fratribus ponerent, cùm ab hac peregrinatione, in qua per fidem nunc ambulatur, non per speciem, peruentum erit ad speciem, quam nondum uisam speramus, & per patientiam expectamus, proculdubio & ipsa dilectio non solùm supra quàm hic habemus, sed longè supra quàm petimus, & intelligimus erit, nec ideo tamen plus esse poterit, quàm ex toto corde, ex tota anima, & ex tota mente, neque enim restat in nobis, quod addi possit ad totum, quia si restabit aliquid, illud non erit totum. Nam cùm amor & odium, ex boni ac mali cognitione, potissimùm oriantur, necesse est sanè, ut quò bonum perfectius cognitum perspectumque habetur, eò maiores sui amores excitet, cùm igitur Dei illa cognitio, quæ per fidem est, cum ea quando reuelata facie gloriam Domini beati speculantur, conferri nullo modo possit, necesse quidem est, ut quanta ad cogitionem, tanta ad amorem fiat accessio. Neque tamen maior di-

Aug. de spiritu et litera c. 36.

Ioan. c. 15.

lectio

lectio esse in beatis potest, ut Aug. ait, quàm ex toto corde, ex tota mente, & omnibus uiribus. Quo fit etiam, ut Aug. cùm perfectam iustitiam, integram sanitatem, & cumulatam charitatem, sese mutuò necessariò consequi, indissolubilique uinculo constringi & colligari sæpe doceat, solos eos, qui diuino cōspectu fruuntur, perfectè sanos ac iustos esse, censeat.
Lib. de Perf. Iustitiæ. Tunc (inquit) erit plena iustitia, quando plena sanitas, tunc plena sanitas, quando plena charitas; plenitudo enim legis, charitas; tunc autem plena charitas, quando uidebimus eum sicuti est; neque enim erit quod addatur ad dilectionem, cùm fides peruenerit
Luc. c. 3. ad uisionem. Et paulò inferius, Christi uerba apud Lucam, Nemo bonus, nisi solus Deus. dupliciter posse aptè interpretari existimat, uno modo, si cum Deo summo & infinito bono procreata omnia conferantur: altero, si ipsi filij Dei sibi ipsis comparentur sempiterna iam felicitate donatis. Tantum enim à seipsis differunt, ut quandiu in terris degunt, mali dici meritò possint. Infinitum esset numerando percensere singula loca, quibus Augustinus tradit, omnes charitatis numeros, in hac uita expleri, nequaquàm posse. Quæ sententia non tam illius propria est, quā omnium sanctorum Patrum communis, in quam eò libentius descendit Kemnicius, quia diuinæ legi, cum qua ipse immane bellū gerit, plurimùm detrahi arbitratur. Cum enim Colonieses coarguit, & accusat, quòd multis ac magnis rationibus demonstrent, seruari diuinam legem plenè in hac uita ab illis posse, qui diuinæ gratiæ præsidijs roborantur, duobus id potissimùm argumentis efficit: alterum

sumitur

sumitur ab iis, quæ de charitatis præcepto, quod in diuina lege potissimum est, à nobis hactenus dicta sunt: alterum ex uitæ huius misera, & infirma conditione, in qua peccata uitari à nemine posse D. Aug. multis contra Cœlestij insaniam demonstrat. Cum uerò peccare sit, diuinæ legis lineas transilire, consequi sanè uidetur, perfectè ab illis legem seruari non posse, qui peccatis carere non satis queunt. Quòd si ad D. Aug. de præcepto charitatis sententiam Kemnicius penetrasset, nunquàm profectò Colonienses reprehendendos suscepisset, aut certè illum, uesaniæ suæ patronum nunquam adoptasset. Neque enim tam fuit in æquissimum legislatorem Deum contumeliosus, ut ea diceret dilectionis lege, homines obstrictos teneri, quam seruare nemo unquàm corpore irretitus posset, sed ea solum Deũ præcepisse arbitratur, quæ præstare diuinis uiribus adiuti, secundum uitæ huius conditionem possemus, indicasse uerò quid optare, quò aspirare, & quid consequi tandem deberemus. Vocat enim in quæstionem, cur homini tanta fuerit imperata perfectio, quantam in hac uita nemo consequater, & ijs uerbis respondet, Non certè curritur, si quo currendum est, nesciatur: quomodo autem curreretur, si nullis præceptis ostenderetur? Sic ergo curramus, ut comprehendamus; omnes enim, qui rectè currunt, comprehendunt. Vnde liquet, diuini amoris modos, nempe toto corde, tota anima, ac omni mente, secundum status cuiusque rationem, fore intelligendos, atque ita, qui corporis sumus incommodis implicati, tum toto corde, ac uiribus omnibus *Aug. lib. de perf. Iust.*

Deum diligere censendi sumus, cùm perfectissimam cœlestis patriæ charitatem uotis omnibus expetimus, rectis studijs ad eam contendimus, certisque ac constantibus cursibus illam petimus. Qua in re, et si cæteris ij longè præstent, qui corporis curis abiectis, totam mentem & cogitationem ad Dei cultum uenerationemque transferunt, atque diuinis tantummodò rebus uacant, & proficiendo cognoscunt, quàm longè sint à perfectione iustitiæ, ut D. Aug. ait, quinimo quod hodie perfectum fuisse putant, dum ad meliora, & priora mens extenditur, cras im perfectum fuisse intelligunt, ut D. Hieronymi uerbis utar; Deum tamen tota mente secundum infirmitatis nostræ rationem ij etiam charum habēt, qui ab illis sceleribus maximè abhorrent, quæ charitatem euertunt funditus, & extinguunt: qualia sunt, quæ mortalia uulgò dicuntur. Quod Ecclesiæ clarissimum lumen Aug. ijs uerbis docet, Ingredi autem sine macula non absurdè etiam ille dicitur, non qui iam perfectus est, sed qui ad ipsam perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, atque ipsa peccata uenialia non negligens mundare eleemosynis. Et alibi, Aliud (inquit) est totam nondum assequi charitatem, aliud nullam sequi cupiditatem. Quamobrem debet homo, quanuis longè minus amet Deū, quā eū potest amare con spectum, nihil tamen appetere illicitum; sicut etiam in his, que adiacent sensibus corporis, potest oculus nullis tenebris delectari, quanuis non possit in fulgentissimam lucem in cōniuenter intueri. Quod sanè confirmat sententia à Christo sæpius inculcata.

Lib. de spirit. & lit. c. 36.

Hierony. lib. 1. aduersus Pelag.

Lib. de perf. Iustit.

Aug. de spiritu et litera. c. 36.

Qui

Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est, qui diligit me, & à Ioanne priori Epistola canonica crebernmè repetita, Hæc est (inquit) charitas Dei, ut mandata eius seruemus, & item, Qui seruat mandata eius, in illo manet, & ipse in eo. & paulò antea, in illo ait perfectam esse charitatem, qui Dei uerbum seruat, ac reliqua omnia sacrarum literarum testimonia, quæ diuinam dilectionem in diuinæ legis officijs excolendis positam esse, tradunt. Si enim diuina præcepta, quæ maximè ad proximorum dilectionem attinent, non beatis, & qui Deo fruuntur sanctis, sed ijs, qui mortalem adhuc uitam degimus, præscripta sunt, si non iustis, sed iniustis sunt posita, quis dubitare audeat, illum toto corde ac omni mēte Deum diligere, qui nullo se nefario scelere contaminat? Nam cùm Christus ab illis se maxime diligi testatur, qui reliqua omnia legis scita religiosè conseruāt, satis profectò indicat, & magnū illud charitatis præceptum, quod omnia in se continet, eis im positum esse, qui reliquis omnibus astringuntur, & sanctè augusteque ab illis seruari, qui nullum crimē, quod mortale dicunt, quodque diuinæ legi manifestè aduersatur, admitit. Quod Dauid sanctissimus non obscurè innuit, cùm beatos illos ac omnium felicissimos prædicat, qui non abeunt in consilio impiorum, & in uia peccatorum non stant, & in cathedra לֵצִים non sedent. hoc est, eorum, qui ita frontem perfricuerunt, ut non modò in omni se flagitiorum genus ingurgitauerint, sed sanctissimorum etiam uirorum pietatem, & præclara studia irrideant. Quam sceleratissimorum hominum manum, pesti-

Ioan. c. 14.

Ioan. prima. Epist. c. 4.

Psal. 1.

lentiæ cathedram Græcus & Latinus interpres prudenter admodum uertit, quia funesta Reipub. pestis, atque uirtutum omnium pernicies illud hominum genus esse solet. Quàm uerò infelices ij sint, qui omnibus animi uiribus Deum non diligunt, satis Ioannes Apostolus indicauit, cùm eum in morte manere affirmat, qui non diligit, atque translatos nos esse de morte ad uitam, quia diligimus fratres, Deumque charitatem appellat, à qua qui abest, à Deo est quàm longissimè disiunctus. Quæ si cum regij uatis sententia, diligenter conferamus, minime sanè dubium erit, ardenti illos charitate Deum cõplecti, amorisque munera omnia explere, qui nullo se mortifero scelere fedant, & à profligatissimorum hominum communione, atque conatibus uehementer abhorrent, nisi mortuos diuinaque uita spoliatos, felices esse, arbitremur. Cum enim diuina dilectio in legis, iustitiæque officijs posita sit, perspicuum sanè est, non aliter Deum, à quouis diuinæ gratiæ muneribus aucto, posse secũdum uitæ huius rationem perfectè diligi, quàm reliqua præcepta eiusdem gratiæ ope seruari. Quare utraque sanè Coloniensium oratio uerissima est, & charitatis legem à solis beatis, qui corporis molem, simul cum illius incommodis deposuerunt, conseruari, si charitatis tantùm uim & amplitudinem consideres; & seruari etiam à nobis perfectè posse, si ad illam legis partẽ, qua nunc tenemur, animum aduertas, hoc est, ut Deum cæteris rebus omnibus quàm longissimè præferamus, nec ulla humanæ uitæ commoda illi anteponamus, sed stabilis, firmæ, iucundæ, sépiternæ, amplissi-

1. Ioan. c.3.

1. Ioan. 4.

plissimæq; illius charitatis, quæ beatis mentibus peculiaris est, maximo desiderio inflāmati, ad illam uitæ innocentia, integritateq; exornati, contēdamus.

QVOD uerò ad alterum argumentum attinet, quod à peccandi quasi necessitate sumitur, qui diuinæ legis uim, peccatorumque discrimē à nobis, cùm de peccatis ageremus, abundè explicatum, inter se contulerit, satis intelliget, cùm sola peccata uenialia esse, quæ D. Augustinus uitari omnino à nobis posse denegat, tùm ea cumulatæ, perfectæq; iustitiæ, quæ in charitate diuinæq; legis officijs potissimùm posita est, non aduersari. Quare nec diuinæ legis perfectionem is non complere censendus est, qui naturæ infirmitate impulsus, leuiter quandoq; delinquit. Quæ quia multis à nobis iam demonstrata sunt, in septimo axiomate de peccato, breuiter nūc perstringam. Quod uerò ad D. Augustinum attinet (cuius sententiam eò indagamus curiosius quia illa se Kemnicius tanquàm firmissimo præsidio communit) multis in locis is docuit, peccata, quæ euitari à nemine posse quàm sæpissimè demonstrat, esse leuiora illa, quæ uenialia uocamus. Scribens enim ad Laurentium, cùm demonstrasset, humanam uitam iam ratione utentis ætatis, quantalibet præpolleat fœcunditate iustitiæ, sine remissione peccatorum non agi, addit; de peccatis se, hoc est, de quibusdā motibus humanis, in quibus ob corporis humani corruptibilis conditionem deficimus, sermonem habere, non autem de criminibus, Neque enim (inquit) quia peccatum est omne crimen, ideò crimen etiam est omne peccatum. Itaque sanctorum hominum uitam, quandiu in hac

peccata uen. non posse prorsus uitari

Aug. Enchirid. c. 64.

hac morte uiuitur, inueniri posse dicimus sine crimine, peccatum autem si dixerimus, quia non habemus, ut ait sanctus Apostolus, nos metipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Et haud multò pòst, de leuibus peccatis agens, in quibus conniuendum esse Paulus duxit, ut si quis uxore propria ob solam incontinentiam utatur, aut coram sanctis iudicibus æquo iure disceptet, ad hunc modum scribit. Propter hæc atque huiusmodi peccata alia, licèt ijs minora, quæ fiunt uerborum, ac cogitationum offensionibus, Apostolo Iacobo confitente ac dicente, In multis offendimus omnes. oportet ut quotidie crebroq; omnes dominum oremus, atque dicamus, Dimitte nobis debita nostra. Cum item ad eleemosynarum studium omnes exhortatur, multis docet, illa Dominicæ orationis uerba, Dimitte nobis debita nostra, (quæ tanquàm machinam comparare solet, ad eorum insolentiam euertendam, qui peccatis se carere arbitrantur) ad ueniales culpas delendas potissimum spectare, Non (inquit) me latet, uitam istam mortalē, & in carne corruptibili cōstitutā, sine peccato esse non posse, sed illa quotidiana, & leuia habent etiam sua lauacra quotidiana. hoc est, quòd pectus tūdimus, & dicimus in oratione Domino Deo nostro, Dimitte nobis debita nostra. uidit.n. quæ cauere debemus, & uidit quæ cauere difficile sit; omnia aūt cauere, īpossibile iudicauit esse, qui istā orōnem quotidianā, non quoslibet Christianos, sed ipsos arietes Apostolos docuit. ubi autem Apostoli pectus tundunt, & dicunt, Dimitte nobis debita nostra, hoc est peccata nostra, audet aliqua ouicula superbire de sua iustitia

Aug. ibidem. c. 78.

Iaco. c. 3

Tractatu 50. homiliarum hom. 19.

tia? hæc Augustinus. Cùm uerò Apostolorum exemplo utitur, qui iustitiæ & charitatis ornamenta mirificè conseruarunt, satis significauit, de illis se peccatis agere, quæ iustitiæ non aduersantur, sed constare cum illa possunt. & paucis interiectis, eadem uerba, Dimitte nobis debita nostra. explicans, ait, Quod Deus statuit quotidie dici propter leuia peccata, aliqui putant, ad illa grauia sibi posse opitulari, à quibus non uolunt discedere, sed in his cupiunt perpetuò permanere. & alibi, non obscurè docet, non dānabilia, quidem, sed uenialia esse illa peccata, quæ euitari à nobis non omnino possunt. Nam si de mortiferis, Augustini sententia intelligenda esset, cum ijs sanè scripturæ locis pugnaret, quæ admirabilem quorundam hominum iustitiam, egregiamq; sanctitatē celebrant, & commendant, ut pote Ioannis Baptistæ, quo maior inter natos mulierum nemo surrexit; Abelis; Noah, quem præ cæteris illius ætatis hominibus, iustum ac perfectum coram domino fuisse, sacræ literæ testantur; Ieremiæ; Iobi, quem simplicem ac timentem Deum diuina oracula appellant. Qui si lethalibus fuissent sceleribus inquinati, hoc est, quæ Dei in nos odium excitare solent, iusti certè, ac recti dici haud quaquàm possent. Neque enim tam illustres tituli alijs congruunt, quàm illis, qui in Deum mentis oculos semper erigunt, illius amicitiam studiosè tuentur, & conseruant, legi uerò religiosissimè parent. Quo fit, ut Dauid sanctissimus, iustorum uitā dicat Deum habere cognitā, & exploratam, hoc est, secundum Hebraicæ linguæ uim, & proprietatem, illi esse quàm gratissimam. quorum statum mirificè mea

Aug. lib. de perfectione Iustit.

Matt. c. 11.

Gen. c. 6.

Iob. c. 1.

Psal. 125

mea quidem ſententia idem regius uates his ferè
Pſal. 125. uerbis depinxit, Qui, inquit, ſpectata cæterarum rerum imbecillitate purè, ac ſincerè Deo confidunt, atque in illo ſe ſuaq́; omnia ponunt, non nutabunt, ſed immobiles perpetuò manebunt ſicut mõs Sion: & quemadmodum Hieroſolyma circumcirca montibus munitur, ſic dominus præſidio populum ſuum ſepit, ac munit, idq́; ne peccatorum uirga permaneat ſupra ſortem iuſtorum, ut ne extendant iuſti ad iniquitatem manus ſuas, hoc eſt, ne ſi fortè diuturna Tyrannorum ui ac potentia oppreſſi teneantur, ad peccata, & ſcelera impellantur, exemplo & proſperitate improborum incitati. Qui igitur tot ac tantis Dei præſidijs muniuntur, ne in peccata, cum *iuſtitiæ* integritate ex aduerſo pugnantia incidant, nulla'ne ratione ab illis uitari poſſe exiſtimabimus? Quæ inſignior quæſo iniuria, diuinæ gratiæ inferri poteſt, aut quæ maior illi nota inuri? Quocirca confiteamur neceſſe eſt, peccata, in quæ quotidie etiam iuſti labuntur, iuſtitiam euertere nullo pacto poſſe, ac proinde, neque perfectam, & abſolutam legis obedientiam quoquo modo impedire. Nam cùm diuina omnia præcepta charitatem ſpectent, atque ea prora ſit, & puppis ut in prouerbio Græcorũ eſt, totius legis, is certè diuinam legem perfectè obſeruat, qui charitatis in hac uita perpetuum tenorem non interrumpit, neque illius iura deſerit, etſi corporis infirmitate impulſus, minutiora aliqua officia quandoque uiolet.
Rom. c. 8. Quod D. Paulus ſatis ſignificauit, cùm dixit, nihil damnationis eſſe ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu, qui nõ ſecundum carnem ambulant, quippe quia lex Spiri

tus

tus uitæ in Christ o Iesu liberauit eos à lege peccati, & mortis. Nam quanuis iusti ac pij homines carnis prurigine exagitentur, illiusque ui, & stimulis diuexentur, cùm tamen non illis cedant, nec peccati legi, quam in membris sentiunt, plenè obtemperent, à peccato quidem atque à morte, quæ peccatum consequitur, sunt prorsus liberi, tametsi mens cupiditatum procella iactata, non possit non aliquam leuem culpam aliquando contrahere, atque ita mente serui unt legi Dei, quia diuinum amorem non abijciunt, quanquàm carne legi peccati subijciantur. Quare Solomon sapientiæ uires usque adeò effert, ut illius munere iustos sine querela, perpetuò conseruari asserat: & D. Lucas Zachariam & uxorem eius Helisabetham iustos fuisse, atque incessisse in omnibus mandatis, & iustificationibus Domini sine querela dicit, non quidem quòd culpa omni ac peccato uacarent, sed quia leuia peccata, sine quibus humana uita non ducitur, perfectam illam legis obedientiam, quam uitæ huius ratio patitur, non euertunt. cunctorum enim in carne iustorum, imperfecta perfectio est, hominisque uera est sapientia, imperfectum se esse cognoscere, ut D. Hieronymus ait. de hisce uerò peccatis sermonem habuisse D. Ioannem, cũ mendacij illos coarguit, qui peccato se carere existimant, satis ipse significauit, cùm omne ex Deo natum, peccatum dixit non facere, quoniam (inquit) semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est. Nam cùm charitas diuinum sit illud semen, in quo diuina uis inest, & ex quo filij Dei procreantur, illam profectò tantam filiorum

Sap. c. 10
Luc. c. 1.
Hierony. lib. 1. aduersus Pelag.
1. Ioan. c. 2.
1. Ioan. c. 3.

Dei dignitatem tandiu retinebimus, quandiu ea scelera deuitabimus, quæ cum charitate pugnant. Quare D. Augustinus duo illa Ioannis loca, quæ tantam præ se ferre repugnantiam uidentur, concilianda ita esse existimauit, ut ex Deo nati nulla mortalia scelera admittant, & si reliqua omnia effugere nō possint. Cuius uerba, Kemnici, quæso attente audi, Fortassis (inquit) secundum quoddam peccatum uoluit intelligi, cum dixit, Qui natus est ex Deo, non peccat. Nā erit aliter cōtrarium illi loco, Si dixerimus, quia peccatum non habemus, nos ipsos seducimus, & ueritas in nobis non est. Sic ergo fortè posset solui quæstio, Est quoddam peccatum, quod non potest admittere ille, qui natus est ex Deo, et quo non admisso, *soluuntur* cætera: quo admisso confirmantur cætera. Quod est hoc peccatum? facere contra mandatum Christi, contra testamentum nouum. quod est mandatum nouum? Mandatum nouum do uobis, ut uos inuicem diligatis. qui facit contra charitatem, & contra dilectionem fraternam, non audet gloriari & dicere, natum se esse ex Deo, qui autem in dilectione fraterna constitutus est, certa sunt peccata, quæ non potest admittere, & maximè ne oderit fratrem. Et quid de cæteris peccatis facit, unde dictum est, Si dixerimus quia peccatum non habemus, nos ipsi seducimus, & ueritas in nobis non est? Audiat securitatem de alio loco scripturæ, Charitas cooperit multitudinem peccatorum. Hæc Augustinus. Non me latet eūdem Aug. longè aliter hunc Ioannis locum quàm sæpissimè fuisse interpretatum, ut scilicet ex Deo nati dicerentur non peccare, quà ex illo nati sunt. At quandiu

Aug. tract. 5. in Epist. Ioan.

Lib. 2. contra Epist. Parmeniani. c. 7. de perfectione iustitiæ, de peccatorū meritis & remissione lib. 2 c. 7.

diu inest in nobis quòd ex Adam nati sumus, peccatis uacare prorsus non posse;illam tamen priorem explicationem magis Epistolæ Ioannis contextui quadrare,ipse etiam Augustinus confitetur. Non est igitur,Kemnici,quòd nobis Augustinum tam audacter insolenterq; obiicias;à quo potissimùm Colonienses didicerunt, legem perfectè ab illis seruari, qui amoris Dei ac proximi iura non uiolant, sed charitatem integrè conseruant,quamuis peccata uenialia, humana infirmitate impulsi,quàm sæpissimè admittant.ita enim contra Parmenianum scribit,Peccato nemo potest dicere se carere,quandiu caro concupiscit aduersus spiritum, etiam si pro consortio societatis humanæ non absurdè dici possit iustissimè uiuere. quis uerò ita insaniet ,ut sine legis obedientia, justitiam esse existimet? *Aug.lib. 2.contra Epist. Parmen. c. 7.*

QVAE nisi uera essent,ineptè sanè,& temeritate maxima Deum precaremur, ut eius fiat uoluntas,sicut in cœlo,&in terra,hoc est, ut D. Augustinus intelligit,ut obediatur præceptis suis,sicut ab Angelis, ita ab hominibus.non æqualitate quidem,sed quanta fieri poterit obedientiæ maxima similitudine. ita ut diuinæ legi nulla pars nostra, terrenis doloribus, seu uoluptatibus agitata aduersetur(ut idem Augustinus loquitur) preces uerò, quas fideles ad Deum piè & religiosè facere,diuino instinctu consueuerũt, clarissima quidem sunt beneficiorum argumẽta,quæ in nos conferre diuina munificentia solet; nisi mendacij Christum arguere uelimus, qui posteaquàm precandi rationem docuit, promisit, impetraturos nos esse omnia, quæcunq; orantes peteremus. Quo- *De serm. Domini in monte lib. 2. c. 11.* *Matth.7 Mar.11. Ioan.1.*

circa confiteamur, Kemnici, necesse est, & iustos diuinæ gratiæ amplissimis opibus abundare, quò diuinam uoluntatem facere in terris possint, sicut in cœlis fit, idest, ut diuinam legem perfectè & cumulatè secundum uitæ huius rationem obseruent, sicut sancti pro felicissimi illius status ratione Deum tota mēte diligunt, & uenialia illa peccata, quæ effugere non satis possumus, cum hac perfecta legis obedientia non pugnare. Vnde est, quòd D. Hieronymus, duas ait, in scripturis esse perfectiones, duasque iustitias, primam, inquit, perfectionem incomparabilemque ueritatem perfectamque iustitiam Dei uirtutibus coaptandam: secundum autem, quæ competit nostræ fragilitati, secundum illud, quod in *Psalmis* dicitur, Non iustificabitur in conspectu tuo omnis uiuens. ad eam iustitiam, quæ non comparatione, sed Dei scientia dicitur esse perfecta. Iob quoque, & Zacharias, & Helisabet, iusti dicti sunt, secundum eam iustitiam, quæ possit aliquando in iniustitiam mutari, & non secundum eā quæ nunquàm mutari potest; de qua dicitur, Ego Deus, & non mutor. Hactenus Hieronymus. At stabilis & perpetua in hac imperfecta perfectione permansio, assiduis est deprecationibus à Deo exoranda. Neque enim quidquam est, quod nos Angelis, beatisque illis mentibus similiores faciat, quàm in uirtutum maximarum studio perseuerantia, quam non quidem operibus promereri, sed orando impetrare possumus.

Hierony. lib. 1. dialogorum aduersus Pelag.

CVM uerò confitemur, neminem (unica Deipara uirgine Maria, cum unigenito ipsius filio excepta) peccata omnia uenialia effugere, quandiu corporis

mole

mole premitur, posse, nec arbitrij quidem libertatem, nec peccati rationem à nobis copiosè explicatam euertimus. Nam quanuis mens carnis infirmitate præpedita, uarijsque cupiditatum generibus agitata, non omnia possit peccata euitare (superata enim iracundia, emergit ambitio; qua profligata, sese infert libido; ea depulsa, subrepit auaritia, insolentia, fastidium, ac infinitæ sese cupiditates intrudunt) si tamen peccata singula percenseamus, nullum est, quod non sponte nostra admittamus, & cui non possit uoluntas occurrere, atque obsistere. Quibus accedit, satis esse uoluntarium illud peccatum, quod ex infirmitate oritur, in quam sponte nostra incurrimus. In quem modum respondet Aug. Cœlestio probanti, non esse homini uitio uertendũ, in peccata incidere, quæ effugere non potest. Ideò inquit, est culpa hominis, quòd non est sine peccato, quia sola hominis uoluntate factum est, ut ad istam necessitatem ueniret, quam sola hominis uoluntas superare non possit.

Aug. lib. de perf. iust. ad 13. rationem Cœles.

NON possum autem non confiteri, ualde mihi placere Durandi à sancto Portiano sententiam, existimantis, peccata, quæ genere ac natura sua uenialia sunt, ut pote per iocum mentiri, uerba inania eloqui, ac cætera eiusmodi; euitari ab homine iusto nõ minus posse, quàm mortalia: quippe quia cum integram deliberationem non aliter exigant, quàm mortalia, ditioni uoluntatis maximè subsunt. Quæ uerò ob imperfectam actionem uenialia sunt, ut superbiæ, fastus, libidinis, auaritiæ, ac reliquarum huiusmodi cupiditatum repentini motus, quibus non ple-

2. sent. dis. 28. q. 3. quæ peccata uen. uitari nõ possint, et quæ possint.

 nè

nè uoluntas annuit, cum in mentem atque uoluntatem irrepere, magis quàm ab illa deliberatè eligi uideãtur, euitari prorsus in tanta naturæ imbecillitate cupiditatumque procella non possunt. Liberè enim D. Hieronymus cõfitetur, multa se agere peroptasse, quæ tamen implere nullo modo potuit, Spiritus enim (inquit) fortitudo ducit ad uitam, sed carnis fragilitas ducit ad mortem; & audio Dominum commonentem, uigilate & orate ne intretis in tentationem: spiritus quidem promptus est, caro autem infirma. Cum uerò declinari peccata uenialia à nobis non posse dicimus, non tam gratiæ ac liberi arbitrij uim, quàm humanæ naturæ infirmitatem, peccandique usum ac consuetudinem spectamus. Si enim ad gratiam, & liberum arbitrium animum aduertamus, hisce uerbis D. Aug. confitetur, posse hominem omni prorsus peccato carere. Qui dicunt esse posse hominem in hac uita sine peccato, non est eis continuò incauta temeritate obsistendum. Si enim esse posse negauerimus, & hominis libero arbitrio, qui hoc uolendo appetit, & Dei uirtuti uel misericordiæ, quæ hoc adiuuando efficit, derogabimus. Et haud multò pòst addit, Innumerabilibus scripturæ testimonijs dubitare non possum, nec Deum aliquid impossibile homini præcepisse, nec Deo ad opitulandum & adiuuandum quò fiat, quod iubet, impossibile aliquid esse; ac per hoc potest homo, si uelit, esse sine peccato, adiutus à Deo. At uerò quoniam, (ut idem Aug. tradit) nemo unquàm fuit, aut futuris sæculis inter tot ac tantos cupiditatum fluctus erit, omni prorsus culpa uacuus, fieri non posse dicimus

Hierony. in Epist. ad Ctesiphontem

Aug. lib. 2. de peccatorum meritis et remission. c. 6.

Ibidem.

cimus, ut quis peccata omnia dum uiuit, declinet. Inane enim est dicere, ut D. Hieronymus ait, posse illud esse, quod nunquàm fuit, aut fieri, quod neminem unquàm fecisse testeris. & dare nescio cui, quod in Patriarchis, & Prophetis, & apostolis nequeas approbare. Quocirca circunspectissimè sanè, sacrosanctum Cōcilium Tridentinum diffiniuit, neminem in tota uita peccata omnia etiam uenialia, nisi ex speciali Dei priuilegio uitare posse, quemadmodum de beata Virgine Ecclesia sentit. Quæ si legere quis optat copiosè & prudentissimè disputata, legat D. Aug. librum secundum de peccatorum meritis & remissione.

Hierony. Epist. ad Ctesiph.

Conciliū Trident. Seß. 6. sub. Paulo 3. can. 23.

NON est autem, Kemnici, quòd Coloniensibus obiicias Paulum dicentem, per legem, peccati ac infirmitatis nostræ, non autem uirtutis & firmitatis cognitionem haberi. Nam quandiu lex extremo supplicio afficiebat eius uiolatores, neque se obseruandi facultatem ullam largiebatur, ministratio mortis iure optimo dicebatur, & peccati tantummodò cognitionem dabat. At posteaquàm iustificati sumus per redemptionem, quæ est in Christo Iesu, & lex gratiæ, atque fidei esse cœpit, hoc est, fide excitari, atque foueri; uitæ quidem ministratio effecta est, neque tam peccati, quàm uirium nostrarum cùm diuina gratia reficiuntur, & recreantur, cognitionem præbet. Quocirca nisi temeritate maxima perneges, euangelicæ legis beneficio gratiæ uim maximam nobis compertam esse & exploratam, confitearis necesse est, eiusdem nos legis magisterio discere quod, & quantum in uirtutum officijs præstare

Rom. c. 3

Rom. c. 3

re possimus. Nostræ enim uires magis quidem iam gratiæ opibus, quibus efferuntur, quàm naturæ imbecillitate, qua deprimuntur, & quasi in terram deijciuntur, metiendæ sunt. Neque enim omnipotens Deus unigenitum filium suum misit in humana forma, & habitu latentem, ut legem instauraret, ex qua peccati tantummodò cognitionem caperemus, sed quæ firmissimis gratiæ opibus humanam infirmitatem contra peccati uires muniret, ut nihil iam impossibile nobis aut difficile uideri
Rom.c.8. posset. Nam quod possibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinẽ carnis peccati, & de peccato damnauit (hoc est deleuit, & funditus sustulit) *peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur credentibus.*

NEQVE mouere quẽpiã debet, quòd Coloniẽsibus ut summũ scelus obijciat, quòd eisdem argumẽtis, quibus olim Pelagius, probent, legem seruari à nobis perfectè posse. ut uerò tibi demus, Kemnici, Coloniensium argumenta cum Pelagianis aliqua ratione conuenire, magnum'ne scelus suscipere tibi uidentur, qui ex hæreticorum argumentis, diuersas contrariasque sententias concludunt? Si hæreticorum etiam uerba usurpare religio est, quo modo sacrarum literarum lectionem tam audes uendìtare, quam omnibus semper fuisse hæreticis per quàm familiarem non ignoras? Quòd si anilis hæc est ac uana superstitio, non est quòd Coloniensibus succenseas, si rationibus, quibus Cœlestius olim ueteratoriè contendebat, naturæ uiribus posse nos diuinam legm perfectè seruare, ipsi efficiant, liberum

arbitrium non nisi diuinæ gratiæ opibus præditum, & mirabiliter confirmatum, diuinis iussis parêre egregiè posse. Quæ quàm sint aduersa, satis Aug. explicauit, qui Cœlestij argumenta non alia ratione refellit, quàm gratiæ necessitatem crebrò inculcando. Cum enim Cœlestius ex legis ui concludit, posse nos omni prorsus culpa uacare, Neque enim (inquit) Deus præciperet, quæ præstare ipsi non possimus. respondet Augustinus, consultissimè homini præcipi, ut rectis passibus ambulet, ut cum se non posse perspexerit, medicinam requirat, qua interioris hominis ad sanandam peccati claudicationẽ gratia Dei est, per Iesum Christum Dominum nostrum. Ex quibus concludit, diuina præcepta dici leuia, non quidem solùm quia quidquid non fit, ignoscitur, ut tu somnias, sed quia humanis mentibus plurimùm cœlestis roboris, & firmitatis diuino beneficio accedit, ut seruare uniuersam legem facilè possint. Nec aliam (inquit) ob causam (erige aures Kemnici) scriptura commemorat, nõ esse grauia præcepta, nisi ut anima, quæ illa grauia sentit, intelligat, se nondum accepisse uires, quibus talia sint præcepta Domini, qualia commendatur, leuia scilicet, atque suauia, & oret gemitu uoluntatis, & impetret donum facilitatis.

Ratiocinatio. 6. Cœlestij lib. de perfect. iust.

Aug. lib. de perfe. iust. in responsione ad testimonia Cœlestij.

VT uerò fides, qua Colonienses calumniaris, omnium sit oculis testatior, non tacebo quàm fraudulenter argumentationem illam, quam ex uerbis Pauli ad Ro. Gentes, quæ legem nõ habent, naturaliter quæ legis sunt faciunt. sumunt, inuertas. Illos enim in hunc modum ratiocinari ais, *Gentes, quæ lege ca-*

Rom. c. 2

 rent,

rent, natura duce faciunt, quæ lex præcipit. Quomodo ergo ea ipsa lex non poterit à renatis perfecta integritate impleri? Quam collectionem etsi optimam esse, & ad rem maximè accommodatam asseuero, ipsi tamen tantum abest, ut renatos conferant cum gentibus à uera Dei, ac legis cognitione alienis, ut Pauli uerba cum Augustino, ad illos referant, qui, abiecta omni impietate, se in Christi, Euangelijq; disciplinam totos tradiderūt. Hæc enim sunt Coloniensium uerba, Absolutè dicendum non est, non posse quenquam quantumuis perfectum legem præstare, cùm D. Paulus nulla exceptione addita dicat, Gentes, quæ legem non habent, naturaliter quæ legis sunt facere, etsi illic gratiam non excludat, eosque fideles intelligat, qui ex gentibus conuersi sunt, si rectè D. Augustinus locum hunc interpretatus est.

Aug. lib. de spiritu & litera c. 26.

IN quinto Axiomate Kemnicius Deos manes, atque tricipitem Cerberum auxiliarium inuocat. Cum enim totius Ecclesiæ iudicio nihil prorsus tribuat, Laurentium Vallam, locupletissimum scilicet, ueritatis testem, à morte excitare cupit, ut nō minus in prodigiosam, ut ille ait, Iesuuitarum impietatem, quàm olim in Constantini donationem inueheretur. Sed age dum, uideamus, quis tantus hic est Coloniensiū error, qui nullo pōt supplicio expiari. *Iesuuitæ (inquit) asserunt, misericordiam Dei in Christo, quam euangelium celebrat, in qua nostra omnium uita & salus consistit, esse. Quòd Deus addiderit legi promissionem, Qui fecerit hæc, uiuet in eis.* Hoccine, Kemnici, illud est scelus, quod nullis potest piaculis deleri? An non putas, summum esse Dei beneficium, & infinitæ cuiusdam misericordiæ documētum, ut iustitias no-

noſtras, quibus niſi diuina gratia acceſſiſſet, nihil promereri tanquàm ſerui inutiles poteramus, æternis præmijs afficiat Deus? Ita eris erga diuina munera ingratus, ut hoc in potiſſimis beneficijs numerãdum eſſe deneges? Si noſtræ omnes actiones quà noſtræ ſunt, inanes, futiles, ac inutiles prorſus ſunt, nihil certè dici potuit à Colonienſibus uerius, quàm ſummæ fuiſſe Dei miſericordiæ, ut rectè operantibus uitam æternam promitteret. At inquies, multò plura, atque adeò maiora in Euangelio extant diuinæ miſericordiæ argumenta. quis hoc quæſo inficiatur? quis ita unquàm uecors ac bardus fuit, qui infinitam Dei miſericordiam, tam contractis terminis circumſcriberet? An non tute cùm de Euangelio ſermonem inſtituis, Colonienſes accuſas, quòd in Euangelicis beneficijs numerant, gratiam ac uires addere implẽdi legem? infinita ſunt, Kemnici, beneficia, quæ in nos Chriſtus Ieſus Dei filius contulit, innumerabilia, & inexhauſta miſericordiarum genera, quæ in Euangelica lege continentur. Summum ſanè fuit Dei beneficium, quod probè operantibus æterna præmia promiſerit, ampliſſimum, uires ſuppeditare implendi legem, immenſum, ſacramenta inſtituere, cœli aditum aperire, illius uiam commonſtrare, omniumque apud Patrem patronum eſſe, & aduocatum, ac reliqua eiuſmodi, quæ nemo non dicam complecti orando, ſed neque percenſere numerando poterit. At illud fortaſſe tibi in hac Colonienſium ſententia potiſſimùm diſplicuit, quòd in noſtris operibus dixerint, diuinam uim ineſſe, ut promereri plurimùm apud Deum poſſent; nam ita es in Chriſti be-

neficia iniuriosus, ut inter opera à pijs iustisque hominibus edita, & quæ à perditissimis atque flagitiosissimis suscipiuntur, nihil omnino interesse putes. Qua tamen disputatione quia ad eam, quæ de iustificatione est, magis pertinet, & eandem calumniam eo in loco sæpius repetis, & à nobis apertè coercebitur, supersedendum esse in præsentia, duxi.

De Euangelio.

GRAVISSIMÈ accusat Kemnicius Colonienses, quòd uix semel aut iterum, Euangelij nomen in eorum censura inueniatur, quod an ita sit, non satis memini, qui præstare semper existimaui, sententiarum pondera euangelij trutina examinare diligenter, quàm uerba numerare superstitiosè. Quanquàm non dubitaui, magnam habituros uocis huius rationem eos, qui illius uenditationem, euangelicæ sanctitati quàm longissimè anteferunt, haberique euangelici uolunt, eò quòd nudum euangelij nomen semper in ore uersent, quanuis illius sensus corrumpant, disciplinam abijciant, & proculcent, Iudæis, ut mihi quidem uidetur, minimè dissimiles, qui legis confidentia tumentes, à legis mente, quæ Christus est, plurimùm abhorrent, inanes uerò umbras studiosè consectantur, atque à se confictis superstitionibus adhærescunt. Sed esto (si ita uis) nunquàm euangelij nomen Colonienses usurpauerint, magnum'ue tibi scelus uidetur, suppresso euangelij nomine, fidem, pietatem, religionem,

nem, iustitiamq; euangelio comprehensam, luculentissimè tradere? Dei uirtutem in salutem omni credenti, quam Paulus non erubescebat, inesse in nuda euangelij uoce, atque in occidente litera putas, an in spiritu uiuificante rebusque ipsis, quæ uocibus exprimuntur? Si euangelium uitam præstare confiteris, an'non uides, illustre euangelij nomen uiuificanti spiritui potissimùm conuenire? Quare, qui euangelij sensa fideliter aperit, qui illius disciplinam incorruptè tradit, legem castè docet, religiosè seruat, dignitatem tuetur, atque integritatem literarum monimentis conseruat, magnam quidem de euangelio mentionem facere uideri debet, etsi euangelij nomen silentio prætermittat. At qui euangelij nomen in ore semper habent, pro euangelio tamen, Lutheri, Caluini, similiumque insanias; pro pietate, putidas hæreticorum opiniones; pro religione, Ecclesiæ despectionem; pro lege, ipsius contemptionem & acerbissimorum in ipsam odium hominum mentibus infundũt, an'non grauissimam euangelio, quòd inaniter ostentant, iniuriam faciunt? Atque ita qui in euangelio gloriantur, per euangelii deprauationem summo dedecore & ignominia eius auctorem Christùm afficiunt; nihil minus quàm euangelium noscunt. Cum igitur sanctissima Iesu societas, fidem euangelio consignatam, in Coloniensi censura integrè sanctèque explicarit, disciplinam, atque pietatem, moribus mirabiliter exprimat, nihil sanè illi magis familiare quàm euangelium debet uideri. *Rom.1.*

QVALE uerò illud sit euangelium, quàm incon-

constans, & permutabile, quod Kemnicius tam arroganter uenditat, satis aperuit, cùm Colonienses acriter reprehendit, quòd cum Christo dicente, Si uis ad uitam ingredi, serua mandata. asserant, Euangelium iniungere quidem opera, sed gratiam uiresque addere, ut præstare illa commodè possimus. Hanc enim Coloniensium, hoc est, Christi orationem, cum illis Pauli sententiis, quibus fidem miris laudibus effert, iustitiæque initium, ac potissimum fundamentum esse demonstrat, tantopere pugnare arbitratur, ut cohærere nullo modo possint. Quæ disputatio quia ad tractationem de fide & operibus maximè pertinet, animum nunc, quæso, aduertat lector, quale ex Paulo Euangelium hauserit Kemnicius, quod à Christi doctrina plurimùm desciscere confitetur. Quòd si Pauli Epistolæ in Christi Euangelio numerandæ sunt, quàm inane, quæso, inconstans, & mobile illud est Euangelium, quod sententias inter se minimè aptas & cohærentes continet? Quæ qui considerauerit diligenter, facere quidem iudicium commodè poterit, Kemnicius'ne, an Colonienses de Euangelio præclarius mereantur.

Matth. c. 19.

SED quoniã is inuehi in Colonienses nunquàm desinit, quòd primos cõcupiscentiæ motus oĩ culpa uacare dicant, nõ possum nõ hanc quæstionẽ paucis euoluere, quanquàm ab illa, quæ carnis cõcupiscentiam in peccatis numerabat, ita oriatur, ut existimẽ, fœdissimo illo fonte obturato, hanc etiam calumniã satis coercitam esse, atque compressam. Sed quando illam inserciendi finem nunquàm facit, paucis de

Primos motus nõ esse peccata.

demonſtrabo, quid Colonienſes de primis concupiſcentiæ motibus ſentiant. Concupiſcentiæ motus, qui primi dicuntur, duplices eſſe, ſapientiſſimè Theologi tradunt. Nam quidam ex corporis conſtitutione, atque habitu oriuntur, qui animos ipſos afficere, atque agitare ui ſua ſolent. Cum enim tam arcta ſit corpori cum anima ſocietas, fieri certè non poteſt, quin diuerſæ corporum conſtitutiones, uariè etiam animos permoueant, atque propellant. Quis enim non uidet, longè diuerſis animi perturbationibus agitari, qui nimio calore æſtuant, & qui immodico frigore à natura algent? Concupiſcentiæ igitur motus, qui ex ſola corporis conſtitutione ortum ducunt (ut libidinis prurigines, ex natiuo calore excitatæ) culpa omni uacare dicunt. quippe quia ſolius ſunt naturæ corporisq; ipſius pulſus, & agitationes, quas neque in laude neque in uituperio ponendas eſſe, ſpectatiſſimi etiam Philoſophi ſemper exiſtimárunt. Theologi uerò, qui gymnicum dicendi genus ſequuntur, hos concupiſcentiæ motus, primò primos appellarunt, quia omnem mentis atque uoluntatis actionem præcurrunt. De his uerò ſermonē habuiſſe Colonienſes Patres, ſatis ipſi explicarūt; cùm fol.54. quod Kemnicius ad criminandum induxit, reprehendunt Monhemium, quòd illos etiam primos concupiſcentiæ motus crimine condemnet, qui præter cogitationem irrepunt. Qui tamen tandiu culpa carent, quandiu uoluntas illis aſſentiri renuit, qua annuente, iam primi dici nulla ratione poſſunt. Alij uerò ſunt primi concupiſcentiæ motus, qui cum à ſenſibus, aut cogitatione ortum habeant,

ſenſua-

ſenſualitatis dicuntur, atque peccata uenialia eſſe confitemur, quandiu uoluntatis ui atque imperio non colliduntur prorſus,& comprimuntur,quanuis uoluntas rebus alijs præclariſſimis intenta,illos coercere, & reprimere nõ ualeat. Cùm enim ſenſuum hi & cogitationis inordinati & perturbati motus, qui ſenſualitatis dicuntur, uoluntatis potentia cohiberi poſſint, & retardari, eorum certè petulantia peccato carere nunquàm poteſt, ut præ cæteris præclariſſimè; hoc eſt more ſuo demonſtrauit D. Thomas Aquinas. De priori uerò concupiſcentiarum genere uerba feciſſe D. Anſelmus uidetur, cum aſſerit, illos, qui concupiſcentias ſentiunt nolentes, non peccare, Pauli uerbis inductus, qui nihil damnationis eſſe illis aſſerit, qui ſunt in Chriſto Ieſu,qui non ſecundum carnem ambulant.

Prima 2. q.74. artic.7. Anſelm. de Conc. gratiæ & libe. arb.

CACHINNIS demum ac petulantiſſimis ſibilis Colonienſes inſectatur, quòd Chriſtianis hominibus perſuadeant, ut diligentiſſimam operam nauent in animi perturbationibus ſedandis, concupiſcentiæque motibus in dies magis ac magis reprimẽdis,atque compeſcendis. quod, ut præſtare commodius poſſemus, Chriſtum aiunt, Euangelica conſilia literarum monimentis conſignata reliquiſſe. Quam ſententiam officij pietatiſque pleniſſimam, is ſolus calumniari mihi quidem poſſe uidetur, qui cupiditatibus omnibus habenas omnino laxauit, earumque intolerandam licentiam præſcindere nũquam cogitauit. Quis enim ita eſſe perdito & diſſoluto animo poteſt, quis ita temerarius, & procax, qui refrenandi libidines, ſpernendi uoluptates, iracundiam

cundiam tenendi, coercendi auaritiam, cæterasq; animi labes repellendi acre, & constans studium damnare audeat? Quis in uitandis insidijs, quas lasciuientis carnis motus uirtuti innocentiæque instruunt, inque dedecoris ac turpitudinis superbissimo dominatu abiiciendo, summam uigilantiam reprehendat? Quòd si in uirtutum maximarum studiis, Christiani hominis officium positum est, nihil illum certè magis decet, quàm cupiditates, quæ animum turbant, & innumeris erroribus complent, quoad eius fieri poterit, elidere, atque comprimere, Euangelicæ uerò disciplinæ nihil est magis propriũ, quàm ea præcepta tradere, quibus cupiditatum dominatus pelli, atque extingui possint. Qualia illa sunt, quæ raræ cuiusdam ac singularis uirtutis speciem, & cum cupiditatibus maximè pugnantem cõmonstrant, ut pote se ipsos castrare propter regnum cœlorum, hoc est, ab omnibus libidinosis uoluptatibus, quas etiam sancta connubia cohonestare solent, sibi temperare, egestatem, atque adeò mendicitatem sponte colere, deprecationibus continenter uacare, & reliqua eiusmodi, quæ ad nefarias carnis titillationes coercendas, auaritiam, ambitionem, simultates, elationem, nefariasque omnes cupiditates delendas plurimùm ualere ij sanè intelligunt, qui se in ijs studijs diligenter exercuerunt. At inquies, nullam esse tantam curam, nullamque tantam uigilantiam, quæ cupiditatum omnium fibras euellere funditus ualeat. nam quandiu in corpore sumus mortis huius, membrorum legi, quæ cum lege mentis pugnat, subijciamur, illiusque impetus

ſuſtineamus oportet. Eſtò Kemnici, neque enim id Colonienſes inficiantur, ſed ideò non eſt nobis cum nefarijs cupiditatibus dimicandum? ideò eſt fœdiſſimis illarum impulſibus parendum? ideò immaniſſimi huius hoſtis impetus non ſunt coercendi, atq; reprimendi, quia necem omnino interitumque affer re illis non poſſumus? Ideò immanes illius uires debilitare, potentiam refrenare, petulantiamque cohibere minimè curabimus, quia delere, funditusq; extinguere non poſſumus?

Horatius Epiſ. li. 1. Epiſt. 1.

» *Non poſſis oculo quantum contendere lynceus,*
» *Non tamen idcirco contemnas lippus inungi:*
» *Nec quia deſperes inuicti membra Cliconis,*
» *Nodoſa corpus nolis prohibere chiragra.*

ut Ethnicus ille poeta ait. Nam, ſi cum nefariis cupiditatibus pax concilianda eſt, ac non potius acerbiſſimum, & æternum bellum gerendum, quid eſt quòd Iobus hominis uitam, militiam uocat ſuper terram? Animarum enim & non corporum prælium illud eſſe, apertè D. Petrus docuit, cùm cunctos tanquàm aduenas & peregrinos, qui maximo patriæ deſiderio tenentur, orat, atque obteſtatur, ut abſtineant à carnalibus deſideriis, quæ militant aduerſus animam, ne quid ſit, quod illorum in patriam aduentum impedire poſſit. Quibus uerò armis hoc ſit prælium committendum, quàm ſæpiſſimè D. Paulus explicauit. in Epiſtola enim, quam ad Romanos ſcripſit, armorum lucis, in ſecunda uerò, quæ eſt ad Corinthios, armorum iuſtitiæ nomine, uirtutum omnium officia, cupiditatumq; omnium oppugnationem complectitur. Quo domeſtico ac turbulento bel-

Iob. c. 7. *1. Epiſt. Pet. c. 2.* *Rom. c. 13.* *2 ad Corint. 6.*

bello, etsi hostem delere illiusq; copias omnes extinguere funditus non possimus, in dies tamen illius uires magis ac magis frangentur, atque potentia magna ex parte labefactabitur. Quam fuisse Coloniensium sententiam, ea, quæ calumniaris, uerba satis indicant. Hæc (inquiunt) unicuique Christiano opera danda est, ut quantum in eo est, has animi perturbationes paulatim euellat, ut concupiscentiæ in dies magis sedentur impetus, Consilia sua Euangelica, ut id commodius fiat, Christus reliquit, & ea amplectenda suasit; & tandem concludunt, gratissimum Deo fore, si sequentes Euangelica consilia, & omnes peccandi occasiones fugientes, sensim illos extinguamus & tollamus. quibus uerbis non quidem asserunt, ut falsò arbitraris Kemnici, extingui prorsus cupiditatum omnium impetus, atque deleri in hac uita usque adeò posse, ut nihil omnino, quod menti, ac legi Dei repugnet, reliquum fiat, sed Christiani hominis officium esse affirmant, id ardentissimè expetere, atque in eam curam & cogitationem potissimùm incumbere, in qua sine maximo fructu elaborare nemo unquam poterit, quanuis cupiditatum omnium importunitate liber omnino esse, ac solutus nemo possit, quandiu corporis ergastulo inclusus sempiterna illa felicitate non perfruitur. Quæ Coloniensium sententia tam est Augustino familiaris, ut nihil curiosius meditatus fuisse uideatur. Eò enim spectat quod toties inculcat, legis scilicet perfectionem (quam duobus inquit capitibus contineri) Diliges Dominum Deum tuum, & non concupisces. ideò hominibus fuisse proposi-

Aug. de perfect. iustitiæ.

tam, ut quò illis currendum esset, non ignorarent. Currere uerò nihil est aliud, quàm omni opera niti, ut ad tantam illam legis perfectionem, quàm maximè accedamus. Quòd si labore & sollicitudine non consequamur ut ne cupiditatum aculeis pungamur, consequemur certè, ut illis minùs in dies tangamur, neq; cupiditatum impulsionibus suggestionibusq; pareamus. Quæ ut quamplurimis aliis in locis, tum libro de perfectione Iustitiæ ita docet; Si nollet Deus hominem esse sine peccato, non mitteret filium suum sine peccato, qui sanaret homines à peccatis. hoc fit in credentibus & proficientibus renouatione interioris hominis, de die in diem, donec fiat perfecta iustitia, tanquàm sanitas plena. Hanc uerò perfectam animæ salutem, futuram esse paulò pòst ait, quando accipietur tanta libertas, in qua sicut necesse est, permaneat beatè uiuẽdi uoluntas, ut sit etiam bene uiuendi, & nunquàm peccandi uoluntaria felixq; necessitas. Et haud multò pòst, idipsum his uerbis edocet. Non concupiscendo uetustate expoliamur, & nouitate induimur diligendo. Sed nec quisquam potest continens esse, nisi Deus det, & charitas Dei diffunditur in cordibus nostris, non per nos ipsos, sed per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. hoc autem fit de die in diem in iis, qui uolendo, & credendo & inuocando proficiunt, & præterita obliuiscentes, in ea, quæ ante sunt, extenduntur. Infinitum esset singula Augustini loca numerando percensere, quibus docet, Christianæ uitæ, dum corporis carceribus detinemur, perfectionem, in eo maximè consistere, ut cum cupiditatibus cõtinenter bellum

geramus, atque indies singulos proficiendo, ad perfectam illam beatorum libertatem magis ac magis accedamus. Quæ si tibi minus probantur, Euangelium etiam ipsum improbes, & condemnes necesse est.

R. DO.

DIEGHI PAYVA ANDRADII, LVSITANI, ORTHODOXARVM EXPLICATIONVM LIBER SEXTVS.

De Iustificatione.



SI QVANDO puram, & integram mentem omniq; scelere uacuam magnopere optaui, Spiritus sancti afflatum, eruditionis præstantiam, orationis grauitatem, eloquentiæque uim singularem uehementer unquam expetiui, nũc profectò maximè expeto, qui eã de iustitiæ ui atq; ratione disputationẽ ingredior, in qua Ecclesiæ hostes pertinacius delirant, & petulantius insaniunt. Tantis uerò est difficultatibus implicata, ut nisi iustitiæ cognitionem is largiatur, qui iustitiam copiosissimè donat, maximis tenebris inuoluamur, atque in summa ignorationis nocte uersemur necesse sit. Cuius numine fretus auxilioque confisus, ea potissimùm iustificationis capita explicabo, quæ Kẽnicius euertere in primis cupit. Ita enim in diuinam gratiam ueluti furore percitus insultat, ut ipsa etiam iustificationis fundamenta labefactare, & conuellere moliatur. Cùm enim impia Caluini uestigia persecutus, iustificationem putet in sola scelerum uenia positam esse, non potest non grauiter reprehendere

Co-

Colonienſes, quòd affirment, iuſtificationis nomimine ſolam iuſtitiæ acquiſitionem ſignificari; ſicut & iuſtificari, unde iuſtificationis uocabulum ortum habet, iuſtum fieri deſignat. Id enim cum Hebraicæ linguæ, cuius ignarum ſe eſſe ſatis prodit, proprietate (unde ſcripturæ ſacræ uerum ſenſum petendum eſſe ait) in primis pugnare arbitratur. Hebræis nanque הִצְדִּיק ſiue iuſtificare, *Verbum* (inquit) *eſt forenſe, ſignificans reum in iudicio abſoluere, iuſtumque pronunciare.* unde concludit, *iuſtificare impium, nihil eſſe aliud, quàm peccatorem per, & propter Chriſtum abſolui à reatu, & ſententia damnationis imputata, ſibi per fidem iuſtitia mediatoris Chriſti.*

Vt uerò à uocis huius ui atque uſu ordiamur, Non inficior, iuſtificare, ſæpius in diuinis ſcripturis, pro eo quod eſt, reum abſoluere, accipi: unde eſt, iuſta illa apud Ieſaiam reprehenſio; Væ qui iuſtificatis impium pro muneribus, & iuſtitiam iuſti aufertis ab eo. hoc eſt, uæ illis, qui corrupti muneribus, nocentes abſoluunt, & innocentes ſcelere condemnant, omnemque iudiciorum rationem, non æquitate cauſæ, ſed magnitudine pecuniæ metiuntur. Et alibi, in hunc modum inanium Deorum uanitatem, & illorum hominum, qui in illis ſpem collocāt, amentiam condemnat, Omnes gentes congregatæ ſunt ſimul, & collectæ ſunt tribus, quis in uobis annunciet iſtud, & quæ prima ſunt, audire uos faciet? dent teſtes eorum, & iuſtificentur. hoc eſt, teſtes adducant, an à ſuis Dijs ſimilia beneficia acceperint, cauſam dicant, uanitatis à ſe ſuſpicionem depellant, ut hominum ſententijs abſolui poſſint. Quæ uocabuli huius notio etſi in ſacris literis fre-

Quid ſit iuſtificare, apud Hebræos.

Ieſ. c. 5.

Ieſ. c. 43.

frequentissima sit, non ita tamen perennis est ac propria, quin plurimis in locis iustum facere, iustitiaq; mentē exornare significet. Iesus enim Sirach filius, cùm pietatem & religionem erga Deum commendat, illam (inquit) iustificare cor, summamque illi iucunditatem atque gaudium tribuere. Et alibi, Nihil (inquit) sit, quod te impediat orare semper, prohibeat'ue usque ad mortem iustificari, hoc est, maiores in dies in iustitia progressus facere. Neque enim præmium pijs iustisque hominibus propositū inane est, & terminatum, sed constans atque sempiternum. cuius sententiæ minimè dissimilis est illa apud Ioannem; Qui iustus est, iustificetur adhuc, & qui sanctus est, sanctificetur adhuc. Cùm uerò scelerum uenia imperfecta esse & inchoata, nec augeri ullo modo possit, in illam sanè hæc sententia quadrare nequit. Iesaias item maxima illa beneficia, quæ Christus in nos sua morte contulit, commemorans, in potissimis numerat, quòd scientia sua multos mortales errore liberauerit, & cognitione diuini numinis illustrauerit, ut non solùm ipse iustus sit, sed omnes, pro quibus pœnas grauissimas pertulit, à prauitate conuersos, iustitiæ diuinis opibus & ornamentis afficiat. In scientia sua (inquit) iustificauit ipse seruos meos multos, & iniquitates ipsorum ipse portabit. Cùm uerò Christi scientia iustificatos dixit, satis indicauit, non aliam se iustificandi rationē significare uoluisse, quàm Christum euangelij doctrina, diuinarumque rerum cognitione hominibus ad iustitiam aditum dare, uiamque commonstrare, qua iustitiæ opes comparare facilè possint.

Eccl. c. 1. Eccl. c. 18 Apoc. c. 22. Iesa. c. 53.

Vnde

Vnde euangelij doctores, Daniel מַצְדִּיקֵי הָרַבִּים idest *Dan.c.12*
iustificatores multorum uocat, quod uulgatus interpres, sensum magis, quàm uerba retinens, uertit, qui ad iustitiam erudiunt multos. Duces enim nobis sunt, ut flagitiorum contagijs abiectis, iustitiæ præclarissima ornamenta consequamur. Illam uerò iustificandi rationem, quæ in scelerum uenia posita est, etiam Iesaias innuit, cùm ait, Et iniquitates ipsorum ipse pertulit. *Ies.c.53.* Quare, Kemnici, si tantummodò Hebraicæ linguæ usum spectes, nihil sanè certi habere poteris, cùm iustificandi uocem non semper esse forensem, sed uariè in scripturis usurpari, satis cõstet. Quare quæ sit iustitiæ ratio, ac qua in re iustificationis uis potissimùm posita sit, nõ tàm ab Hebraicæ linguæ proprietate, quàm ab apertissimis scripturæ locis, quæ iustificandi ordinem ac rationem, iustitiæque ipsius uim & naturam tradunt, accipiendum est. quibus inducti Colonienses, docent, iustificare, nihil esse aliud, quàm iustum facere, atque iustitiæ ornamenta tribuere. Quæ cum legerem, & summa uoluptate afficiebar, & Kemnicij in mentiendo audaciam & procacitatem non poteram satis mirari; quẽ non pudet affirmare, Coloniẽses arbitrari, *ex solis placitis Aristotelis, atque ex usu linguarum uulgarium petendam esse uocabuli, iustificationis, uim & significationem, non autem ex scripturæ sacræ loquendi usu, & consuetudine.* Quanquàm enim principiò physicis illi rationibus, uocis huius, qua de agitur, propriam notionem acutissimè indagauerint, atque patefecerint, eam tamen demum, quàm plurimis scripturæ sacræ atque sanctorum patrum testimonijs apertè & copiosè demonstrarunt: à qua ne

que Hebraicæ linguæ usum abhorrere, non obscurè indicarunt.

Qvi uerò loca omnia, in quibus iustificationis uocabulum à Mose atque prophetis usurpatum est, diligenter examinauerit, uix quidem reperiet, peccatorum ueniam illo unquàm significari, sed diuina iussa atque præcepta, debita legis officia piè & religiosè suscepta; ut apud Danielem, Non in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciē tuā, sed in miserationibus tuis multis. quippe quia is solus uerè iustus dicendus est, qui diuinam legem sanctè obseruat, ut paulò pòst demonstrabimus. Iustificari uerò non eò solùm impios dici, quia eis scelera condonantur, sed quia illorum mentes diuinis opibus atque muneribus abundè exornantur, satis. D. Paulus significauit cùm iustificationem à peccatorum uenia usque adeò disiunxit, ut hāc Christi morti, illam uerò eiusdem resurrectioni ascribendam esse existimauerit. non quidem quòd Christi mors iustitiam humano generi promereri non satis potuerit, sed quia peccatorum necem atque interitum, illa magis exprimit & designat. Iustitiæ uerò ornamenta resurrectionis Christi gloriam & splendorem præseferre magna ex parte uidentur. Quare cùm Colonienses iustificare diffiniunt, esse iustitiam infundere, siue iustum facere, ita cum philosophis consentiunt, ut à sacris literis & à sanctis patribus dissentire nullo modo uideantur. D. enim [a] Augustinus atque Hieronymus, ut cæteros sanctissimos patres taceam, quàm sæpissimè asserunt, iustificare, esse ex impio facere pium, ut de cætero in ipsa pietate, atque iustitia

Dan. c.9.

ad Rom. c.8.4.

[a] *Aug. epist. 120 & lib. ex positionū quarundā propos. e pist. ad Rom. Hieron. in epist. ad Gal. lib. 1. c. 5.*

iustitia permaneat. Cùm uerò Augustinus ait, si quis ex agro iniustè inuaso largas facit eleemosynas, non ideò rapinam iustificat (quo se loco potissimùm tuetur Kemnicius) nihil aliud iustificandi uerbo intelligit, quàm iustam facere rapinam, quæ summum habet scelus atque iniuriam coniunctam, ut iam nõ sceleratè, sed iustè alienum à agrum possidere uideatur, quem iniustè inuaserat. quod mox explicat cum addit. Ita neque concubinæ ad tempus adhibitæ, si filiorum causa concumbant, iustum faciunt concubinatum suum. *Aug. de bono coniugali. c. 14.*

At inquis, ista iustificatio, quam sancti Patres definiunt, esse ex impio facere pium, nullam quidem inhærentem iustitiam secum adfert, ut Colonienses fingunt, sed in sola scelerum uenia posita est, cùm is iustus ac pius dicendus sit, cui remissæ sunt iniquitates, & cuius tecta sunt peccata. Quam Caluini nouam, futilem, & commentitiam sententiam, ex uocabuli iustificandi, ui, atque usu, probari nullo modo posse, apertè (ut puto) demonstrauimus. at uerò quantum à ueritate absit longissimè, diuino fauente numine mentium omnium iustificatore, mox docebimus. Diuersæ enim & maximè disiunctè quæstiones sunt, An ita se res habeat, & Vtrum ex uocis significatione concludi rectè possit. qua posteriore explicata, de priori iam sermo est nobis instituendus, atque principiò Kemnicij sententia aperienda, ut quid in quæstione, disceptationeque uersetur, constet.

In priori, secundo, sexto, & septimo Axiomate accusat acerbissimè Colonienses, quòd doceant, iu-

ſtificare, eſſe iuſtitiam inhærentem in hominum mẽ tes infundere. Caluini enim impietatibus delibutus perſuadere ſibi nullo modo poteſt, iuſtitiam noſtram, diuinam eſſe aliquam qualitatem, mentibus infixam, quippe qui arbitratur, iuſtificari, nulla alia ratione impios dici, quàm quia peccata à Deo, illis condonantur. Cum tamen uideat, ſecũ illos pugnare, qui iuſtum eum dicunt, qui iuſtitia caret, iuſtos ait nos eſſe ob ſolam Chriſti iuſtitiam, non quidem nobis collatam, ſed fidei miniſterio nobis imputatam. Nam cùm Chriſti mortem fide apprehendimus, ſcelera cenſet nobis condonari, & Chriſti iuſtitiam coram Deo noſtram haberi. Minimè tamen inficiari audet, *In iuſtificatione ſimul dari Spiritum ſanctum, qui mentem illuminat, cor renouat, noua dona, & nouas uirtutes inchoat in mente, uoluntate, & corde renatorum*. Quæ ad iuſtificationem pertinere, nullo modo putat, ſed *ad renouationem potius, ſeu ſanctificationem interni hominis*, quam à iuſtificatione ualde eſſe diſiunctam, & diuerſam arbitratur. Qui uerò amoris, quo Deus homines proſequitur, præſtantiam, condonandiq; illorum ſcelera rationem, diligenter expenderit, ſatis profectò intelliget, quàm ii à ueritate abſint longiſſimè, qui ueram iuſtitiam, aut peccatorum ueniam, ſine diuino aliquo mentibus inhærente dono, extare poſſe exiſtimant. Nam ſi ſacrarum literarum monimenta accuratè euoluerimus, perſpicuum ſanè fiet, impios & ſceleratos homines, non modò Dei in ſe iracũdiam, atque indignationem flagitijs commouere, ſempiternisq; ſe ſupplicijs deuouere, ſed in acerbiſſimum diuini numinis odium incurrere, illiusq; hoſtes effici.

ci. Paulus enim sumpto ex Malachia testimonio, Deum affirmat Iacob dilexisse, Esau autem odio habuisse; Solomon uerò non impietatem modò, sed & impium ipsum summo odio, Deum prosequi testatur. Ecclesiasticus item eò potissimùm miseram & infelicem flagitiosorum hominum conditionem iudicat, quia Deo in summo odio sunt. Quare tum certè illorum scelera condonata esse uidebuntur, cũ Deus Opt. Max. inimicitiis depositis, acerbum illud odium, in amplissimum, & dulcissimum amorem cõuerterit, atque in illius gratiam reconciliati, non iã hostes, sed amici Deo charissimi esse cœperint. Quo Dei erga se amore quandiu quis caret, tamdiu in uitiorum luto, atque stercore uolutetur necesse est. Diuini uerò in omnes amoris uis, atque ratio, in eo quidem sita est, ut summis illos, quos diligendos suscepit, atque amplissimis beneficijs exornet. Omnia enim, quæ Dominus fecit, ideò diligere dicitur, quia admirabili illa prouidentia gubernat, charitate fouet, potentia tuetur, & conseruat. Nam cùm diuina mens constans maximè sit, & immutabilis, nulla unquam certè amoris noua affectione permoueri, & excitari, neque illius stabilis, & firma uoluntas ab odio, in amorem mutari potest. At cùm amplissimis Dei muneribus augemur, tantisq; ac talibus beneficijs afficimur, quæ satis Dei erga nos amorem, officiosissimam charitatem, egregiamq; beneuolentiam declarant, à Deo diligi dicimur. Est enim Dei amor à nostro uel ea de causa maximè disiunctus, quòd nos ex præconcepta aliqua pulchritudinis & bonitatis specie ad amandum inducimur, & incitamur.

Malach. c. 1.

Sap. 14.

Eccl. c. 14

Dei

Dei uerò in nos amor omnibus nos bonis cumulat, innumerisque beneficijs afficit, quod Moses apertè docuit, cùm his uerbis filios Israel ad pietatem & Diuinum amorem incitat, & allectat, Non quia cunctas Gentes numero uincebatis, uobis iūctus est dominus, & elegit uos, quum omnibus sitis populis pauciores, sed quia dilexit uos dominus, & custodiuit iuramentum, quod iurauit patribus uestris, eduxitque uos in manu forti, & redemit de domo seruitutis, de manu Pharaonis Regis Aegypti. Cùm igitur peccatorum uenia sine Dei in nos amore esse non possit, consequitur sanè, cœlestibus opibus, atque muneribus mentes illas abundè exornari, quibus scelera, Dei beneficio condonantur. Quæ uerò illa sint munera, apertè Christus docuit, cùm apud Ioannem ait, se atque patrem ad eos uenire, quos diligunt, atque mansionem apud ipsos facere. At uerò cum rebus omnibus ij continenter assideant, neque abesse ab illis unquam possint, liquidò sanè constat, peculiari aliqua ratione, iustorum mentes habitare, diuinaq; secum ornamenta afferre, quibus cũ mentes illustrantur, Spiritus sancti domicilia, æterniq; numinis sedes dici possunt. Quì enim fieri potest, ut quam mentem Deus bonorum omnium fons & scaturigo incolit, non egregiis opibus locupletet? Quod satis Solomon explicauit, cùm impossibile fore asserit, ut à Deo is diligatur, qui cum sapientia non habitauerit, quæ (inquit) per omnes ætates in animas sanctas delabitur, atque amicos Dei, & prophetas constituit. Hanc autem sapientiam, qua cum habitare is debet, quem Deus amore complectitur, pau-

Deut. c.7

Ioá. c.14

Sap. c. 1.

paulò antea idem Solomon ita definiuit, Est spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex, subtilis, disertus, mobilis, incoinquinatus, certus, suauis, amans bonum, acutus, qui nihil uetat benefacere, humanus, benignus, stabilis, certus, securus, omnem habens uirtutem, omnia prospiciens, & qui capiat omnes: spiritus intelligibilis, mundus, subtilis. qui uerò talem domi habet, non hospitem quidem, & peregrinum, sed domesticum, & contubernalem, nullis diuinis ornamentis affectum iri putabimus? cùm præsertim non alia ratione tam illustres tituli illi conueniant, quàm quia hominum animos hisce honoris insignijs cœlestibusque opibus locupletat. Neque enim quia ipsæ, diuinæ personæ in hominum mentibus, atque ipsis uisceribus penitus insident, apud illos habitare dicuntur, sed quia summis atque amplissimis donis à Deo augentur, cœlestisque ac diuina quædam uis illis inhæret, quam nos gratiam, atque iustitiam appellamus. Quod D. Paulus Romanos docuit, cùm illorum, in quibus Christus habitat, corpora, mortua esse asserit propter peccatum, spiritùm uerò uiuere propter iustificationem, hoc est, ob iustitiam illis Christi beneficio collatam. quod apertius explicauit, cùm dona nobis Christi morte data, cum damnis Adæ peccato, humano generi allatis conferens, piorum hominum uitam in abundantia gratiæ, donationis, & iustitiæ sitam esse, ait. Hanc uerò gratiæ, & iustitiæ abundantiam D. Aug. in eo positam esse ait, quòd nō ei tantùm peccato, in quo omnes peccauerunt, sed ei etiam, quæ addiderunt, gratia remissionis datur,

Rom.c.8. *Rom.c.5.* *Lib.1. de pecca. meritis, & remiss. c.13.*

atque

atque etiam quia ipsis hominibus tanta iustitia donatur, ut cùm Adam consenserit ad peccatum suadenti, non consentiant isti etiam cogenti, quæ sine inhærenti aliquo dono effici nullo modo possunt. Cùm igitur iustificatio sine peccatorum uenia esse nullo modo possit, hæc uerò ex peculiari Dei in nos amore pendeat, quo illos solùm complectitur, quorum mentem habitat; suam uerò istam habitationē omnibus hisce, quæ enumerauimus donis, & amplissimis muneribus necessitate quadam compleat, & exornet, colligitur sanè, iustificationem sine inhærentibus Dei donis esse, nullo modo posse.

QVOD quidem longè fiet exploratius, si ad iustitiæ uim atque rationem animum aduertamus. Nam cùm iustificare, sit iustum facere, iustificatus certè is dici nullo modo potest, qui iustus non est: iustus autē esse nequit, qui iustitia caret. quare ex iustitiæ ratione diuinis literis explicata, iustificationis uis, atque ratio petenda est. Iustitiam uerò constantem esse mentis rationisq; æquitatem, & moderationem, quæ omnes suas actiones & consilia, diuina lege, atque uoluntate metitur, sacræ nos literæ docēt. quam & Cicero præclarè admodū definiuit, esse obtemperationem legibus. Nam cùm diuina uoluntas, omnis sit æquitatis, & iustitiæ norma, iustus certè is solùm dici potest, qui diuinæ uoluntati omnibus in rebus paret: quare & diuina ipsa præcepta, passim iustitiæ appellantur. Ita enim Moses filios Israel ad legis officia hortatur, Attende & audi Israel, hodie factus es populus domini Dei tui, audies uocem eius, & facies mandata atque iustitias, quas ego præ-

Cic. li. de legibus.

Deut. c. 23.

præcipio tibi hodie. Solomoni uerò amplissimos honoris, atque dignitatis gradus Deus Opt. Max. polliceretur, si omnes eius iustitias, atque iudicia seruasset. Extrema uerò supplicia, maximasq; calamitates comminatur, si eas ipsas iustitias atque præcepta uiolasset. Regius item uates Dauid, cùm Deum interrogat, quis habitare in eius domicilio, atque stabilem sedem in sancto atque cœlesti eius monte habere possit, ita Deum respõdentem inducit; Qui ingreditur sine macula, & operatur iustitiam, quam in mẽtis puritate, uirtutumq; omnium officiis positam esse, consequẽter toto Psalmo docet: vnde est, ut uulgatus interpres uocem Hebræam חק, quæ ius atque scitum propriè significat, modò iustificationem, modò præceptũ uerterat, quippe quia æquè ad diuinam legem notandam utrunque nomen ualet. Christus item cum apud Matthæum docuit, Christianis hominibus maximè cauendum esse, ne iustitias suas in omnium ore atque oculis, ad inanes plausus captãdos facerent, omnia officia, iustitiæ nomine complexus est. In quibus quantum oporteat, præter cæteros antecellere eos, qui in sacro lauacro Christo nomen dederunt, his uerbis significauit, Nisi abundauerit iustitia uestra plusquàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum. Cum uerò ex iustitia iusti nominemur, D. Ioannes, eos, qui iustitiam faciunt, hoc est, qui diuinam legem perfectè obseruant, iustos esse, atq; ex iustissimo Deo ortos fuisse, testatur. Quod quidem cum Philosophorum egregio illo axiomate, iustitiam suo cõplexu uirtutes omnes coercere, atque continere, maxi-

2. lib. Paralip. c. 3. *Psal. 14.* *Psal. 118* *Matt. c. 6* *Matt. c. 5* *Ioan. 1. epist. c. 3.*

mē conuenit. Quare nihil iustitia est aliud, quàm habitus animi diuina lege conformatus, ad parendum diuinæ legi, atque uoluntati, uirtutumque omnium officia obeunda inducens. Quod D. Paul. apertè his

Rom.c.2. uerbis designauit in ea epistola, quæ est ad Rom. Si præputium (inquit) iustitias legis custodiat, non'ne præputium illius in circuncisionem reputabitur? & iudicabit id, quod ex natura est præputium, lege consummans te, qui per literā & circuncisionem præuaricator es legis? Non enim qui in manifesto Iudæus est, neque quæ in manifesto, in carne est circuncisio, sed qui in abscondito Iudæus est, & circuncisio cordis in spiritu non in litera. hoc est, qui mentis affectione, legis obseruantiam retinent, illamq; animo inclusam uenerantur, uerè iusti, uereque Iudæi sunt, & filij Abrahæ, cui fides reputata est ad iustitiam. Cum tamen peccatum diuinæ legi quàm maximè aduersetur, iustus certè is dici non potest, qui tetris est peccatorum maculis inquinatus, & cui nondum sunt omnia crimina condonata. Quare iustificari aliquando ij etiam dicuntur, quibus peccata diuino beneficio condonantur. Ita enim Paulus Iudæos al-

Act.c.13 loquitur, Notum sit uobis fratres, quia per hunc uobis remissio peccatorum annuntiatur, ab omnibus, quibus non potuistis in lege Mosis iustificari. Roma-

Ro.c.6. nis etiam scribens, illos à peccato iustificatos dicit, quia illi mortui sunt, nō quidem quòd hic scelerum interitus omnes in se iustitiæ numeros cōtineat, sed quia iustificationis pars est altera; quam duabus constare partibus, remissione scilicet peccatorum, & legis obedientia, satis ex his, quæ diximus, constare

puto,

puto, & D. Paul. apertè his uerbis docet, Quod impossibile erat legi, in quo infirmabatur per carnem, Deus filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato (idest gratissimā Deo hostiā, & quæ scelera expiare facilè potuit) damnauit, peccatum in carne, ut iustificatio legis impleretur in nobis, qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. At secundum spiritum ambulare, is solùm dici potest, qui legem spiritus uitæ in Christo Iesu studiosè obseruat. quæ legis obseruatio cum peccatorum uenia coniuncta, iustificationem perficit, & absoluit. Quod quidem Concilium Mileuitanum contra Pelagij deliriationes coactum, ita definiuit, Quicunque dixerit, gratiam Dei, in qua iustificamur per Iesum Christum dominum nostrum, ad solam remissionem peccatorum ualere, quæ iam commissa sunt, non etiam adiutorium ut non committantur, Anathema sit. Cum uerò is, qui se ab omni flagitiorũ genere tẽperat, legem castè & sanctè obseruare uideatur, gratia uerò, qua iustificamur, uires addat, ut à peccatis omnibus abstinere possimus, diuinæ certè legis amorem atque obseruantiam in iustorum mentibus insculpit. Quare præclarè admodum D. Aug. sentit, uniuersam iustitiæ rationem, unico innocentiæ uocabulo contineri. Nam qui uerè innocens est, non modò omni scelere caret, sed sibi ab omni flagitio temperat, atque diuinam legem sanctè custodit; quam esse accommodatam iustitiæ rationem egregiè quidem colligit, ex peruulgata iustitiæ definitióne; Iustitia est uirtus, quæ suum cuique tribuit. Cùm uerò debi-

ad Rom. 8.

ad Ro. 8.

Conci. Mileuitani. cap. 3.

August. in Psal. 100.

August. 19. De Ciuit. Dei c. 21.

tum esse nihil magis possit, quàm ut homo Deo seruiat, animus corpori, ratio libidini, cæterisque nefarijs cupiditatibus imperet, qui fieri potest, ut iusti ij sint, qui Dei obedientiam abijciunt, rationisq; diuinæ legi conformatæ imperium recusant? Quapropter uitæ huius iustitiam in eo sitam esse ait, ut obedienti Deus homini, animus corpori, ratio autem uitijs etiam repugnantibus imperet, uel subigendo, uel resistendo, atque ab ipso Deo petatur uel meritorum gratia, uel uenia delictorum, ac de acceptis bonis gratiarum actio persoluatur. Et alibi, iustificationem inquit, in hac uita nobis secundum tria conferri, lauacro regenerationis, quo remittuntur admissa peccata; congressione cum uitijs, à quorum reatu absoluti sumus; atque dum exauditur nostra oratio, qua dicimus, Dimitte nobis debita nostra. Clemens uerò Alexan. uirtutum omnium perfectionem, quadratam iustitiam elegantissimè uocat.

August. 19. lib. de Ciuit. Dei. c.27

Aug. lib. 9. contra Iul.

Strom. lib. 6.

At (inquies) ij, quibus gratis Deus scelera condonat, & qui cum impij essent; diuino beneficio, nullis præeuntibus meritis iustificantur, iusti certè dicendi sunt, etiam antequàm ulla præclara opera suscipiant, atque ulla officia exequantur. Quod sanè si ad infantes, quorum maculæ sacro lauacro eluuntur, animum aduertamus, fiet notius & exploratius, quos iustificari satis constat, cùm nondum sint mentis ac rationis compotes, neque diuinam legem tenere ulla ex parte possint. si tamen diuinæ legis momenta diligenter obseruemus, & quæ sit illius potissima uis, accuratè inquiramus, iustificationis certè rationem præclarè percipiemus, neq; quid-

Quomodo iustitia in legis obseruátia posita sit.

quidquam erit, quod nobis in hac quæstione difficultatem afferre possit. Quare animum, quæso Kemnici, attende, in hoc enim quæstionis summa, causaque tota consistit.

VNIVERSAM legem in diuina dilectione inclusam contineri, & aliàs demonstrauimus copiosè, & ex sacris literis apertè constat. omnia inquit Paulus unico uerbo instaurari, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo. Christus uerò solam dilectionem, suum præceptum appellauit, quippe quod sibi esset quasi peculiare, atque reliqua omnia cōplecteretur. Sed quid Christum gratiæ auctorem, charitatisque exemplar commemoro? Moses quidem ipse, qui tanta præceptorum atque ceremoniarum mole miserum populum presserat, omnia tandem dilectione complexus est; Circuncidet (inquit) Deus cor tuum, & cor seminis tui, ut diligas dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & in tota anima tua, ut possis uiuere. Quare qui charitatem Spiritus sancti munere menti habent infixam, & penitus insitam, totam sanè legem intra se continent, animūq; illa habent mirabiliter informatum, atque adeò uerè iusti sunt, quanuis nulla sese diuinæ legis officia exequendi occasio offerat; quippe quia mens charitate exornata, non modò à diuina lege, atque uoluntate non est auersa, sed omnes eius partes ita in proprio cuiusque munere illius ui continentur, ut facilè Spiritus sancti impulsu duci se patiantur; & charitatis, quæ animi imperium tenet, inductum sequantur. Cum igitur iustitia in peccatorum condonatione, atque diuinæ legis obseruantia posita sit, ut demon-

Rom. c. 13

Deut. 6.

monstrauimus, tum certè homo iustificatur, cùm
Rom.5. charitas Dei diffunditur cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui nobis donatur, ut mens cœlesti lege informata, Dei uoluntati non aduersetur, sed potius eius amore illustrata, ad legem seruandam parata sit, & expedita. Quinimmo Dei conseruare legem is solus dici potest, qui charitate, qua uniuersa lex continetur, est mirabiliter exornatus. Quare fœdus illud nouum, cum filijs Iudæ, atque Israel Christi sanguine ictum, quo omnis iusticiæ summa
Ieremi. c.31. continetur, duobus capitibus constare Ieremias dixit. primum illud est, quòd Deus omnibus esset scelera libenter condonaturus: alterum uerò, quòd diuinam legem eorum esset uisceribus insculpturus, mentibusq; impressurus. id autem fit, quando diuina charitas hominum animis infunditur, quæ uniuersam legem complectitur, crimina diluit, scelera extinguit, omneq; tetri facinoris uestigium abolet.
Prouerb. c.10. 1.Petri. c.4. Eam enim præ cæteris officijs Solomon ac D. Petrus ideò commendant, quia peccatorum multitudinem operit. D. autem Paulus eandem, perfectissimum uinculum appellat, quia sceleribus omnibus
ad Colo. c.3. extinctis, nos cum Deo arctissimè connectit, & copulat. Cuius dignitatem non aliter explicari posse
1.Ioan. c.4.7. D. Ioannes existimauit, quàm si Deum illam appellaret, qui tum nostras mentes habitare censetur, cùm illas charitate perfundit: quæ peccatorum ueniam,
Luc.c.7 diuinaq; ornamenta secum infert. Mulier enim, quæ tam erat scelerum turpitudine infamis, ut peccatrix uulgò diceretur, ideò ueniā tam facilè est consecuta, quia multum diligebat. nisi enim charitas præeat,

eat, mentemq; illustret, peccata deleri nullo modo possunt. Lex enim (inquit Paulus) spiritus uitæ in Christo Iesu, liberauit me à lege peccati, & mortis. legem autem spiritus uitæ uocat, charitatis legem, quam diuinus ille, uitalisq; spiritus iustorum mentibus inscribit, cuius ope à durissima peccati seruitute eripiuntur, & in libertatem, quæ filijs Dei propria est, & peculiaris asseruntur. vnde est quòd D. Augustinus iustitiam, nihil esse aliud putat, quàm charitatem, Charitas (inquit) inchoata, inchoata iustitia est; charitas prouecta, prouecta iustitia; charitas magna, magna iustitia; charitas perfecta, perfecta iustitia est. Quare nihil sanè potuit ineptius, & diuinis oraculis magis repugnãs excogitari, quàm sanctificationem à iustificatione seiunctam esse, & separatam. Nam cùm ex sacris literis constet, teterrimas peccatorum tenebras nõ nisi charitatis luce, & splendore expelli atq; exterminari, qui ita desipiunt, vt iustificationem in sola scelerum condonatione, sanctificationem uerò in charitatis, uirtutisq; infusione ponant, sanctificationem certè præcurrere, & præire iustificationem, dicant necesse est, atq; adeò, sanctificationem, iustificationis causam esse. quod ab omni est, & scripturarum, & rationis sensu alienum. Sanctificatus enim is esse, neq; intelligi quidem potest, qui tetro aliquo fuerit, peccati contagio contaminatus. Quare nulla quidem ratione sanctificationem, à iustificatione separare, ac discernere debemus, quin immo in ipsa sanctificatione iustificatio collocanda est. Quanuis enim, si tempus spectemus, eodem momento, quo charitas infunditur, peccatorum omnes sordes

Rom. c. 8.

August. lib. de natura & gratia. c. 70.

fordes diuino beneficio eluantur. attamen si ad ordinem, quem Philosophi naturæ uocant, animum aduertamus disiuncta hæc sanè sunt ualdè, & separata. charitatis enim in animam ingressionem, priorem esse, uel inde satis constat, quòd illius ui & potentia crimina omnia eluuntur. Quòd si ad rerum naturam animum aduertamus, facilè intelligemus, ea, quæ tempore disiungi nunquàm possunt, ordine esse quàm disiunctissima. quis enim ita cœcus est, qui nõ uideat, teterrimas tenebras toto aere circunfusas, non aliis machinis quàm candentis solis radiis expelli? Quis item nesciat, aerem illustrem esse ac clarum, nisi expulsis tenebris non posse? Quæ omnia si tempus spectes, simul esse, ac maximè coniuncta, satis inter omnes constat: si uerò ordinem, ac causam, primò quidem aduentantem solem, tenebras deinde luminis uim ac impetum declinantes, splendentem tandem aerem, & undiquaque clarum, intelligas oportet. Quod ipsum in rerum omnium generatione cernere est. fieri enim nulla ratione posse, ut ultima materiæ ad formam concipiendam præparatio, quam ultimam dispositionem uocant, materiæ insit absente forma, egregii Philosophi apertè demonstrant: illam tamen materiæ postremam præparationem ordine formam præire, uel ipsum præparationis, siue dispositionis nomen satis edocet. Quare minimè mirandum est, si dicamus, charitatem ordine ac causa anteire peccatorum interitum ac ueniam, cùm tempore sint coniunctissima, neque ullo momento cum sceleribus illa esse simul possit. Quare impij iustificationem magis in charitate diuinam le-
gem

gem complectente atque coercente, quæque mentem informans hominem Deo pergratum, perq; acceptū reddit, quàm in scelerum uenia positam esse, satis constat: quanquàm sine peccatorum uenia neque intelligi quidem iustificatio possit. Nec enim æterna illa Dei sapientia, diuinusq; spiritus corpora habitat fœdissimis peccatis contaminata. à quibus expurgari, nisi aduentante iustitia, quæ diuinæ legis obseruantiam continet, nullo modo possunt. Charitas enim Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datus est nobis. Tum uerò Spiritus sanctus nobis confertur, quando, peccatis omnibus extinctis, in gratiam cum Deo redimus, iustiq; efficimur. Nisi ita iustificationem abijcis, & contemnis, ut iustos illos dicas, à quibus Spiritus sanctus abest quàm longissimè; qui tunc aduenire dicitur, cùm mentem charitate perfundit. Quæ quia animum diuinæ legis amore informat atque ad illius obseruantiā incitat, & inducit, iustitia dicitur. *Rom. c.5*

AT inquis, *si reconciliatio cum Deo, & adoptatio nostra, dilectione comparatur, falsum est quidquid scriptura concionatur de reconciliatione, et adoptione per et propter Christum. iusto ergo dolore exclamabimus cū Paulo, si nostra charitate, quæ est legis summa, cū Deo reconciliamur, & filij Dei efficimur, frustra ergo Christus mortuus est.* *Item.'3. Axio.* *Gal. c.2.*
Quàm uerò hîc Kemnicius turpiter labatur, & erret, satis intelliget, qui discrimen inter causam aliquid efficientem, & inter causam informantem perpenderit. formæ enim, quibus res quæpiam constituūtur, ab efficientibus causis quodammodo efficiuntur, atque exoriuntur, quare non solùm causæ sunt, sed etiam effectus. Causæ uerò efficientes in uniuersa a-

ctione sunt principes. Charitati igitur, nemo est, qui causæ efficientis in impij iustificatione nomen, ac dignitatem tribuat, quod soli Deo omni ratione con-
Rom. c.4 uenit. is enim solus est, qui iustificat impium; is, qui
Iesa. 43. peccata delet propter seipsum; is, qui Spiritum sanctum donat; qui charitatem infundit, & à quo omne
Iac. c. 1. datum optimum, & omne donum perfectum proficiscitur: charitas uerò, illa forma est, quam Deus à seipso prouocatus, solaq; misericordia permotus mētibus infert, cùm impios iustificat, & ob quam iusti dicimur. quippe quia, peccatis eius munere deletis, in Dei gratiam reconciliamur, & humana mens diuinæ legi conformatur. Quare minimè quidem Colonienses sentiunt, impij reconciliationem cum Deo, dilectione nostra effici, sed ueluti perfici; non comparari, sed expleri, & tunc iustum quempiam dici, cùm Spiritus sanctus in illius cor diuino beneficio diffusus, charitate illud exornat, & locupletat. vnde constat, nihil eos Christi morti ac sanguini derogare, qui charitatem, qua iustificamur, illi uni referunt acceptam. Quod præclarè admodum Conci-
Sess. 5. lium Tridentinum explicauit. Nam iustificationis
sub Pau- causas enumerās, efficientem inquit esse, misericor
lo.3.c.7. dem Deum, qui gratuitò abluit, & sanctificat, signās & sanctificans spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ; meritoriam autem dilectissimum unigenitum eius filium dominum nostrum Iesum Christum, qui cùm essemus inimici, propter nimiam charitatem, qua dilexit nos, sua sanctissima passione in ligno crucis nobis iustificationem meruit, & pro nobis Deo patri satisfecit. Formalem demum

mum (ut cæteras taceam) iustitiam esse Dei, non qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit; qua uidelicet, ab eo donati, renouamur spiritu mentis nostræ, & non modò reputamur, sed uerè iusti nominamur, & sumus. Hanc uerò nos iustitiam, charitatem esse dicimus, quæ legem uniuersam coercet, & continet, cuius officia sacræ literæ iustitiam uocant. qua & D. Aug. ait nos sanctificari, efficiq; ne à Deo auertamur, sed ei potius quàm huic mũdo conformemur. *August. de moribus Ecclesiæ Catholicæ.*

NEMO uerò mihi obiiciat Paulum, abiicientem & cõtemnentem iustitiam, quæ ex lege est, extollentem uerò atque mirum in modum commendantem illam, quæ est ex fide; & inter ea, quæ propter Christum quasi summa detrimenta despicienda esse putauit, enumerantem, iustitiam, quæ in lege est. ut ne scilicet inueniretur in Christo, iustitia quæ ex lege est, sed illa, quæ ex fide Christi excitatur, auctus atque exornatus. *Philippēses.c.3.* Nam si omnia Pauli loca, in quibus de hac iustitia, quæ ex lege habetur, sermonem facit, diligenter expendamus, fiet sanè compertum, non quidem illam, quæ in iusta ac pia legis obseruatione posita est, improbare, sed eam, quæ cum summa quadam mentis elatione coniuncta, nõ diuinæ gratiæ opibus, sed solis liberi arbitrij uiribus ascribitur; nec ardẽti in Deum charitate, sed cruciatuum, quos lex minitatur, terrore comparatur. Multis uerò iam demonstrauimus, officia sine diuini numinis auxiliis atque amore suscepta, fucatas magis quàm ueras uirtutes esse. Quare eandem ipsam iustitiam, modò ex lege, modò suam uocat Paulus, hoc est (ut sancti patres interpretantur) propriis laboribus, ac sudo-

ribus partam, non diuina liberalitate tributam. Quocirca in epistola, quā ad Romanos scribit, summæ ignorantiæ condemnat Iudæos, quòd ignorantes Dei iustitiam, idest quam Deus gratis donat, peccatorum uenia, legisq; officijs constantem, suam uerò, hoc est, proprijs uiribus comparatam, inani quadam arrogantia ostentantes, iustitiæ Dei non sint subiecti. iustitiam autem Dei, siue iustitiam fidei, illam Paulus uocat, quæ fide excitata, diuinoq; beneficio ac munere hominum mentibus impressa, ad legem obseruandam inducit: quare legis etiam iustificationem, eam Paulus appellauit. multum enim apud Paulum interest inter iustitiam ex lege, & iustitiam legis. iustitia. n. legis, in legis studio posita est, quod non naturæ uires, non terror, quem lex incutit, sed charitas Dei diffusa in cordibus nostri per Spiritum sanctum nobis abundè donatum, suppeditat. Quid uerò sit iustitia ex lege, apertè sanè D. Aug. explicauit, cum ait, Tantum inter legem distat & gratiam, ut cùm lex esse nō dubitetur ex Deo, iustitia tamen, quæ ex lege est, non sit ex Deo, sed iustitia, quæ per gratiam consummatur, ex Deo est, quia ex lege iustitia dicitur, quæ fit per legis mandatum, iustitia ex Deo dicitur, quæ data est per gratiæ beneficium, ut non sit terribile, sed suaue mandatum, sicut oratur in Psalmo, Suauis es domine, & tua suauitate doce me iustitiam tuam: idest, ut non formidine pœnæ seruiliter cogar esse sub lege, sed libera charitate delecter esse cum lege. præceptum quippe liber fecit, qui libens facit. Nam qui non uoluntate (ut inquit Primasius) sed timore non peccat, in ipsa profectò uolun-

Rom. c.10.

Rom. c.8

August. libro de gratia Christi c.13.

Primas. in. 3. c. epist. ad Philipp.

luntate intus peccat. Quare iuſtitia ex lege, & iuſtitia fidei, non quidem officijs (utraq; enim legis obſeruantiam habent neceſſariò coniunctam) ſed officiorum modo diſtinguuntur. Illa.n.aut cruciatuum metu, aut ſola legis confidentia ad obſeruandum legem inducitur, hæc uerò diuinis tamen auxilijs fidit, diuiniq; ſpiritus impulſione atque charitate excitatur. Quod D. Aug. ſatis explicat, cum interpretatur locum Pauli ad Romanos, Ignorantes Dei iuſtitiam, & ſuam uolentes conſtituere, iuſtitiæ Dei non ſunt ſubiecti. ſuam uerò (inquit) iuſtitiam dicit, eos uolentes conſtituere, quæ iuſtitia eſt ex lege, non quia lex ab ipſis ſit cõſtituta, ſed in lege, quæ ex Deo eſt, iuſtitiam conſtituerunt, quando eam legem ſuis uiribus ſe implere poſſe credebant, ignorantes Dei iuſtitiam, non qua iuſtitia Deus iuſtus eſt, ſed quæ iuſtitia eſt homini ex Deo. Et ut ſciatis hanc illum eorum dixiſſe iuſtitiam, quæ eſt ex lege, hanc autem Dei, quæ homini eſt ex Deo, audite quid alio loco dicat, cùm de Chriſto loqueretur, Propter quem omnia (inquit) non ſolùm detrimenta eſſe credidi, uerùm etiam ut ſtercora exiſtimaui, ut Chriſtum lucri facerem, & inueniar in illo, non habens meam iuſtitiam, quæ ex lege eſt, ſed eam, quæ eſt per fidẽ Chriſti, quæ eſt ex Deo. Quid eſt, non habens meam iuſtitiam, quæ eſt ex lege, cùm ſua non eſſet lex ipſa, ſed Dei? niſi quia ſuam dixit iuſtitiam, quanuis ex lege eſſet, quia ſua uoluntate legem ſe poſſe putabat implere, ſine adiutorio gratiæ, quæ eſt per fidem Chriſti, quæ eſt ex Deo. Hæc Aug. neque uerò dubitare integrum eſt, Iudæos, qui olim non legi fidentes, aut pro-

Auguſt. de gratia & libero arbit.

Ro. c. 10

Philipp. c. 3.

propriis uiribus fulti, ſed diuinæ gratiæ auxilijs con fiſi, charitateq; confirmati, in legis ſtudia piè, & religiosè incumbebant, fuiſſe iuſtificatos. Iuſtos enim
Luc. c. 1. coram domino appellat Lucas, Zachariam, & Heliſabeth, quippe quia ambulabant in omnibus mandatis, & iuſtificationibus domini ſine querela. Illam tamen iuſtitiam non lex, ſed diuina largitas donabat, etſi cum legis obedientia neceſſitate maxima connexa eſſet, & implicata; quinimmo habitus eſſet quidam, diuina lege atque uoluntate confirmatus, ut demonſtrauimus.

SED ne iuſtitiæ expertes iuſtos appellare Kemnicius uideretur, *Iuſtos*, inquit, *nos eſſe, ob ſolam Chriſti iuſtitiam nobis diuina miſericordia non donatam quidem, ſed imputatam, ut ſcilicet, dum miſero homini apud ſeueriſſimum diuinæ iuſtitiæ tribunal profligatiſſimorum ſcelerum conuicto, Chriſti iuſtitia, quam fide appræhendit, adiudicatur, liber euadat iuſtusque pronuncietur.* Quam amentiſſimam inſaniam, cùm multis ac magnis rationibus Colonienſes in Monhemiò reprehendiſſent, illas Kemnicius eludere magis, quàm ſoluere conatur, cùm iniurioſos eos, & quàmmaximè contumelioſos in Chriſtum Dei filium, illiusq; diuina merita, uocat; quippe qui nouam hanc, fi-
Gala. c. 2 ctam, atq; commẽtitiam iuſtitiam improbant. quod ſolo Pauli teſtimonio confirmat, Viuo ego, iam non ego, ſed uiuit in me Chriſtus. Quibus uerbis, Paulũ ſignificaſſe arbitratur, illis tantũmodò Chriſtum uitam eſſe, quibus illius iuſtitia imputatur, quiq; non propria, ſed Chriſti iuſtitia iuſtos ſe eſſe fatentur. At quorum mentibus, Chriſti beneficio iuſtitia impreſſa eſt, & conſignata, neque iuſti à Kemnicio, neque

que in Christo uiuere, sed mori potius dicuntur. Quæ quidem satis profligata esse puto his argumentis, quibus demonstrauimus, non in sola scelerum uenia, sed in charitate potissimùm, iustificationem positam esse; ex qua cùm iusti nominemur, iustitia Christi non quidem imputata nobis, sed cõmunicata nobiscũ uideri debet. de plenitudine nanq; eius *Ioan. c.1*
nos oẽs accepimus. Nã cùm is nõ sua, sed nostra causa in terras descẽderit, humanæq; naturæ copulatus tot se calamitatum generibus addixerit, miserijs implicauerit, horrendosq; cruciatus pertulerit, nõ sibi quidem, sed nobis iustitiam promeruit, quam potissimùm intuebatur, & quò omnes suas actiones, consilia, uniuersæq; uitæ cursum dirigebat. Eum enim, *2. ad Cor. c.5.*
qui non nouerat peccatum, pro nobis Deus peccatum, hoc est, hostiam, ceu piaculum fecit, ut efficeremur iustitia Dei in ipso. Quocirca iustitia nostra, quam Paulus, cùm ad humanarum actionum infirmitatem animum aduertit, gratis nobis conferri dixit, unde & gratia dicitur, Christi meritis, non tam ex diuina liberalitate, quàm ex æquitatis, iustitiæq; ui debetur. Neque enim audiendi ij sunt, qui sophisticis quibusdam rationibus permoti, Christi dignitati tantum derogant, ut in egregijs, planeq; diuinis eius meritis, atque pro nostris in Deum criminibus, cumulatissimis satisfactionibus, non iustitiæ uim, sed singularis cuiusdam clementiæ, ac misericordiæ Dei patris rationem, quam meritum de congruo uocant, agnoscunt. Neque enim ingeniosi alioquì homines aduertunt, satisfaciendi pro nefarijs hominum sceleribus officium, non humanæ Christi naturæ

Ro. c.4.

Dur. 3. sent. dist. 20. q. 2.

ræ solùm, sed ipsius personæ, quæ diuina est, atque ideò infinitam uim continet, conuenire. Cuius cùm tanta sit dignitas & amplitudo, ut quam naturam sibi copulasset, non posset Deus optimus & iustissimus non diligere, Dei certè patris in humanam filij sui naturam inflãmatus amor, non solùm patris spontaneæ liberalitati, sed filij etiam præstantiæ, atque excellentiæ tribuendus est. Quæ efficiebat, ut omnibus, quæ cum Christi fuissent diuina persona copulata, ex iustitia diuinus amor deberetur. Quare cumulatissimè, atque per infinitam redundantiam, pro nostris in Deum sceleribus satisfecit, & iustitiam, sanctitatem, omniaq; animi ornamenta nobis

Heb.c.5. promeruit. vnde est, quòd uitæ auctorem atq; cõsummatorem Paulus illum uocat, æternamq; redemptionem, hoc est, perfectam iustitiam, ab illo fuisse inuentam dicit. Cumq; in diebus carnis suæ, atque in carne mortali agens, preces, supplicationesq; ad Deũ patrem cum clamore ualido, & lacrymis pro nobis fudisset, exauditus fuit pro sua reuerentia, hoc est (ut Anselmus ait) quia ob filij Dei amplissimam dignitatem, dignus erat, qui exaudiretur. Quantopere uerò illi fallantur, qui ex infinitis beneficijs, quibus humana Christi natura Deo patri deuincta erat, & deligata, concludunt, non potuisse pro nobis, ex iustitia satisfacere, uel ex eo satis constat, quòd is, qui quandoq; parem beneficiis acceptis gratiam referre nullo modò potest, debitum in quod sceleribus incurrit, soluere cumulatissimè queat. fieri nanque potest, ut uis, atque opes, quæ beneficiorũ multitudine ac præstantia sunt longè inferiores, susceptorum

ptorum ſcelere atrocitatem quàm lõgiſſimè antecellant. quibus accedit,quòd quæ à Deo accepimus beneficia, reddenda gratia augentur, quæ uerò admiſimus ſcelera, ſatisfactionibus extinguuntur. Quare quanuis beneficia, quæ à Deo patre Chriſti humanitas accepit,magis ac magis perpetuò augerẽtur; illorũ tamen tanta erat uis & potentia,ut pro nobis ſatisfacere cumulatiſſimè Chriſtus potuerit,quinimmo quò maioribus fuerat à Deo patre beneficijs oneratus, eò maiorem habebat ad ſatisfaciẽdum pro humano genere uim atq; uirtutem. vt uerò ad inſtitutam diſputationẽ reuertamur, cùm in nobis inhærere iuſtitiam dicimus, minimè ſanè Chriſti iuſtitiæ ac meritis uim, auctoritatem'ue derogamus, quem iuſtitiæ noſtræ auctorem, atque conſummatorem agnoſcimus, & cui omnia animi ornamenta accepta referimus, ſed augemus potius, & amplificamus; cùm non fictitiam atque imputatiuam iuſtitiam, qua ii, qui re ipſa ſcelerati ſunt,& inquinati, iuſti habentur,nec ſunt, ſed ueram, ſolidam, atque expreſſam animoq; mirabiliter inſignitam, atque impreſſam, nobis promeruiſſe dicimus. Neque enim excogitari quidquam potuit, quod magis iuſtificatoris noſtri Chriſti dignitati detraheret, quàm excellentiſſimam illam perfectiſſimamq; iuſtitiam, quæ illi tantis laboribus conſtitit, adumbratam, atque imputatiuam nominare. Cùm præſertim ueterum patrum,qui Chriſtũ ætate præcucurrerunt iuſtitia,non imputata quidem, ſed uera atque expreſſa dici ulla ratione potuerit. Quare & de Adamo D. Cyrillus ait, quòd tam diu in paradiſo manſit, quàm diu gra *2. lib. in Ioan. c. 3*

tiam creatoris Spiritu sancto inhabitante seruauit. Neque enim imputari Christi redemptoris nostri iustitia illi potuit, qui nondum culpam admiserat, quæ Christi sanguine atque iustitia foret expianda. Cùm uerò Christus iustitiam Adamo collatam non euertere, sed instaurare; non mutare, sed augere & amplificare uenerit, atque saluum facere, quod perierat, nostra certè iustitia non imputata, sed uera esse animumq; ipsum informare debet. Quocirca cùm Dauid suscepti sceleris immanitate deterritus, & Natham prophetæ oratione prouocatus, ad misericordiam à Deo lacrymis, & oratione impetrandam animum conuertit, non solam scelerum ueniam, sed etiam iustitiam, quæ ipsius animum illustraret, atque
Psal.50. exornaret, deprecatur, Cor mundum; (inquit) crea in me Deus, & spiritum rectum innoua in uisceribus meis. Ne proijcias me à facie tua, & Spiritum sanctum tuum ne auferas à me. Redde mihi lætitiam salutaris tui, & spiritu principali (seu potius נְדִיבָה spontaneo) confirma me. dicitur autem Spiritus sanctus, quo impii iustificantur, uoluntarius, siue spontaneus, quia in libertatem filiorum Dei illius munere uendicati, eiusdem impulsione diuinæ legi non coactè, sed sponte, & summa cum uoluptate paremus. Quod D. Paulus apertè iis uerbis significauit dum
Ro.c.6. inquit, Gratias Deo quòd fuistis serui peccati, obedistis autem ex corde, in eam formam doctrinæ, in qua traditi estis; liberi autem à peccato, serui facti estis iustitiæ, quæ non coacta, sed liberalis & quàmmaximè spontanea seruitus est.

Non inficior quòd si nullam nobis aliam iusti-

tiam

tiam Christus promereri, quàm imputatiuam hanc, quam Kemnicius, eiusq; impurissimi præceptores fingunt, uoluisset, magno etiam nos beneficio affecisset. Nam cùm peccati ui ita essent humanæ uires prostratæ & debilitatæ, ut ad iustitiam neque aspirare quidem possemus; quacunque nos ratione à diuina indignatione, sempiternisq; cruciatibus uendicare, & iustos habere uoluisset; infinito nos sanè beneficio cumulasset. At cùm suam iustitiam non imputare nobis, sed impartiri, nosq; iustos non habere modò, sed efficere uoluit, tanto certè maioribus beneficiis humanum genus cumulauit, quantum uera iustitia imputatiuæ præstat, quantumq; iustum esse, excellit, iustum haberi. Quare uos quidem, Kemnici, in Dei filium humani generis liberatorem iniuriosi estis, uos inquam, illius amplissima beneficia imminuere, attenuare, atque deprimere studetis, qui ea peccata manere dicitis, quæ ipse sanguinis sui lauacro deleuit: sordibus eos inquinatos esse iudicatis, quos ipse infinita uirtute mundauit, iustitiamq; nobis illam præripere conamini, quam multis cum laboribus ac sanguine, humano generi promeruit. Fatemur nanque nos cum sacro Concilio Tridentino, misericordem Deum, causam esse efficientem iustitiæ. Neque charitatem solùm, fidem atque sanctitatem, sed quasuis etiam animi opes Dei dona esse, neque nostris uiribus, aut meritis comparari posse. Christum etiam Iesum Dei & hominum mediatorem, confitemur nobis omnem iustitiam promeruisse, nihilq; spiritualis cœlestisq; boni cõtingere hominibus posse, quod ipsi non debeamus, referre acceptum. Iustificati enim

Conciliũ Trident. sub Paul. 3. Sess. 6. cap. 7.

Ro.c.3. ſumus gratis per gratiam cœleſtis patris. verùm per redemptionem, quæ eſt in Chriſto Ieſu, quem propo ſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius. Quocirca & ſi gratis à Deo iuſtificamur, quia noſtris antecedentibus meritis iuſtitia nullo modo debebatur, Chriſtus tamen perſoluto precio, nos à dæmonũ tyrãnide uendicauit, & luit pœnas noſtris ſceleribus debitas. Quod Græca uoce ἀπολύτρωσις, Paulus apertè innuit, quæ redẽptionem illam ſigni ficat, quæ ſoluto precio fit. quò ẽt ſpectant, quæ idẽ Eph.c.2. Paulus alibi ait, Nunc autem in Chriſto Ieſu uos, qui aliquando eratis longè, facti eſtis propè in ſanguine Chriſti. ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit utra que unum. Quomodo uerò duos, hoſce Gentilium ac Iudæorum populos tam diſiunctos coniunxerit, mox explicat, Quoniam (inquit) per ipſum habemus acceſſum ambo in uno ſpiritu (quò ſcilicet impij iuſtificantur) ad patrem. Ne uerò quis exiſtimaret, hunc ſpiritum, credentibus in Chriſto com-Eph.c.1. municari, per Chriſti iuſtitiam illis tantùm imputatam, dixit eos ſignari ſpiritu promiſſionis ſancto, qui eſt pignus hæreditatis noſtræ. negare uerò nemo po teſt, cœleſtis atque ſempiternæ hæreditatis pignus nobis conferri cùm à peccatis iuſtificamur. Qui quidem ſpiritus teſtatum apud omnium animos reliquit, iuſtitiam atque redemptionem nobis in Chriſto contingere. neq; eſt quòd propoſitionis, in, uim nobis obiicias, atque ex ea concludas, non aliter nos iuſtificari, quàm imputata nobis iuſtitia, quæ in Chriſto eſt. nam qui in ſacris literis fuerit aliquanto uerſatus, & aliqua Hebraicæ linguæ, cuius uim atq;

proprietatem D. Paul. retinere solet, cognitione imbutus, satis intelliget, propositionem, in, pro, per, sæpius usurpari. Quare quæ nos in Christo habere Paul. ait, per Christum intelligenda sunt nobis accidere. nam Deo, inquit, Patri placuisse omnia per Christum reconciliari. quod quidem fit pacificans per sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cœlis sunt. Vnde etiam est, ut idem Paul. in Christo dicat nos redemptionem, sapientiam, pacē, omnia deniq; bona spiritualia fuisse consecutos. Benedictus (inquit) Deus, & pater domini nostri Iesu Christi, qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in cœlestibus in Christo. Quare qui hac loquendi forma inducuntur, ut nulla nos iustitia informari, sed ipsam Christi iustitiā nobis imputari arbitrentur, dicant certè necesse est, neque sapientiam, neque pacem, neque sanctitatem, neq; spiritualem aliquem ornatum nobis inesse: sed solùm diuinas Christi opes nobis imputari, quinimmo neque prædestinatum quempiam à Deo esse, quippe quia in Christo fuisse sanctos prædestinatos ante mundi constitutionem, idem Paul. testatur. Atq; ita quæ ab Adamo contraximus mala, usque adeò uera dices, ut separari nulla ui, aut ratione possint. quæ uero à Christo accepimus bona, imputata solùm & fictitia erunt.

Colossen. c.1.

ad Ephes. cap.1.

ad Ephe. cap.1.

NON tamen ita insanit Kemnicius quin confiteatur, in mentis cum Deo reconciliatione, *simul dari Spiritum sanctum, qui mentem illuminat, cor renouat, noua dona & nouas uirtutes inchoat in mente uoluntate & corde renatorum.* Iustitiam tamen non in hisce animi opibus, sed in so-

la peccatorum uenia, atque in imputatione iustitiæ Christi positam esse arbitratur. Sed age dum uideamus, quid est, quòd Iustitiam, quam sanctitatis, atque renouationis quasi fundamentum ponis, non expressam, sed imputatiuam dicas, cæteras uerò animi opes ueras esse, animumq; illustrare confitearis. cum præsertim æquè omnia à diuina liberalitate, Christiq; in nos meritis, atq; singulari amore pendeant. At inquis, cùm iustificatio in sola peccatorum uenia posita sit, Christi sola iustitia nobis imputata sufficit, ut nos Deus iustos, omnibusq; sceleribus liberos & immunes pronunciet. Perge quæso, & nouã hanc iustificandi rationem magis explica. ob Christi iustitiam, fide appræhẽsam nobisque imputatam, ita'ne scelera omnia condonari putas, ut omnis lues atque macula, quam anima peccando contraxerat, abstergatur, illiq; pristina elegantia, & uenustas ita restituatur? sicut Dominus apud Iesaiam pollice-
Iesa. c. 1. tur, Si fuerint (inquit) peccata uestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur, & si fuerint rubra quasi uermiculus, uelut lana alba erunt. aut certè quemadmodum iustitiã, ita & peccatorum ueniam imputatam esse existimas? hoc est, quòd cùm iustificati hominis mens, turpis, deformis, fœdissimisq; sordibus inquinata maneat, tamen ob Christi iustitiam sibi imputatam, iusta ac munda pronuncietur. atque ita, qui innumeris est peccatorum maculis contaminatus, mundus non quidem fiat, sed habeatur? Si illud primum (quod cum sacris literis maximè consentit) tibi magis ut debet, arridet, aliquid certè Deũ in anima, quam ex deformi pulchram, ex inquinata decoram,

coram, ex fœda elegantem reddit, efficere existimare debes. Neque enim sine magna aliqua mentis mutatione fœdissimæ peccatorum sordes elui atq; extingui, egregia uerò quædam puritas, atque integritas comparari potest. Quare non in sola imputatione iustitiæ Christi, impij hominis iustificatio, sed in mentis illa præclara immutatione posita erit. Quòd si peccatorum impuram luem iustificatas mentes occupare arbitraris, an'non uides, mendacii te Deum æquissimum atque uerissimum iudicem conuicere, qui impuros, nefarios, maximisq; flagitiis inquinatos iustos atque incontaminatos pronunciat? Expende igitur, Kemnici, quis maiorem ignominiam Deo Patri & Christo Iesu eius filio innurat; aut quis firmiori consolatione hominum mentes priuet. nos'ne qui omnia crimina, Christi meritis deleri prorsus, mẽtes uera iustitia perfundi atq; obsignari, diuinisque opibus & ornamentis illustrari contendimus, an uos, qui peccatorũ maculas immobiles esse, mentibusq; semper hærere, neque uera iustitia miseros homines unquam insigniri, sed tantùm iustos à Deo haberi, cùm sint infinitis maculis delibuti, arbitramini? vt igitur rem paucis absoluam, qui nullis sunt præcõceptis erroribus obcœcati, sed in diuinarũ literarũ studiis purè & candidè uersantur, santis intelligunt, imputari Christi iustitiam aut in Christo nos iustificari, siue Christum esse nostram iustitiam, nihil significare aliud quàm Christum ueram expressamq; iustitiam nobis promeruisse, quæ peccatorum tenebras propulset, mentem informet, diuinisq; ornamentis illustret, atque nos efficiat diuinæ consortes

tes

autem in carne non estis, sed in spiritu, si tamen spiritus Dei habitat in uobis. Si quis autem spiritum Christi non habet, hic non est eius. vnde fit perspicuum, eos, qui Christi spiritu fruũtur, & quibus Christus uita est, non quidem carnis cupiditates sitienter cōsectari, sed diuini amoris impulsionē tanquàm uitali quadam ui gubernari. Cum uerò iustis omnibus Christus uita sit, (ut Kemnicius confitetur) iustitia certè sine Christi amore extare nullo modò potest, quinimmo charitas est ipsa uera atq; perfecta iustitia. vnde est quòd maximas gratias Paulus Deo agit, quòd in Christo nos prædestinauerit ante mundi constitutionem, ut essemus sancti & immaculati in conspectu eius in charitate. quippe quæ omnium peccatorum numerum delet, & extinguit. *Ephe.c.1*

NISI uerò effrenata Kemnicii calumniandi libido nota admodũ esset, & explorata, mihi sanè maximam admirationem mouisset, quòd affirmet, Colonienses patres iustitiam Dei in Euangelio reuelatam ita definire, Est uirtus in Deo, quæ iuxta uniuscuiusque dignitatem singulis tribuit, cùm eo in loco non quidem de iustitia, quam Paulus inquit, in Euangelio reuelari, ex fide in fidem, neque de ea, ex qua iusti nominamur, uerba faciant, sed de illa Dei iustitia, quæ in suũ cuique tribuendo cernitur. Nam cum multis sanctorum patrum testimonijs probarēt, iustorum præclara opera plurimùm apud Deum mereri, inter cæteros testem adferunt Dionysium illum Areopagitam, qui eã, inquit, in Deo iustitiam commendari qua iuxta uniuscuiusq; dignitatem singulis tribuit. nanq; eos, qui fidem præclaris actionibus *ad Ro.c.1*

exornarũt, æternis præmijs afficit, illos uerò, qui turpissimis se flagitijs inquinarunt, sempiternis cruciatibus addicit. quod iustitiæ genus in distribuendo cuique suum, positum esse constat. At cùm de iustificationis nostræ causis agunt, Tridẽtini *Cõcilij* sanctissimis diffinitionibus inhærentes, formalem causam nostræ iustificationis esse aiunt, Dei iustitiam, nõ qua ipse iustus est, sed qua nos iustos facit, quæq; in animum nostrum ipsius benignitate infusa eum pulchritudine sua exornat. quare non in Deo, sed in animis nostris impressa est, atque infixa.

Ne uerò quicquam esset à calumnijs & reprehensione liberum, non maledictis modò, sed horrore atque stomacho prosequitur Kemnicius Coloniens*es*, quòd animum dicant ad iustitiam fidei, spei, & charitatis motibus præparari. Id nanq; & in Christũ contumeliosum esse, & de meritorũ illius dignitate plurimum detrahere, arbitratur. *Nam si hæc,* inquit, *nostra propria sunt, quæ oportet in nobis adesse, priusquàm donetur nobis prima illa quam, sic uocant, iustificatio, quid igitur et quantum, quæso est, quod merito Christi, etiam in prima Iesuitarum iustificatione tribuatur? Quid alijs accidat nescio, ego sanè exhorresco hæc referens. Tu lector considera, si ante primam iustificationem in homine adest fides, charitas, misericordia, spes, & alia multa, quæ Iesuitæ nolunt enumerare, quid igitur prior illorum iustificatio confert, quam Christi merito dicunt donari?* utinam uerò, Kemnici, simulatæ huic tuæ pietati, animi candor, ueritatisq; ardens studium respondisset. neq; enim tuam hanc orationem acerbitatis, indignationisq; plenissimam, non mirificè commẽdare potuissem, Cùm esse nihil posse existimem, quod aut Christianas aures offendere magis, aut pios

pios animos irritare iustius possit, quã fidem, spem charitatem, uirtutumq; maximarum splendorem no stris uiribus grauissimorum scelerum contagio fractis atque debilitatis, ascribere, & Christo bonorum omnium auctori, & cui nostra iustitia tantis laboribus constitit, non referre acceptum. sed ubi, quæso te, societatis Iesuuiri piissimi, & eruditissimi tantas hasce animi opes, nostras proprias appellarunt? vbi tradiderunt non Christi meritis, sed nostris esse uiribus attribuendas? Legi ego quidem Coloniensem censuram accuratè & diligenter, non tamen reperire uerbum ullum potui, quod tantam hanc impietatem præseferre aliquo modò uideretur. Sed multis ac magnis rationibus sanctorumq; patrum apertissimis testimonijs, ut sæpius inculcauimus, demõstrant præclaras omnes animi dotes, uirtutumq; omnium splendorem à diuina gratia, atque Christi meritis proficisci. Quare si te sola religio, meritorumq; Christi dignitas mouet, nihil est quòd Iesu societati sue censeas, quæ confitetur, præueniente Dei gratia torpentes animos ad egregios fidei, spei, & charitatis motus, acerbumq; in omne peccatorum genus odium excitari, cui gratiæ neque assentiri liberum arbitrium possit, nisi eadem fuerit Dei gratia erectum & recreatum, ut abundè cum de peccato & libero arbitrio ageremus, demonstrauimus: quam tamen gratiæ tantam copiam Christus Iesus in nos unà cum sanguine effudit. unde est, quòd nos illi non solùm iustificationem, sed egregios omnes animi motus, qui iustitiam ueluti quædam animi præparationes, atque præmunitiones antecedunt, referamus acceptos.

Cócilium Arausi-canú. c.4 ptos. Confitemur nanq; cum Arausicano Concilio, quòd si quis, ut à peccato purgemur, uoluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiã purgari uelimus, per sancti Spiritus infusionem & operationem in nos fieri confitetur, resistit ipsi Spiritui sancto, per Solomonem dicenti, Præparatur uoluntas à Domino. & Apostolo salubriter prædicanti, Deus est, qui operatur in nobis, & uelle & perficere pro bona uolũtate. & cum Palæstina Synodo, gratiã Dei ad singulos actus dari, atq; itẽ quòd quãdo contra tentationes, concupiscentiasq; illicitas dimicamus, quanuis illic habeamus propriã uoluntatem, non tamen ex illa, sed ex adiutorio Dei uictoriam nostram esse. Nam cùm Theologi nostri, à quibus Colonienses doctrinam pietatis plenissimam hauserũt, gratiam diuidant in antecedentem siue præuenientem, & subsequentem; antecedentemq; illam dicant, qua Deus sceleratos ad iustitiam præparat & premunit, subsequentem uerò ipsam iustitiam uocent, quæ hominum animos informat & illustrat, Deoq; gratos facit, vtranque sanè gratis à Deo, ob sola Christi merita conferri, certò & constanter affirmant. Præuenit (inquit Aug.) nos Dei gratia ut sanemur, subsequitur, ut sanati uegetemur. *Aug. de natura et gratia. c. 32.* Neque enim sacræ literæ sanctiq; Patres tanta nos cõtentione adhortarentur, ut animi hanc præparationem à Deo efflagitaremus, si à sola nostra potestate pendere arbitrarentur. Quare non est quòd aut Christi merita, quæ quantum maximè possumus ornamus, atque amplificamus, nobis obijcias; aut à præparationis nomine tantopere abhorreas. nam cùm sola fide ap-

præhen-

præhendente Christum, nos iustificari asseris, non obscurè quidem fidei præparandi ad iustitiam animi officium tribuis. neque enim ita insanis ut fidem ipsam, iustitiam esse existimes, sed fide animum præmuniri arbitraris ut sibi Christi iustitia imputari possit. Tot uerò sunt, ac tam aperta sacrarũ literarum testimonia, quæ præparationis huius necessitatem demonstrant, ut illis non magis repugnare, quàm soli splendorem eripere possis. Ecclesiasticus enim cùm timori Domini expellendi peccatum uim & potentiam tribuisset, atque asseruisset, sanctissimi huius timoris expertes non posse iustificari, tantam illius uim magis explicans ait, Qui timet Deum, præparabunt corda sua, & in conspectu suo sanctificabunt animas suas. Cùm enim sanctissimam hanc præparationem, quam Dei timor mentibus ingenerat, iustitia necessitate quadam sequatur, non immeritò sanè illi iustificationem nostram ascribit. Cùm item Deus significare uoluit quàm sibi gratum esset templum à Solomone tam magnificè exædificatum, atq; fuisset pollicitus, quemuis eo in loco, & scelerum omnium ultionem declinare, & illorum ueniam impetrare facilè posse; ne quis existimaret, in templi parietibus; aut in magnificæ ædis sanctitate, diuinam misericordiam inclusam esse, ait; Si clausero cœlum & pluuiã non fluxerit, & mandauero atque præcepero locustæ ut deuoret terram, & misero pestilentiam in populum meum (quæ susceptorum scelerum supplicia eẽ solent) conuersus autem populus, super quos inuocatum est nomen meum, deprecatus me fuerit, & exquisierit faciem meam, & egerit pœnitentiam à uiis suis

Eccl. c.1.

Eccl. c.2.

2. lib. Paralip. c.7

suis pessimis; & ego exaudiam de cœlo, & propitius ero peccatis eorum, & sanabo terram eorum. Non uides, quam diuinæ misericordiæ impetrandæ, iustitiamq; consequendi rationem iustus, ac clemens Dominus demonstrauerit? Quem etiam sonum, uox illa, quam acriter in deserto clamantem Iesaias audiuit, edebat, Parate (inquit) uiam Domino, rectas facite in solitudine semitas Dei nostri. quam uerò Domini uias præparandi rationem inierit, satis explicauit Marcus, qui Ioannem ait uenisse prædicare baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum: non quidem quòd Ioannis baptisma ullam delendi peccata uim haberet, sed quia hominum animos pœnitentia præfulciebat, & præparabat, ut nihil esset, quod aduentantem Christi gratiam retardare, aut peccatorum ueniam impedire potuisset. Qui uerò & rei naturam & iustificationis rationem diligenter perpenderit, satis intelliget, iustificari neminem posse, qui non fuerit prius fidei splendore illustratus, spe erectus, charitatisq; in Deum facibus inflãmatus. vt uerò de fide taceam, quam Kemnicius mirum immodum effert, & cõmendat, & in qua uniuersam iustificationis uim collocat, qui fieri potest, ut quis scelerum conscientia cruciatus, & diuinæ iræ sensu perterritus animum conuertat, ut fide Christum appræhendat, à quo solo peccatorum ueniam, iustitiam atq; sanctitatem pendere intelligit, ni fuerit in magnam ueniæ, atque iustitiæ consequendæ spem ingressus? qua nisi erectus fuisset, & recreatus, in perpetuis sanè peccatorum sordibus ac fœcibus uolutaretur. Debet enim in spe, qui arat, arare, & qui

Iesa. c. 4.

Marc. c. 1

1. ad Cor. c. 9.

qui triturat, in spe fructus percipiendi. unde est ut sacræ literæ spei attribuant nostram iustificationem: spe enim (inquit Paul.) nos saluos fieri. & cùm Ioan. *Rom. c.8* filiorum Dei dignitatem commendat, quibus Deus ipse summa atque sempiterna hæreditas, futurus est, Omnis (inquit) qui habet hanc spem, sanctificat se *1. Ioan.* ipsum, hoc est, fieri certè non potest, quin ij, qui ma- *c.4.* xima certissimaq; spe tenentur, fruendi diuino conspectu, ad dignitatem filiorum Dei non aspirent, atque omnem operam nauent, ut iustitiæ & sanctitatis ornamēta, sine quibus nemo uidebit Deum, consequantur.

QVIS deinde sempiternæ fœlicitatis desiderio æstuans, potest non summo amore Deum prosequi, in quo omnem habet spem positam, & collocatam? Cùm igitur ueram fidē, cui iustificationem tribuis, Christum ut salutis atque iustitiæ auctorem respicere dicas, aut certè humana mens illum maximopere diligit, aut neq; ueram iustitiam expetere, neque se ad illam consequendam adiungere censenda est. Quibus accedit, quòd cùm animus tam diu à Deo auersus sit, quàm diu peccatorum uinculis constrictus tenetur, iustitia uerò diuinus nodus sit, qui mentem cū Deo aptat & coniungit; necesse quidem est, humanum animum contrarijs motibus ad iustitiam atque ad peccatum ferri. Cùm igitur peccare nihil sit aliud quàm amorem à Deo summo & incōmutabili bono auertere, & in labentibus, caducis, ac facilè commutabilibus rebus collocare, nulla certè alia patere potest ad iustitiam uia, quàm omnem amorem in Deum transferre, & ab infimis atque abie-

ctis

ctis rebus abalienare; unde iustificatio, conuersio in sacris literis sæpe dicitur; quippe quia animus à labentibus rebus, quas studiosè consectabatur, auersus, toto se impetu ad diuinum numen conuertit, quod non corporis (ut inquit Aug.) sed amoris passi
1. Ioan. c. 3. bus fit. Quare D. Ioan. tam diu inquit, quempiam in morte manere, quãdiu non diligit. vnde colligitur, fidem, cui Paul. tribuit iustificationem, esse il-
Ad Gal. c. 5. lam, quæ per charitatem operatur. In Christo enim Iesu, neque circuncisio aliquid ualet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur. si igitur sola fides, quæ per charitatem operatur, plurimũ apud Deum ualet, quæ maior esse insania potest, quàm fidei cæterarum omnium uirtutum nudæ, ac uacuæ, iustificandi uim, qua maior nulla esse potest, tribuere? Fides enim (inquit) Aug. quæ per dilectionem operatur, nihil operatur, nisi ipsa dilectio Dei diffunderetur in cordibus nostris, per Spiritum sanctum, qui datur nobis. Quare fateor, Kemnici, primã animi ad iustitiam motionem esse, fide Christum Iesum ut iustitiæ nostræ auctorem & promeritorem intueri, quæ tamen si spe, & charitate spoliata sit, neque cum acerbo animi mœrore ob admissa scelera coniuncta, nunquàm profectò iustitiam impetrabit. Neque enim fieri potest, ut quis grauissimorum scelerum ueniam consequatur, ni summo odio illa prosequatur, & quàmmaximè detestetur. quod Dominus apud Ieremiam his uerbis edocet, Repente loquar aduersus gentem & aduersus regnum. vt eradicem & destruam & disperdam illud. si pœnitentiã egerit gẽs illa à malo suo, quod loquutus sum

aduersus

aduersus eam, agam & ego pœnitẽtiam super malo, quod cogitaui ut facerẽ eis,& subitò loquar de gente, & de regno, ut ædificem & plantem illud. si fecerit malum in oculis meis,ut non audiat uocem meã, pœnitẽtiam agam super bono, quod locutus sum ut facerem &. Nam quẽadmodum scelerum atrocitate diuinum numen irritatur, ita eorum pœnitentia ad summam quandã misericordiam flectitur,quod omnibus satis testatũ Christus reliquit,cùm apud Matt. dixit,se nõ uenisse uocare iustos,sed peccatores εἰς μετάνοιαν. i. ad pœnitentiam. quam uocem in Latinis, qui circunferuntur codicibus,aliquorum fortè incuria deesse ostendunt, non modò codices Græci, sed D. etiam August. qui cùm hunc locum interpretatur priori lib.de peccatorũ meritis & remissione, diligenter inquirit quomodo pueri ad pœnitentiam uocati esse uideantur.& ad hunc modum respondet, Si propterea pœnitentes dicendi non sunt,quia sensum pœnitendi nondum habẽt,nec fideles dicendi sunt, quia similiter sensum credendi nondũ habent. si autem propterea rectè fideles uocantur, quoniam fidem per uerba gestantium quodammodo profitentur, cur non prius etiam pœnitentes habentur, cum per eorundem uerba gestantium diabolo, & huic mundo renunciare monstrantur? Totum hoc in spe fit uirtute sacramenti. Cùm igitur,Kemnici,ecclesia in puerorum baptismo cum fidei confessione,pœnitentiæ etiã apertam significationem coniunxit, satis indicauit,fidem sine pœnitentia ad impiorum iustificationem minimum uirium momentiq; habere.

Matt. c.9.

Aug. lib. 1. de pecc. merit. & remiss. c. 19.

QVOD si iustificationis actus is est, quem tu de-

ſcribis, *quod ſcilicet, conſcientia lege Dei accuſata, & ſenſu iræ Dei propter peccata territa, quaſi ad tribunal Dei ſiſteretur, et quia ex milibus non poteſt ad unum reſpondere, omne os obturatur, & totus mundus reus fit Deo, in quo Agone conſcientiæ doctrina Euangelij monſtrat agnum Dei, qui tollit peccata mundi, qui factus eſt nobis à Deo iuſtitia, & fides edocta hoc Euãgelio, prouocat à thróno ſeueræ iuſtitiæ, ad thronum gratiæ, ibi interueniente ſanguine Chriſti, quem fides uera fiducia appræhendit, Deus peccatorem qui iam paſſus eſt iuſtam ſententiam legis, per, & propter Chriſtum abſoluit, à reatu & ſententia damnationis*. Hæc inquam ſi uera ſunt, fidem certè, ſpem, charitatem, ueramq; pœnitẽtiam, ad iuſtitiam uiam munire confitearis neceſſe eſt. Nam ſi mens ad iuſtitiam exoptandam, & ſcelerum conſcientia, & diuini iudicii terrore excitatur, an non confiteris, acerbo quodã dolore affici, quòd ea flagitia ſuſceperit, quibus & diuinam indignationem iuſtè prouocauerit, & ſe in apertum diſcrimen coniecerit? Neque enim uideo quonam modo quis ſe ab ijs uinculis extricare ſumma animi contentione cupiat, à quibus non ſũmopere abhorreat, aut nõ maximè ea deteſtetur, quorum conſcientia tantopere conflictatur. quem animi mœrorem, cum ſcelerum ſummo odio atque deteſtatione coniunctum, pœnitentiam uocamus, quæ obſeruandi diuinæ legis animum coniunctum habet & implicatum; ſi fides item, Chriſtum eſſe ſalutis quammaximè exoptat auctorem, docet, & in eo ſolo ſperare iubet, certiſſimamq; conſequendæ ſalutis ſpem erigit, quomodo non eximium quendam erga ipſum amorem excitabit? aut quomodo Chriſti iuſtitiam illi imputandam iri exiſtimabis, qui tanti beneficij magnitudine non commouetur? Mentes

enim

enim quæ tam fuerint in diuina munera ingratæ, ut certa hac ſalutis ſpe, tantorumq; beneficiorum recordatione non inflammētur, à iuſtitia quamlongiſſimè abeſſe cenſendæ ſunt. Quare iuſtificationis fundamenta in fide poſita eſſe, non dubitamus, ſed non prius iuſtificationem fides abſoluet, atque perficiet, quàm animum ſcelerum dolore excruciet, ſpe erigat, amore inflammet; quibus anima apprime præmunita, iuſtitiæ tandem diuinis ornamentis ſplendeſcit, atque excolitur. Quare præclarè admodum, inquit Aug. præcedere aliquid in peccatoribus, quo quanuis nōdum ſint iuſtificati, digni tamen efficiuntur iuſtificatione. Quid uerò illud ſit, Chriſtus docuit cum eos à patre ſuo diligi teſtatur, à quibus & ipſe diligitur. Qui diligit (inquit) me diligetur à patre meo, & manifeſtabo ei meipſum. Is igitur nos prior diligit, cum animos ad ſe diligendum excitat. Cùm uerò nos illi in amore, eius beneficio incitati reſpondemus, iuſtitiam largitur, in qua præcipuam Dei erga nos amoris uim poſitam eſſe demonſtrauimus. *Ioan. 14.*

AT inquies, ſi iuſtitia in charitate poſita eſt, qui fieri poteſt, ut charitate ad iuſtitiā præparemur? neque enim idem ſeipſo prius, aut poſterius eſſe, ullo modo poteſt. uariè homines à Deo iuſtificari, ualde eſt compertum, quoſdam enim diuina clementia, rara quadam & inſolenti miſericordia, atque nihil minus quàm Deū cogitantes, ad ſe pertrahit, & ueluti eorū ſe mentibus ingerit. quemadmodum Paulū, effrænato quodā & præcipiti furore inſanientē, Chriſtique ſanctiſſimum nomen immaniſſimè inſectantem, ita Deus inuaſit atque cōmouit, ut unà & Chri-

sti uocē audiuisse,& iustitiæ charitatisq; opibus exornatus fuisse uideretur. Nam cùm diuina uirtus nullis certis legibus astringatur, aliquando quidem humanam mentem tanta ui excitat, ut illam unà & cōmoueat,& iustificet. Cùm tamen diuina gratia nemini uim inferat, eò quidem liberius humanus animus Dei uocibus auscultat, oblatasq; sibi cœlestes opes eò libentius prosequitur, quò firmiori,& exaggeratiori gratia fuerit à Deo excitata. liberum enim arbitrium, per gratiam non euacuatur (ut inquit Aug.) sed statuitur; non eneruatur, sed multò maiores uires accipit. Cùm uerò animus eò paratior ad iustitiam recipiendam esse uideatur, quò acerbiori odio peccatum, maiori uerò amore Deum prosequitur, amplissima hæc sanè iustificandi ratio non quidem præparationem tollit, sed confert; non minuit, sed auget.

August. de spiritu & litera c.30.

QVANDOQVE uerò Deus, mentem diuinarum rerum contemplatione sensim à peccatorum sordibus auocat, ad se allicit, suiq; amore inflammat. quibus omnibus charitatis imperfectis, atque inchoatis motibus, ad iustitiam paulatim præparatur, qui ipsam antecedunt quidem, quousque tandem animus perspecta sceleratæ uitæ infelicitate, se totum in charitatis potestatem tradit, quod Philosophorum loquendi formam imitati, ultimam præparationem uocamus, charitatis iustitiæq; habitu ordine ac ratione quadam priorem, tempore uerò cum illo con iunctissimam. neque enim egregius hic in Deum amor, quo mens tandem iustificatur, sine iustitia charitatisq; habitu esse potest, qui solam mētem Deum

præ

præ cæteris rebus omnibus amantem informat, ut haud multò antea à nobis demõſtratũ fuit, cùm peccata probauimus, non niſi charitatis luce, & ſplendore deleri, atque extingui.

SED uideo illis te Pauli locis potiſſimum confidere, in quibus fidei legis operibus uacuæ iuſtificationem aſcribit, uſque adeò ut affirmet, quòd ſi Abrahã ex operibus iuſtificaretur, omni gloria apud Deum careret. vt uerò Origenem, Anſelmum, Primaſium, cæterosq; ſanctos Patres taceam, qui hæc omnia de ueteri lege Chriſti ſanguine, ac Euangelio abrogata, intelligenda eſſe arbitrantur; Aug. quidem, qui hæc loca quàm diligentiſſimè expendit, ſatis oſtendit, Paulum tùm fidei, quæ per dilectionem operatur, iuſtificationem tribuere, tùm uerò operum, quæ iuſtificationem antecedũt, infirmitatem declarare. quæ & ſi neceſſaria ſint, non tamen iuſtitiam promereri aliqua ex parte poſſunt, quippe quia ſi gratia ex operibus ſit, gratia certè dici nullo modo poteſt. Cùm enim interpretatur uerba illa Pauli, Scimus, iuſtificari hominem per fidem, ſine operibus legis, inducit Apoſtolum ita loquentem, Propterea hoc tibi dixi ò homo, nõ quaſi de operibus tuis præſumere uidereris, & merito operũ tuorum te accepiſſe fidei gratiam. & paulò inferius, Si uis eſſe alienus à gratia, iacta merita tua: Deus enim uidet quid ſit in te, & quid cui debeat. nemo uerò noſtrum adhuc tantoperè inſaniuit, ut iuſtificationem alicuius meritis, præter unius Chriſti, aſcribendã eſſe exiſtimaret. Operibus enim, quæ iuſtificationem antecedunt, nõ quidem diuinam gratiam promeremur,

Rom. 4.

Aug. in Pſal. 31.

ſed

ſed animum præmunimus, ne quid ſit, quod illam retardare poſſit. Cùm enim Deus ſolis uolentibus iuſtitiam tribuat, uelle autem nemo cenſeatur, niſi, qui oblatam ſibi gratiam amplectitur, idq́ue non externis corporis brachijs, ſed animi affectibus, fiat, ij quidem motus quibus aduentantem gratiam ſpontè & iocundè excipimus, ſunt fides, ſpes, atque eximius quidam erga Deum amor, qui pœnitentiam, hoc eſt, maximum ob admiſſa ſcelera mœrorem con iunctum habet, & implicatum, qui gratiam quidem non merentur, ſed gratis à Deo collatam amplectun tur. unde cōſtat, falſiſſimè & per ſummam calumniã à Kemnicio dictum eſſe, quòd Colonienſes Patres peccatorum remiſſionem noſtris meritis aſcribunt. Nã cum ſola iuſtitiæ uis & ſplendor peccata deleat, eaq́; à nobis promereri non poſſit, conſequitur ſanè, neque peccatorum ueniam noſtris eſſe meritis tribuendam. Tanta enim eſt animi nefariis criminibus inquinati fœditas, & deprauatio, ut nihil ab illo pro ficiſci poſſit, quod aut diuinum numẽ ſceleribus uio latum placare, aut illius gratiam impetrare queat.

Rom. 4. Quod D. Paul. ſatis docet cùm ait, credenti in eum qui iuſtificat impium reputari fidem ad iuſtitiam, ſecundum propoſitum gratiæ Dei, hoc eſt, non quidem fidei uiribus & dignitati iuſtitiam deberi, ſed tantum eſſe Dei erga nos amorem, ut eum conſtitue rit iuſtificare, qui fide quæ per dilectionem operatur Chriſtum complecteretur. quare ſcelerum ueniam iuſtitiæq́; ſplendorem, omni ex parte, diuinæ benigni tati debemus referre acceptum. Neque eſt quod no bis quis, promerendi illam rationem, quam de con

gruo

gruo quidam ex noſtris uocant,obiiciat. nam uel ipſum congrui nomen indicat, non uerè ac propriè meritum eſſe, cui quidquam iure debeatur, ſed quod Dei miſericordia magis, quàm iuſtitia innititur.

AT uerò poſtquàm tantam hanc turpitudinem humana mens diuino beneficio abiecit, & iuſtitiæ dotibus illuſtrata, ad gloriam filiorum Dei aſcita eſt, nihil mirum ſi opera Deo grata edere, ſi iuſtitiæ, uirtutumq; omnium incrementa, ſi demum ampliſſimum quendam ſempiternæ felicitatis gradum promereri poſſit. Paul. enim qui primam noſtram iuſtitiam in epiſtola ad Epheſios Chriſti liberalitati attribuit, cum unicuique (inquit) noſtrum datam eſſe gratiam ſecundum menſuram donationis Chriſti. paulò inferius admonet, ut noſtris operibus illam augeamus, & amplificemus. ueritatem (inquit) facientes in charitate creſcamus in illo, per omnia qui eſt caput Chriſtus. & in ea quam ad Corinthios ſecũdo ſcripſit, multis demonſtrat, non inanes eſſe labores, quibus ob Euangelij amplificationem defungebatur, quippe quia licet is qui foris eſt mortalis homo illorum atrocitate corrumperetur. Is tamen qui intus eſt, de die in diem renouabatur, maioresq; in charitate progreſſus faciebat. Et D. Petrus Apoſtolorũ facilè princeps deponere præcipit omnẽ malitiam, dolum, ſimulationem, inuidias, ſimultates, atque detractiones, & ſicut modò geniti infantes rationabiles, hoc eſt, qui diuinæ uoluntatis ac legis ratione ducuntur, ſine dolo lac diuini uerbi concupiſcere, ut in eo creſcamus in ſalutem. quo etiam ſpectant cœleſtes illæ ac planè diuinæ Ioannis, Solomoniſq; hortatio-

ad Ephe. c. 4.

ad Cor. 2 cap. 4.

Petrus 1. epiſt. c. 2.

rationes, ne in aliquā iustitiæ & sanctitatis gradu defixi hæreamus, sed oēm operam nauemus, ut magis ac magis in dies iustificemur. Est enim ab omni ratione prorsus alienum, existimare, uirtutum ac uitiorum omnium habitus exercitatione augeari, charitati uerò, quæ ociosa esse nequit, nullam unquam posse nostris officijs fieri accessionē. Cum præsertim ij, qui non desidia torpent, sed in lege domini meditantur die ac nocte, nihilq; diuina dilectione antiquius ducunt, longo usu & experiētia intelligant, se eò magis charitate inflammari, quò studiosius in illius officia incūbunt. Quare D. Gregorius, fidem inquit, per occultam inspirationem gratiæ, meritorum suorum gradibus crescere. Quod magis quidem charitati, unde meritum omne oritur, conuenit. Prætermitto D. Aug. qui charitatem inquit, augeri, ut aucta mereatur perfici D. quidem Hilarius cōstanter affirmat, præstare dominum iis sapientiam, qui per meritum operum, gratiam intelligentiæ consequuntur. D. etiam Cyprianus ad Nemesianum, ac reliquos martyres qui ad metalla effodiēda erant adacti scribens, tantam illā martryij gloriam eximiis pietatis, fidei, & religionis eorum meritis ascribit. D. item Ambrosius, acquirere nos, inquit, Sanctitatem, si accepta peccatorum remissione, bonorum operum æmuli fuerimus. tanta enim est charitatis uis, ut ardentes illius motus iustitiam aliqua ex parte attenuatam atque imminutam redintegrare atque amplificare possint. Quæ tanta charitatis uis, meritorum in nos Christi magnitudinem magis declarat, quippe qui non modò iustitiæ dotes, sed merendi etiam efficacitatem

Cypr. epist. lib. 3 epist. ultima.

Amb. in 6. c. epist. ad Rom.

tem nobis promereri uoluit. Quare cum Aug. confitemur, bona opera, quæ post iustificationẽ agimus, potius Dei, quàm nostra esse, quia & ipso instigante eduntur, & omnis illarum uirtus diuinæ liberalitati debetur. atque adeò quia is, qui paruulis (ut idem Aug. ait) subuenit, quorum nulla sunt merita, maiores præuenit, ut habere aliqua merita possint. Quæ quidem qui cum. Paulo asserente, iustificari hominem per fidem, sine ullis legis operibus, aliquo modo pugnare existimat, ad Pauli mentem non satis penetrauit. ille enim de priori iustificatione, quæ in peccatorum uenia, atque charitatis infusione posita est, uerba facit. Neque enim aliter orationis illius consequentia, atque argumentorum uis constare poterit, nam multis humanarum uirium, legisq; imbecillitatem, & peccati, quod in omnes peruaserat, uires & potentiam declarat, ut perspicuum euadat, iustitiam Dei non nisi per fidem IesuChristi in omnes, & super omnes, qui credũt in eum, extare posse. Omnes (inquit) peccauerunt. unde est, quòd omnes egẽt ut diuinæ iustitiæ gloria in illis illustris appareat quod fit cum gratis iustificantur per gratiam ipsius, per redẽptionem quæ est in Christo Iesu, quem proposuit Deus propitiatorem per fidem in sanguine ipsius, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionẽ præcedentium delictorum. Cum uerò Abraham, cui fides reputata est ad iustitiam, induxit, ut planũ faceret, neminem sine fide iustificari, mox Dauidis sententias connectit, qui illos beatos appellat, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata. Quæ quidem omnia in aliam quàm in primam,

August. epis. 157

Rom. c. 3.

Rom. c. 4.

iustificationem, in qua mens peccatorum fœditatem deponit, & iustitiæ ornamentis illustratur, quadrare nullo modo possunt.

SED iam uideamus argumenta illa quæ nullis societatis Iesu sophismatibus eludi posse Kemnicius ait. cuius uerba referam, ne me ratione aliqua calumniari possit. *Hoc tamen* (inquit) *dicam, Iesuitas impudentissimè mentiri, quòd Rom. 4. describatur prima (ut ipsi loquuntur) iustificatio. Spiritus sanctus enim per Mosem & Paulum, monstraturus exemplum ueræ iustificationis in Abraham, studiosè non uoluit sumere illud tempus cùm Abraham primùm ex idololatria Chaldaica uocaretur, & conuerteretur, sed cum à cap. 11. Genes. usque 15. per multos annos in uarijs exercitijs fide Deo obedisset, Heb. 11. in medio illo cursu, cùm multis præstantissimis uirtutibus à Spiritu sancto esset ornatus, sumit Paul. Abrahamum, & dicit, Abrahæ non operanti, credenti autem in eum, qui iustificat impium, reputari fidem ad iustitiam, ita ut beatitudo eius sit, quòd Deus illi imputat iustitiam sine operibus, iuxta dictum, Beati quorum tecta sunt peccata.* Hactenus Kemnicius, quem non miror, hac in re fuisse hallucinatum, cum uideam aliquos egregiæ eruditionis uiros, in eadem hærere salebra, à qua tamen se puto facilè explicabit, qui ad orationis Pauli filum animum diligenter aduerterit. qui ut probet omnes per fidem sine legis operibus ex impijs & sceleratis iustos fieri, inducit Abrahamũ, singulare quoddam iustitiæ, sanctitatisq; exemplum, qui non ex operibus, sed ex fide iustificatus est. Nam cùm nihil laude ac gloria dignum esse, coram Deo uideatur, nisi ex fide ortum ducat; si Abraham ex operibus iustificatus esset, haberet quidem gloriam, sed non apud Deum. Quantam autem fuerit apud Deum gloriam consequutus,

Rom. c.4

quutus, satis scriptura indicat, cùm Abrahamum ait, Deo credidisse, & reputatum illi fuisse ad iustitiam. Cum uerò ex scriptura non apertè constet, quo'nam primùm tempore ac ratione, Abrahamus peccatorũ ueniam consequutus fuerit, atq; in Dei gratiam, amicitiamq; uenerit, sumpto ex loco, quem dialectici, à minori ad maius uocant, argumento, apertè concludit, Non operum merito, sed ex fide fuisse primò iustificatũ. Estq; hæc Pauli ratiocinatio, Abrahamo iã iustificato, amplissimisq; beneficijs aucto fides reputata est ad iustitiam, hoc est, fidei merito multò iustior euasit. ergo cum adhuc esset scelerum sordibus inquinatus, non ex operibus, sed per fidem iustificatus est. Cum quo Dauidis sentẽtiæ, quæ mox sequuntur, mirabiliter consentiunt. *Gen. c. 15*

At inquies, quid igitur est, quòd tantopere iustorum opera cõmendatis, atque ad iustitiam augendam plurimòm ualere arbitramini, si Paulus iustitiæ Abrahæ incrementum soli fidei ascribit? Hunc quidem nodum facilè expediet, qui Paulum cum Iacobo contulerit, qui Abraham, inquit, ex operibus iustificatum fuisse offerentẽ Isaac filium suum super altare. Hæc uerò cum pugnare mutuò non possint, fit certè, operum nomen non idem apud duos hosce sanctissimos Apostolos ualere. Quid autem operum nomen cùm Paulus de iustitia agit, significet, satis docuit in epist. quam ad Galat. scripsit, in qua cum idem de iustificatione nostra per fidem argumentũ tractet, atque Abrahami mentionem faciat, probat, legis operibus neminem iustificari, quia iustus ex fide uiuit. Lex autem non est ex fide, hoc est, legis *Iacob. epist. c. 2.* *Gal. c. 3.*

hæc opera, quæ ad iustitiam comparandam nihil faciunt, non quidem à fide tanquàm amplissimi quidã atque uberrimi fructus eduntur, sed lege imperante solis liberi arbitrij uiribus fiunt. Quare præstare nihil aliud possunt, quàm ut qui fecerit ea homo uiuat in eis. hoc est, ut supplicia, quæ legum transgressoribus infliguntur, euitare possit. nihil tamen laudis ac gloriæ apud Deum consequetur. Cùm igitur Paulus legis opera fidei opponit, satis ostendit, de illis se operibus agere, quæ nullam habent cum fide communionem. At opera, quæ sunt ex fide & à fide oriuntur, adeò sunt ad iustificationem necessaria, ut si fides illis fuerit destituta, nihil momenti habere possit. Nam si ita Abrahamus Dei uocibus fidem adiungeret, ut filij amorem ipsius uolũtati anteferret, nunquàm profectò illi fuisset fides ad iustitiam reputata. fuit uerò fidei potius quàm operibus Abrahæ iustitia attributa, quia eximium illud atque egregium facinus, fide impellente atque adeò imperante ab illo susceptum est. fide enim, inquit Paulus, obtulisse Abrahamum Isaac filium suum cum tentaretur. *Hebr. c. 11.* Quare cum iustorum præclara opera plurimùm ad iustitiam augendam ualere dicimus, nihil sanè fidei detrahimus, sed solam uberem, fœcundam, atque feracem fidem illam esse dicimus, cui Paul. omnem nostram iustificationẽ tribuit. Quod latius cum de fide agemus, Kemnicio cogente, explicabimus.

Iustorum opera uitam æternam promereri.

NON solùm aũt ad iustitiam augẽdam, iustorum egregia opera magnam uim Christi beneficio habẽt. sed etiam ad sempiternam illam felicitatem, quam Deus diligentibus se præparauit promerendam, at-

quę comparandam. Quod tam fuit uniuersæ Ecclesiæ semper notum & exploratum, ut de eo dubitare neminem posse, sancti patres semper existimauerint. neq; enim quidquã est scripturæ familiarius, quàm bonorum operum retributionem inculcare. quod qui ad iustitiam, quæ in suo cuiusq; tribuendo cernitur, pertinere negat, retribuendi sanè uim atque significationem prorsus ignorat. neque enim retribui id dici potest, quod gratis & nullis antecedentibus meritis tribuitur, quod quidem D. Paulus satis aperuit ad Thessalonicenses scribens, Nos ipsi (inquit) in uobis gloriamur in ecclesiis Dei pro patientia uestra, & fide in omnibus persecutionibus uestris, & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum iusti iudicij Dei, ut digni habeamini in regno Dei, pro quo & patimini. Si tamẽ iustum est apud Deum retribuere, retributionem ijs, qui uos tribulant, & uobis, qui tribulamini, requiem nobiscum in reuelatione Domini Iesu de cœlo, cum angelis uirtutis eius. quæ quidem satis indicant, non minus sempiternã fœlicitatẽ iustorum esse præclaris operibus debitam, quàm æternos cruciatus eorũ sceleribus, qui nõ nouerunt Deum, neq; obediunt Euangelio Domini nostri Iesu Christi. Quare idem Paulus seruos admonet, ut liberaliter dominis seruiant, scientes quòd à domino sint retributionem hæreditatis accepturi. uox autem Græca ἀνταπόδοσις, qua Paulus utitur, mercedem propriè significat, quæ bonis actionibus debetur. Ecclesiasticus item, omnes hortatur, ut iustos debitis officijs prosequantur, certissimè sperantes, quòd amplissimam sint retributionem inuenturi, si non ab ipsis

2. ad Thes. c. 1.

ad Colos. c. 3.

Eccl. c. 12.

Ioan. epistol.2. certè à domino. Ioannes uerò Apostolus, Videte (inquit) uos metipsos ne perdatis, quæ operati estis, sed
Luc.c.6. ut mercedem plenam accipiatis. & Christus Iesus gaudere omnes & exultare iubet, qui pro diuini nominis gloria, aliquibus sunt laboribus, atque incommodis agitati, quoniam illorum merces certissima sit in cœlis. quòd si scripturæ sacræ loca omnia, quæ de iustorum mercede agũt, cum Pauli uerbis de gratiæ ratione differentis conferamus, perspicuum sanè fiet, cœlestem illam felicitatem, quam iustorum retributionem & mercedem scriptura uocat, non tam gratis & liberaliter illis à Deo conferri, quàm illorum esse operibus debitam, atque ita meriti ratio sa-
Rom.c.4. tis constare poterit. Paulus enim cum demonstrare statuit, Abraham fide fuisse iustificatum, & non ex operibus, hac una potissimùm id ratione efficit. ei qui operatur, merces non imputatur secundum gratiam, sed secundum debitum; ergo si iustitia Abrahæ esset operum illius merces; debitum sanè potius, quàm gratia dici debuisset, nam mercedis ratio cum gratiæ nomine ex aduerso pugnat. si enim gratia ex operibus, iam quidem non est gratia, sed debitum. Cùm igitur infinita sint scripturæ sacræ loca, quæ sempiternam felicitatem bonorum operum, & quæ ex charitate proficiscuntur mercedem uocant, colligitur sanè non debere illam secundum gratiam, sed secundum debitum imputari. Nam ut merces cum gratiæ ratione pugnat, ita ubi debiti ratio abest, merces reperiri nullo modo potest. si ergo iustorum præclaris actionibus aliquid mercedis debetur, est certè in illis uera atq; integra meriti ratio, quod sancti patres

tres ita diffiniũt, Est libera actio, cui præmium debetur. Quare D. Paul. diuinum illud, & cœleste præmium, ad quod aspirabat, coronam iustitiæ, hoc est, sibi debitam appellare audet. Bonum (inquit) certamen certaui, cursum consummaui, fidē seruaui, in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die iustus iudex. Quem locum explicans Primasius, sumptis ab Augus. uerbis, ait, Quomodo esset ista corona iustitiæ, nisi præcessisset gratia, quæ iustificat impium? quomodo ista debita redderetur, nisi prius illa gratuita donaretur? qui igitur pijssimus pater est, cùm iustificat impiũ; iustissimum se iudicem gerit cum coronat iustum.

2. ad Timo. c. 4.

Primas. in 2. epis. ad Timo. Aug. lib. de gratia & libe. arb.

QVOD si ad dignitatem filiorum Dei, atque ad diuinum illum spiritum, qui in illis habitat, & illos certiores reddit quòd sint filij Dei, animum quis ad uerteret, mirari certè nullo modo poterit, quòd dicamus, illorum operibus sempiternæ felicitatis opes deberi. Neque enim operum, quæ à iustis & pijs hominibus suscipiuntur, uis & efficacitas tam est ex humana infirmitate, quàm ex diuinij spiritus, quo ducuntur, uirtute metienda. Vt enim opera, quæ solius naturæ corruptæ, & deprauatæ adminiculis suscipiuntur, corruptionem illam semper redolent, ita & præclaræ actiones, ad quas diuinus spiritus mentem habitans incitat & impellit, diuinitatem quandam habeãt necesse est. Quare in illis, qui iustitiæ aquam biberunt, inquit Christus, fieri fontem aquæ salientis in uitam æternam. Nam si filiorum Dei spiritus, cœlestis est & diuinus, egregiæ sanè actiones, quæ ex illo effluunt & erumpunt, non nisi cœlestibus & diuinis

Efficacitas operũ hominum iustorum magis diuina est quàm humana.

nis præmijs possunt cõpensari. nã si in iustis pijsq; hominibus solus Christus uiuit, si illorum mentes is solus occupat, si uoluntatem oẽsq; actiones ille po tissimùm moderatur, si illius spiritu usque adeò ducuntur, ut propria uita carere uideantur, quid mirum, si ab illis edita opera non tam ipsorum quàm spiritus Christi esse dicantur? atque tantum promereantur quantum spiritus, quo ducuntur, dignitas & amplitudo postulat? Quod D. Paulus apertè significauit, cùm nos non nothos quidem sed legitimos Dei filios appellat, atque adeò eos, quibus filiorum hæreditas iure debeatur, Si filij (inquit) & hæredes, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. filij uerò hæreditate spoliari sine iniuria non possunt. Cuius cœlestis hæreditatis pignus uocat idem Paulus Spiritum sanctum, qui habitat in filijs Dei, in quo (inquit) Christo & uos cum audissetis uerbum ueritatis, Euangelium salutis uestræ, in quo & credentes signati estis spiritu promissionis sancto, qui est pignus hæreditatis nostræ in redemptionem acquisitionis, in laudem gloriæ ipsius. Neque enim diuinus hic spiritus tantummodo testimonium reddit spiritui sanctorum, quòd sint filii Dei, sed etiã quod hæreditas illis, & filiorum iure, & promissionis illis factæ ratione debetur, quam iustissimus iudex, atq; uerissimus dominus exoluet. quare eundem, spiritum promissionis uocat. quem Pauli locum enarrans D. Hieronymus inquit, Latinum interpretem, pro arrabone posuisse pignus, multũq; inter pignus & arrabonem interesse. nam arrabo (inquit) futuræ emptioni quasi quoddam testimonium & obligamentum

Gal. c.3.
Rom. c.8
Eph. c.1.

mentum datur; pignus uerò sine ἐνέχυρον pro mutua pecunia opponitur, ut cùm illa reddita fuerit, reddenti debitum pignus à creditore reddatur. Non erat igitur, Kemnici, quòd tàm acriter Coloniensibus cũ de operibus agis, succenseres, quòd dixerint, rectè quidem, si cum ueteribus patribus loquendum sit, dici posse, Deum uitam æternam nobis uenalem proposuisse, cum uideas Hieronymum affirmantem, uocabulum ἀρραβὼν, quo Paulus utitur, ad emptionem, atque uenditionem propriè pertinere. Quinimmo & Clemens Alexandrinus, omnes ad sempiternam uitam emendam inuitat & allectat, Ne pigeat (inquit) uel laborasse, si uelitis preciosissimam salutem emere pro thesauro, charitate & fide uitæ. Quod quidem est iustum precium, quod libenter Deus accipit. quòd si sanctorum patrum monimenta euoluamus, facilè uidebimus, ita omnibus fuisse persuasum, iustorum opera plurimùm apud Deum promereri; ut de eo dubitare nemo unquam in animum induxerit. Origenes enim multis docet, unicuiq; dum uiuit gratiam donari, pro fidei mensura, & in futuro pro mensura meritorum. Quid uerò hac de re senserit Diuus martyr Cyprianus, ut plurimis in locis, tum maximè ad sanctos quosdam martyres, qui ad metalli fodinas adacti erant, scribens, ornatissimè, & diuino quoddam spiritu percitus aperit, An ego (inquit) possum tacere, & uocem meam silentio premere, cũ de charissimis meis tã multa & gloriosa cognoscam, quibus uos diuina dignatio honorauit? ut ex uobis pars iam martyrii sui consummatione præcesserit, meritorum suorum coronam de domino

Clemens Alex. in parænet.

Cypr. lib. 3. epistola. 25.

Ggg receptu-

receptura, pars adhuc in carceris claustris, siue in metallis & uinculis demoretur, exhibens per ipsas suppliciorum moras, corroborandis fratribus, & armandis maiora documenta, ad meritorũ titulos ampliores, tormentorum tarditate proficiens, habitura tot mercedes in cœlestibus præmijs, quot uincendis numerantur in pœnis? & cum elegantissima oratione cœlestis præmij certam spem, meritorumq; amplitudinem exornet, ut sanctorum martyrum dolorem leuare, atque suppliciorum atrocitatem aliqua ex parte lenire posset, sic tandem concludit, Qui nunc uobis, dilectissimi fratres, conscientiæ uictricis uigor? quæ sublimitas animi? quæ in sensu exultantia? qui triumphus in pectore? unumquenque uestrum stare ad promissum Dei præmium, de iudicij die esse securum, ambulare in metallo, captiuo quidem corpore, sed corde regnante? scire Christum secum esse præsentem, gaudẽtem tolerantia seruorum suorum, per uestigia, & uias suas ad regna æterna gradientium? Expectatis quotidie cœli professionis uestræ salutarem diem, & iam iamq; de sæculo recessuri ad martyrum munera, & domicilia diuina properatis. D. etiam Hilarius, ex Christi uerbis demonstrat, non solis uerbis, sed de nostro, hoc est, uirtutum officijs esse uitam æternam promerendam. D. item Ambrosius ad Vercellensem Ecclesiam scribens, pluri-mis scripturæ locis atque rationibus eos redarguit, qui existimabant, nullum esse ieiunij atque continentiæ meritum. Qui (inquit) sunt ij præceptores noui, qui meritum excludant Ieiunij? Non'ne Gentilium uox ista est dicentium, Manducemus & bibamus?

Hilarius in Matt. com.6.

Ambros. lib.6. epistola 82.

mus? quos bene irridet Apostolus dicens, Si secundum hominem pugnaui Ephesi ad bestias, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? Manducemus & bibamus, cras enim moriemur. hoc est, quid mihi profuit usque ad mortem contentio, nisi ut hominē redimérem meum. Et paulò inferius, Epicureorum discipulos eos uocat, qui perire merita uirtutum arbitrantur. prætermitto sanctissimum uirum Ephrem Syrum, qui castitatem, continentiam, humilitatem, obedientiam, cæterasq; omnes uirtutes plumas uocat, quibus ad Deum mens uolat. Quòd si Diuum Augustinum, qui ea, quæ ad iustificationem attinēt, cæteris omnibus & uberius, & felicius explicauit, cō sulas, facilè uidebis, nulla de re crebrius, quàm de bonorum operum meritis facere mentionem. Post hanc uitam (inquit) merces perficiens redditur, sed eis tantum, à quibus in hac uita eiusdem mercedis meritum comparatur. Non enim ad saturitatem iustitiæ, cùm hinc exierit, quisquam perueniet, nisi ad eam cùm hic est, esuriendo & sitiendo cucurrerit. Et alibi, multis contendit, diuinæ iustitiæ ualde illum iniuriosum esse, qui optat, ut uita æterna, quam uirtutum præmiū sacræ literæ ponunt, antecedat merita. Et Valentiniano scribens, ostendensq; iustitiam à nemine posse promereri, ait, Ne quisquam dicat, meritis operum suorum, uel meritis fidei suæ, sibi traditam esse Dei gratiam, & putetur uerum, esse quod illi hæretici dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari, quod omnino falsum est, non quia nullum est meritum uel bonum piorum, uel malum impiorum, alioquì quomodo iudicabit Deus hūc mun

Aug. lib. de perfec. iust.

August. De moribus ecclesiæ cath. lib. 1. c. 25.

Aug. epi. 46.

merita humana ſic prædicant, ut ea ex ſemetipſo habere hominem dicant, prorſus rectiſſimè reſpondet Apoſtolus, Quis in te diſcernit? quid autem habes, quod non accepiſti? Si autem accepiſti, quid gloriaris quaſi non acceperis? prorſus talia cogitanti, ueriſſimè dicitur, Dona ſua coronat Deus, non merita tua, ſi tibi à te ipſo, non ab illo ſunt merita tua. hæc enim ſi talia ſunt, mala ſunt. quæ autem mala ſunt, non coronat Deus; ſi autem dona ſunt, Dei dona ſunt. *Gal. c. 7.* *Gal. c. 5.*

AT inquis, *Paulus expreſſis uerbis dicit, iuſtitiam legis eſſe, qui fecerit ea homo, uiuet in illis. & rurſus c. 5. Si ex lege iuſtificatio, hoc eſt, ex illo pacto, qui fecerit hæc, uiuet in eis. euacuati eſtis à Chriſto, à gratiá excidìtis*. aliaq; eiuſmodi quàmplurima infarcis, quæ ſatis indicant, te non tam cauſæ patrocinari, quàm imperitis hominibus ueritatis quadam ſpecie imponere uoluiſſe. Ne uerò fruſtrà tempus inſumatur, ſatis abundè explicauimus, D. Paulum ea appellare opera legis, quæ cum non ex fide proficiſcantur, externum tamen quoddam uirtutis ſpecimen habent, quod D. Paul. eadem in epiſtola ſatis ſignificauit, cùm legem dixit, non eſſe ex fide; hoc eſt, opera à lege præſcripta, quatenus legis ſunt, non oriri ex fide. unde fit ut uitam æternam, quæ non niſi fide, & ſingulari charitate exornatis exhibetur, promereri nullo modo poſſint. Ne tamen omni prorſus præmio deſtituta eſſe uideantur, Moſis illa uerba adiungit, Qui fecerit ea homo, uiuet in eis. hoc eſt, ſupplicia legis uiolatoribus conſtituta effugiet. Quod uerò attinet ad locum alium Pauli, Si ex lege iuſtificatio, euacuati eſtis à Chriſto. magna mihi quidē, Kemnici, *ad Galat. c. 3.* *Leu. c. 18* *Gala. c. 5*

mnici, iocandi occasio oblata abs te erat, si de re tam seria iocari liceret. Ita enim, Paulo inuito, ipsius sententiam inuertis, atque extranea quadam interpretatione corrumpis, ut illam somniasse magis quàm meditatus fuisse uidearis. Quid enim magis extraneum esse potest, quàm ea, quæ de Mosaicæ legis præceptis quàm apertissimè dicta sunt, de nescio qua promissione, in qua causæ quasi arcem collocasti interpretari? Audi, quæso, Pauli uerba, quæ te forte à tam graui somno nunc tandem excitabunt. State,
Gal.c.5. inquit, & nolite iterum iugo seruitutis contineri. Ecce ego Paulus dico uobis, quoniã si circuncidamini, Christus uobis nihil proderit. Testificor autem rursus omni homini circuncidenti se, quoniam debitor est uniuersæ legis faciendæ. Animum, quæso, diligenter aduerte de quibus legis operibus Paulus uerba faciat. Euacuati, inquit, estis à Christo, qui in lege iustificamini, à gratia excidistis. hoc est, illis, qui in circuncisione, & legis ceremonijs iustitiam quærunt, prodesse Christus nihil potest, cuius mox rationem adiunxit, Nos enim spiritu & fide iustitiam expectamus: nam in Christo Iesu, neque circuncisio aliquid ualet, neque præputium, sed fides, quæ per charitatem operatur. Hoc est, nos, qui Christianum nomen uerè & sincerè profitemur, legis spiritu magis, quàm intermortua litera ducti, speramus iustificari per fidem, cuius signum gerebat circuncisio. Certò enim scimus, in Christo Iesu neq; pelliculæ illius abcisionem religiosam esse, neque præputium profanum dici posse, apud quem sola fides, quæ ardentis charitatis facibus incitata, uirtutum præclara opera edit,

edit, plurimùm ualet.

OBIICIT demum Kemnicius illa Iesaiæ uerba, Omnes iustitiæ nostræ sunt, ueluti pannus menstruatæ, quibus cum existimet significari, nullum esse uirtutis opus, quod non sit aliqua turpitudinis labe respersum, concludit, Nihil nostra opera apud iustissimum Deum promereri, qui omnes iniquitates summo odio prosequitur. quod argumentum tanti facit Caluinus, ut eo potissimùm omnem se meriti uim deiecisse atque labefactasse arbitretur. Quocirca ad orationis Iesaiæ seriem animum aduertamus, quæ omnibus nos his angustijs liberabit. Is igitur ornatissima mœstissimaq; oratione populi Israelitici calamitates & miserias lamentatur, quas eò maiorem sibi tristitiam & mœrorem afferre ait, quia ex populi sui infinitis sceleribus occasionem habuisse uideantur, atque ideò diuinam clementiã precatur, ne eos diutius in errore uersari sinat, neque eorum animos contra spiritum obdurari permittat, sed illos molliat atque leniat, in uiamq; legis suæ reuocet, ut tandem Dei timore coerciti, sanctissimi spiritus imperium sequantur, cœlesteq; numen omni mente colant, & uenerentur, Quare (inquit) errare nos fecisti domine de uijs tuis, indurasti cor nostrum ne timeremus te? conuertere propter seruos tuos tribus hæreditatis tuæ. quia uerò satis intelligit, hoc tantum Dei beneficium, non nisi per Christum posse mortalibus contingere, ipsius aduentum omni animi contentione deprecatur. vtinam (inquit) cœlum discinderes, atque te dimitteres in terras, numenq; tuum cõfestim apparêret, mentesq; ut olim in conspectu tuo magno Ies.c.64.

quo-

quodam motu concussi diffluerent, atque ut subiectis ignibus omnia colliquefacta labuntur, & aquæ uehementius efferuescentes effunduntur, ita totius Orbis terrarum principes furenter agitati, flãmarumque incendio corruerent, ut hostes nominis tui uim tuam atque potentiam cernerent, & gentes in conspectu tuo contremiscerent. Quanta uerò sit iustorum hominum, & qui cum aduentante Christo arctissimo sunt amore copulati, beatitas & amplitudo, mox explicat, A` sæculo, inquit, non audierunt, neq; auribus perceperunt, oculus non uidit, Deus absque te, quæ præparasti expectantibus te. illis enim in uotis atque precibus semper occurristi, usque adeò, ut nos etiã, qui infinitis sumus sceleribus commaculati, in eorum patrocinio certum perfugium haberemus, quippe qui nobis à Deo misericordiam & scelerum ueniam impetrare soliti erant. At nunc facti sumus ut immundi omnes nos, & quasi uestis lacera & sordida omnes iustitiæ nostræ: unde fuit ut quasi folium uniuersi ceciderimus, & iniquitates nostræ nos tanquàm uentus sublatos dispellant. illud uerò ad miseriæ nostræ cumulum accessit, quòd non sit, qui inuocet nomen tuum, & qui apud te tantum nunc gratia ualeat, ut consurgere possit, & tenere te, hoc est, ut tibi, quemadmodum olim homines sanctissimi faciebant, uim precibus intentare possint. Hæc, Kemnici, est uera & germana Iesaiæ sententia, quam eò fusius fortasse quàm par erat, explicaui, ut uideas quanto in errore tu tuiq; præceptores uersentur, qui omnibus hominibus etiã sanctissimis uerba illa accõmodant, quæ de filijs Israel idololatris

tris atque infinitis sceleribus inquinatis dicta sunt. Cùm præsertim propheta eodem orationis contextu, iustorum dignitatem atq; gloriam mirum immodum exornet & illustret, atque ita amplificet, ut asserat, posse illos Deo uim precibus inferre, alijsq; misericordiam facilè implorare. Non inficior tamen quin si iustorum opera non modò cum diuina iustitia, sed etiam cum beatorum sanctitate, qui iam sunt iustitiæ perfectionem consecuti, conferantur, sint ue luti uestes laceræ, atque sordibus respersæ: inde tamen non fit, nullum posse in hac uita iustorum præclarum opus reperiri, quod omni culpa uacare uideatur.

De Fide.

GRAVIS sanè atque perdifficilis quæstio est, de fide & operibus, & in qua explicanda præclara ingenia magna cum laude incubuerunt, his præsertim temporibus, in quibus ita est à fidei proditoribus obscurata, difficultatibusq; inuoluta, ut pro fide perfidiam uoluisse nobis obtrudere uideantur. Quoniam uerò solùm institui Coloniensium censuram à Kemnicij calumnijs uindicare, ea autem, quæ ab illo hîc inconsideratè, ne dicam impiè, & temerariè dicuntur, magna ex parte sunt à nobis cum de iustificatione egimus, profligata, breuius omnes de fide controuersias, quàm soleo, perstringam. Kemnicio tamen non possum non principiò gratulari, quòd ueterem Ecclesiæ fidem, quam Lutherus prorsus abie-

cit, ipse aliqua ex parte retinuisse præseferat. Nam multis cõtendit, se non nudæ & ociosæ fidei tribuere iustificationem, sed illi, qui per charitatem operatur, atque adeò confitetur, intermortuam fidem, & dilectionis pœnitẽtiæq; expertem, non esse illam, quam Paulus iustificantem uocat, & cum de operibus agit, nihil sibi suisq; esse antiquius affirmat quàm uniuersæ plebi charitatis & officiorum necessitatem demonstrare, atque ad eorum studia modis omnibus illam incitare; in eoq; potissimùm à nobis dissentire innuit, quòd nos iustorum præclara opera plurimùm promereri credamus, ipsi uerò contrà, leuia illa esse, inania & quibus nihil prorsus apud Deum promereri possimus, indicent. quod quantum cum sacris literis & diuina bonitate pugnet, satis (ut puto) demonstrauimus. Quid autem Kemnicius eiusq; complices de bonorum operum necessitate populum doceant, ignoro quidem, attamen quantum egregijs ipsi persuasionibus profecerint, satis Hieronymus Mentzelius nõ ignobilis inter eos auctor his, uerbis docuit; Postquã per sanctum Euangeliũ à Papæ tyrannide & potestate liberati sunt (Germanos intelligit) & assueuerunt homines illius cõstitutiones reijcere, progrediuntur ulterius, & uolunt, eandem consuetudinem in alijs quoque rebus omnibus, siue sint bonæ, siue malæ, retinere; uolunt esse liberi, nec à quoquam prohiberi, quo minus arbitratu suo uiuant, haud aliter quàm si Euangelium esset talis doctrina, quod unicuique concedat potestatem faciendi, quod illi placet, quæ nullum ordinem, nec ullam disciplinam ferre possit: quòd si quis eis resistere fuerit ausus, eò ueniunt

Hierony. Mẽtzel. lib. de Pastoribus. Quem fructum Lutheri doctrina attulerit ex eorũdem testimonio.

ueniunt audaciæ, ut non solùm odia suscipiant erga suos prædicatores, & eos contumelijs afficiant, sed etiã pro uirili sua tyrannicè insectentur. At si quem uolunt ordinem prædicatores instituere, statim uim esse dicunt minimè Christianam, & nouationem quandam, & introductionem ueteris Papatus, per quam prædicatores propriam suam potestatem & dominationem in commissum sibi gregem stabilire uelint. Qui si pergant urgere, quæ sanctè constituerunt, non solùm conuicijs afficiuntur, uerùm etiam ad extremum expelluntur. Neque dissimilia queritur Ioannes Spangembergius. nam inter maxima à Luthero accepta beneficia numerans, quòd Romani Pontificis, hoc est Ecclesiæ, iugum ab eorum ceruicibus deiecisset, quem ex tanto illo beneficio fructum perceperint, his uerbis edocet, Vetus prouerbium & à multis doctoribus repetitum, quòd post reuelationem Antichristi, tam erunt homines fieri, quòd iam deinceps nolent Deum agnoscere, nec ullam illius rationem habere, sed iuxta suam quisque uoluntatem faciet quidquid Diabolus, & caro suaserit. hoc tempus iam (inquit) completum uidemus. postquã enim admirabili quadam, & singulari Dei gratia, Antichristianismi, siue Papatus deceptiones manifestæ sunt, incipiunt iam homines nihil amplius credere. Et postquàm à uinculis Papatus se liberos esse uident, uolunt etiam esse liberi ab Euangelio, & præceptis Dei, & uolũt ut deinceps rectum sit ac iustum quidquid unicuique uisum fuerit. Sed iam, Kemnici, aduerte quantus sit furor atque insania, eum Antichristum appellare, cuius leges quàm diutissimè

Germaniam in fide atque officio continere potuerunt,& quas cùm primùm conuulsit & conculcauit, Pontificiam auctoritatem contempsit, obedientiam abiecit, paternumq; iugum repulit,ad omnia scelera tetraq; facinora fores patefecit. Nec plebs fidem diutius tueri pietatem, conseruare,officiumq; colere potuit,nihilq; fuit,quod illius furorem cohibere potuerit,quo minus effrenata quadam licentia, & præcipiti audacia in omne uitiorum genus raperetur.quæ satis magno argumento sunt, ita esse Romani Pontificis auctoritatem cum uera fide & pietate coniunctã, ut nemo illius proditor esse possit, quin huius sit etiam nefarius ac sacrilegus desertor. Cum igitur insana illa & temeraria Lutheri tui in nuda fide confidentia, tantas turbas in Germania concitauerit, & uestrum per multi tantæ insaniæ debitas pœnas luerint, non miror si uestro periculo docti, alienoq; malo admoniti, charitatis, modestiæ,temperantiæ,omniumq; bonorum operum necessitatem, tanquàm iustificationi,atque saluti necessaria officia uestris persuadeatis, quibus rebus non magis illorum saluti, quàm uitæ uestræ consultum iri putatis: sed quacunque tandem id ratione inducti agnoscatis, uobis gratulor, & nobis gaudeo. Nam siue per occasionem,si-
Phil.c.1. ue per ueritatem Christus annuntietur,& in hoc gaudeo,sed & gaudebo,et spero breuì uos ad Romanam Ecclesiam communem Christianorum omnium matrem redituros, atque id ipsum nos omnes esse dicturos.

SED quando de bonorum operum ad iustificationem necessitate nihil te dubitare asseris, *quæstionis*

statum

ſtatum, inquis, *eſſe*, *An fides iuſtificet propter opera, quæ parit? an uerò propter Chriſtum, quem appræhendit, qui factus eſt nobis à Deo iuſtitia.* quæ magnam præſeferunt coniecturam, haud te percipere, qua ratione fides iuſtificare dicatur. nã cùm ipſa non ſit cauſa efficiẽs iuſtitiam, quæ ſola eſt diuina miſericordia, nec meritoria, quæ ſolùm Chriſto competit, qui non alia de cauſa noſtra dicitur iuſtitia, ſanctificatio, & redemptio, quàm quia ea omnia nobis abundè promeruit (ut apertè demonſtrauimus) nec item forma ſit illa, quæ cùm mentem informat, iuſti dicimur; colligitur ſanè, ideò iuſtificandi uim fidei in ſacris literis tribui, quia iuſtitiam neceſſariò præit, & præcurrit, atque animum ad iuſtitiam accipiendam præparat, & præmunit. nam ſine fide impoſſibile eſt placere Deo; atque adeò quamcunque tu tandem iuſtificandi rationem fingas, ſiue fictitiam illam, & imputatiuam, quam profligauimus, ſiue ueram atque expreſſam, nullã certè aliam ad iuſtificandum uim fides habet, quàm animũ præparare, ne iuſtitiæ ſit prorſus indignus, quod explicatiſſimè Theologi ſcholaſtici dixerunt, Tenere ſe, ſcilicet fidem ex parte noſtra, ut iuſtitia exornari poſſimus. Cùm igitur ex impijs iuſti efficimur, Chriſtus mentium ſanctificator non quidem ſola fide, ſed ſpe atque charitate appræhenditur. fide enim credimus in eo uno uitam noſtram atq; ſalutem poſitam eſſe; ſpe excitamur, ut Chriſti nos bonitate atque meritis uitam, ſanitatemq́ue recuperaturos eſſe, ſperemus. Charitate incẽdimur, illumq́; omni ſtudio atq; amore proſequimur, quem iuſtitiæ, ac bonorũ omnium fontem eſſe intelligimus: quæ amoris uis, in animis

noſtris

nostris magnum certè in ea scelera odium, quibus diuinam indignationem prouocauimus, filium Dei conculcauimus, atq; spiritum gratiæ, contumeliam fecimus, concitare solet. Quare impius fide iustificari ideò dicitur, quia fides initium ac fundamentum est iustificationis, atq; ad spem & charitatem fores quodammodo aperit, quæ opera sunt ad iustitiã comparandam necessaria, & quibus Christum perfectè appræhendimus. Non igitur inficiamur, omnes iustificari per Christum mente appræhensum, asserimus tamen, neminem rationis ac cõsilij compotem iustificari, ni Christum fide, spe, ac charitate simul appræhendat, quibus animus cumulatè ad iustitiam præparatur. quod Paulus in epistola, quam ad Hebræos scripsit, satis aperuit, cùm fidei dignitatẽ commendans atque exaggerans, illi plurimorum iustificationem tribuit, non ob Christum solo intellectu, qui fidei sedes est, appræhensum, sed quia ad spei, & charitatis egregia opera illos uiros præclaros incitabat. Noe inquit, responso accepto de ijs, quæ adhuc non uidebantur, metuens, aptauit arcam in salutem domus suæ, per quam damnauit mundum, & iustitiæ, quæ per fidem est, hæres est institutus. An existimas, quòd nisi Noah fidei, quam diuinis *uerbis* habuit, certam spem, obedientiamq; adiunxisset, iustitiæ, quæ per fidem est, hæres unquam institueretur? sed quia fides, quam diuinis uerbis habuit, illum in certissimam salutis spem adduxit, atq; Dei, qui eius salutem tam studiosè curabat, amore inflammauit, fide iustificatus dicitur, quod paulò pòst magis idẽ Paulus aperit. Deficiet, inquit, me tempus enarran

ad Heb. c. 11.

tem

tem de Gedeone, Barac, Sanson, Iephte, Dauid, Samuel, & Prophetis, qui per fidem uicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerũt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello, castra uerterunt exterorum. Qui ideò hæc tam præclara facinora per fidem præstitisse dicunt, quia non nisi fide ducti, & incitati, ad omnia se charitatis officia adiunxerunt. Colonienses uerò, haud quidem arbitrantur, præclaris hisce operibus impios iustitiam promereri, ut tu temerè calumniaris, quam gratis nobis à Deo conferri cum Paulo sæpius confitentur, sed quemadmodum tu fidem, quæ iustitiam necessariò præit, & præcurrit, non quidem iustitiam promereri (neque enim iam esset gratia) sed animum ad eam suscipiendam præparare arbitraris, ita illi cùm spei, & charitatis actiones cum fide colligandas esse dicunt, non quidem meriti aliquam uim constituunt, sed ad animũ præparandum, & præfulciendum, necessarias esse, sacrarum literarum testimonijs edocti affirmant.

QVID horum uerò in hac animi præparatione primas partes obtineat, etiam inter catholicos non satis constant, dum quidam fidei, alij uerò charitati ac pœnitentiæ, quæ ex charitate oritur, primas deferunt: ipse uerò & si fidem, iustitiæ esse quasi fundamentum agnoscam, & ex ea egregios omnes animi motus ortum ducere nõ ignorem, principem tamen locum charitati semper defero, quæ & ad Deũ mentium iustificatorem, & ad ipsam iustitiæ formam propius accedit. quare D. Paulus apertè charitatem fidei

dei

dei præfert, cùm ſine charitate, quæ Euangelii ſummam continet, fidem nihil prodeſſe, aſſerit. Cum qua ſi coniuncta ſit, & copulata, mentem ſanè mirabiliter illuſtrat, & exornat. Quòd ſi ad rerum naturam animum aduertamus, facilè uidebimus, ea ad quidpiam efficiendum potiſſimùm ualere, quæ ad illud augendum plus uirium momentiq; habent. Cùm igitur iuſtitiam augere, atque amplificare, nullæ res magis, quàm charitatis officia poſſint, colligitur ſanè neceſſariò, ea in animo ad iuſtitiam præparãdo principem locum obtinere: quæ tamen non de charitatis habitu, ſed de actionibus intelligenda ſunt.

In tertio Axiomate illud ſolùm adnotabo, quàm uafrè & ueteratoriè Kemnicius aſſerat, Colonienſes arbitrari, *Obiectum fidei iuſtificantis, non eſſe promiſſionem miſericordiæ in Chriſto mediatore, ſed uerſari in omnibus illis, quæ a Deo Eccleſiæ in uerbo reuelata ſunt.* qui tamen eo in loco, quem ipſe calumniandum ſuſcepit, reprehendunt Monhemium, quòd Caluini impietatibus delibutus, doceat, nos ea tantùm credere, quæ ad promiſſionem ſpectant, non autem illa, quæ minas inducunt, multisq; demonſtrãt, fidem illam, ex qua fideles nominamur, in omnibus uerſari, quæ à Deo Eccleſiæ ſuæ per ſcripturas, ſiue per traditionem, indicata ſunt. Neque tamen inficiantur, cum iuſtificamur, fidem potiſſimùm in ſalutis noſtræ auctorem atque conſummatorem Ieſum reſpicere, quippe cuius meritis innixi, ſalutem, iuſtitiamq; ſperamus. iuſti-
Rom.c.2. tia enim Dei per fidem Ieſu Chriſti in omnes, & ſu-
act.c.10. per omnes, qui credunt in eum. Cui (ut D. Petrus ait) omnes Prophetæ teſtimonium perhibent, re-

miſſio-

missionem peccatorum accipere, per nomen eius, omnes, qui credunt in eum.

QVATVOR ultimis Axiomatibus Kemnicius tanta procacitate in Colonienses inuehitur, quòd affirment, fidem in uniuersalibus tantùm pronuntiatis uersari, ut scurram consultò agere uideatur. quæ uerba qua solet sinceritate in hunc modum interpretatur, *Iesuitæ asserunt, fidem meam non debere in Christo hoc quærere, ut ego saluer, sed debere contentam esse generali assensione, Certam esse hanc sententiam, Qui crediderit saluus erit*. quæ omnia eò tendũt, ut omnes cum Luthero & Caluino certò credant secumq; statuant, iustitiam se per fidem fuisse consecutos. quã insanam temeritatem cum refellunt Colonienses, multis ac magnis argumentis ostendunt, fidem non spectare priuatas hominum actiones, sed de uniuersalibus tamen rebus agere. Euangelica enim doctrina docet, eos, qui sincera fide & ardenti charitate Deum prosequuntur, iustitiæ ornamentis illustrari, minimè tamen asserit, an ipse ea omnia habeam, quæ ad iustitiam comparandam sunt necessaria. Edocet fides, me in nullo alio salutem quærere, aut ab alio quàm à Christo iustitiam sperare posse, atque adeò ut tuis uerbis Kemnici utar, docet, fidem meam potissimùm debere in Christo quærere, ut ego saluer. sed an eam operam ad iustitiam consequendam, quam oportebat, adhibuerim, ex fide nõ accepimus. Nam etsi iustitiam nemo ullis officijs promereri possit, ijs tamen solùm à Deo tribui, qui pœnitentiæ se ac charitatis actionibus ad illam suscipiendam præpararunt, abundè demonstrauimus. Quare cùm fidei testimonio non constet, an ea

omnia quis præstiterit, quæ sunt ad iustitiam compa randam necessaria, præclarè quidem à Coloniensibus dictum est, fidem in singulis hominum iustitijs minimè uersari, quod & tu, si modò tibi constas, confitearis necesse est. neque enim ita nudæ fidei iustificationem tribuis, aut illã omnibus esse officijs spoliatam uelis, quinimmo hypocritam illam fidem appellas, quæ pœnitentia caret, neque ad iustificationem quidquam ualere arbitraris. Sed agedũ uideamus, ex quo scripturæ loco constet, tuam fidem, cum pœnitentia coniunctam esse, aut hanc, quam tu pœnitentiam ducis, ueram esse, neque quidquam hypo crisis ac fallaciæ coniunctum habere? quòd si aliqua offendisti scriptutæ sacræ arcana mysteria, quæ Catholicam ecclesiam de tua, aut Caluini uera pœnitẽtia certiorem facere possint, nobis commõstra, nam & uobis gratulabimur, & confitebimur, uos uerè iustos esse. de me id certè testari possum, quòd certissimè credo, & nulla ratione dubito, mihi ad iustitiam aditum patêre, si sincera fide, ueraq; pœnitentia ad diui næ gratiæ thronum accessero. Sed an id uerè ac integrè aliquando præstiterim, constare mihi certè nunquam potuit, neq; alicui constabit unquam, nisi singulari Dei beneficio illi fuerit diuinitus reuelatum. At cum Philippo inquies, fidei tantam uim esse, ut si qua pœnitentiæ defuerint, ea ipsa abundè suppleat. An non uides, id nihil esse aliud, quàm pœnitentiæ necessitatem eludere, & soli fidei, quam tu ipse infor mem & hypocritam uocas, iustificationem tribuere? Nam si fides, quod pœnitentiæ defuit, supplet, ergo ipsa sola etiam pœnitentiæ expers iustificat. sin uerò

pœnitentia

pœnitētia semper est apprimè necessaria, ut & tu ipse fateris, & ex sacris literis demonstrauimus, aut certè pœnitentiam nos ueram habere constet, necesse est, aut nunquam iustitia nos esse exornatos, perspicuum esse potest.

QVOD si ad peccatorum uarietates atque dissimilitudines animum aduertas, id clarius perspicere poteris; neque.n.inficiari potes, aliqua esse peccata, ipsis etiam peccatoribus usq; adeò occulta, ut illa internoscere nullo modo possint, ut quæ ex pingui quadam ignoratione procedunt. Quare & D.Paulus ait, *1.ad Timo.c.1.* se fuisse misericordiam consecutū, quoniam per summam ignorantiam, Dei ecclesiam tam fuerat acriter insectatus. à quo quidem scelere se libentissimè abstinuisset, si in Christi cogitationem aliqua ex parte uenisset. quinimmo neque negare ipse potes, ignorationem ipsam quandoq; summum scelus esse. nisi fortè Anabaptistarum, Cœlestium Prophetarū, Præmonstratensium, atque similium monstrorum impietates omni culpa uacare arbitraris, quia falsa quadā persuasione decepti, inscienter peccant. Quare Dauid sanctissimus humani cordis tenebras, & quasi latibula, ad quæ nemo penetrare nisi Deus potest, ue- *Psal.50.* ritus, diuinum numen precatur, ut sibi occulta & abscondita scelera condonaret. quòd si ex Anabaptistis, Catharis, Arrianis, atque ex ijs demum, qui abditis hisce sceleribus inquinati sunt aliquis, Christū mediatorem Dei & hominum fide appræhēderit, & certò sibi persuaserit, iustificatum se esse, putas'ne tantam esse fidei huius uim, ut omnes illius impietates contegantur, neque illi aliqua ex parte impu-

 tentur,

tentur, usque adeò ut credere teneatur, se iustum esse? quod si ita rē se habere existimas, quid est, quòd tantopere in religionis nostræ mysterijs confirmādis digladiamur? si unica hæc iustitiæ persuasio omnia crimina delet, & omnem fidei uirtutumq; iacturam resarcire facilè potest, hanc iustificationis rationem mortalibus omnibus persuadeamus, reliqua uerò cuiusque iudicio, libidini, atque uoluntati relinquamus. Si uerò hæc uel cogitare impium est, nemo certè sine maxima temeritate sibi salutem certò polliceri, aut tanquàm fidei dogma minimè dubium credere potest, iam se esse iustificatum, cùm scire nemo possit, an aliquo sit crimine implicatus, cuius nulla sit ratione conscius. Quare neque D. Paulus iustum se ducebat, & si nullius criminis conscientia esset cō-uictus, quippe qui nouerat, diuinum iudicium à nostro tam esse disiunctum, ut multa nefaria crimina admittamus, quæ omni culpa uacare ducimus. quòd si uobis rationem aliquam antiquus ille serpens nuper demonstrauit, qua altissimo similimi effecti, ita cordis uestri recessus introspiciatis, ut nulla uos crimina latere possint, nihil mirum si iustitiæ etiam ornamenta explorata uobis esse possint. sed si multa uestram, ut aliorum hominum, cognitionem effugiunt, hæc sanè nostra confidentia temeritati quidem potius, quàm fidei ascribenda est: nisi forte cum Bucero, ridiculè magis, quàm acutè respondeas, fide tum hominem certum reddi, quòd iustitiæ sit luminibus illustratus, quando Spiritus sanctus id intus in animo testatur. quod nemo unquam dubitauit. Nam cùm Spiritus sanctus neque falli, neq; fallere possit,

1. ad Cor. c. 4.

si

si constiterit, aliquid esse Spiritus sancti testimonio firmatum, tam est certò credendum, quàm reliqua fidei mysteria. illud tamen in quæstione uersatur, an scilicet constare certò possit, illam, quam multi sentiunt, mentis testificationem, esse Spiritus sancti uoces. atqui affirmamus id constare nemini sinè peculiari reuelatione posse. Non negamus tamen, plurimas esse coniecturas plurimaq; argumenta, quibus sine temeritatis nota persuadere sibi quis possit, Deo se gratum esse. Pernegamus tamen cum Concilio Tridentino, euidenter id alicui constare, aut fidei testimonio sciri ab aliquo posse, nisi peculiari Dei reuelatione fuerit certior factus. Nam sicut (inquit) nemó pius de Dei misericordia, de Christi merito, deq; sacramentorum uirtute & efficacia dubitare debet, sic quilibet dum se ipsum, suam propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare & timere potest, cùm nullus scire ualeat certitudine fidei, cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. Quod D. Hieronymus sæpius inculcat, cùm Prophetæ scelerum ueniā cum aliqua dubitationis nota pollicentur. vt apud Danielem, Peccata tua eleemosynis redime, & peccata tua misericordijs pauperum: forsitan ignoscet dominus delictis tuis. & apud Ioelem, Quis scit si conuertatur & ignoscat, & relinquat post se benedictionē? ex quibus colligit Hieronymus, summæ illos temeritatis reos esse, qui confidenter ueniam pollicentur peccantibus: quæ loquendi forma cùm sit diuinis scripturis usitatissima, dementissima ac planè Pharisaica temeritas est, ut nobis eam salutem certò polliceamur,

Concil. Trid. sess. 6. sub Paulo 3. c. 9.

Dan. c. 4.

Ioel. c. 2.

ceamur, de qua Spiritus ſanctus dubios nos eſſe uoluit. Quare Solomon poſtquam pœnitentes miſe-
Prouerb. c.28. ricordiæ ſpe erigit atque recreat, beatos illos dicit, qui ſemper ſunt pauidi, neque unquam ſecuritatis confidentia ſibi ad flagitia aditum aperiunt.

QVÒD ſi ad ſanctorum patrum monimenta, unde diſciplinæ integritas & fidei certiſſima regula petenda eſt, animum aduertamus, facilè intelligemus, perſuaſionem eſſe minimè Chriſtianam, ſibi de conſecuta iuſtitia blandiri. D. enim martyr Cyprianus,
Cypr. ſermo. de Eleemoſyna. ita nos uitam inſtituere docet, Nemo (inquit) ſic ſibi blandiatur de puro, & immaculato corde, ut innocentia ſua fretus medicinam non putet eſſe adhibendam uulneribus, cum ſcriptum ſit, Quis gloriabitur
Prou. 20 caſtum ſe habere cor? aut quis gloriabitur, mundum ſe eſſe à peccato? D. uerò Hieronymus id luculentius docet, cùm uerba illa Ieremiæ interpretatur,
Ier. c. 13. Ecce ego implebo omnes habitatores terræ huius, & reges, qui ſedent de ſtirpe Dauid, ſuper thronum eius ebrietate. Hac (inquit) ebrietate, qua obliuiſcimur præceptorum Dei, & uitijs atque peccatis omnis impletur humana conditio, dicente Propheta, Non iuſtificabitur in conſpectu tuo omnis uiuens. non ad comparationem Dei (ut ueteres & noui hæretici uolunt, & patroni hæreticorum) ſed ad ſcientiam eius. homo enim uidet in facie, Deus in corde, & quod nobis interdum mundum uidetur, illius oculis ſordidum dephræhenditur. quæ ſatis indicant, tam
Hier. lib. 2. contra Pelag. eſſe reconditum atque occultum mentis noſtræ ſtatum, ut à nemine quàm à Deo perſpici aut cognoſci poſſit. Et contra Pelagianos agens, illa Solomonis

uerba

uerba amplificans, nemo ſcit quid futurum ſit, quia ſicut eſt, quis annunciabit ei? ſunt iuſti, ad quos peruenit quaſi opus impiorũ, & ſunt impij, ad quos peruenit quaſi opus iuſtorum. hoc (inquit) idcirco dicitur, quia certum iudicium ſolius Dei eſt, & quos putamus iuſtos, ſæpe peccatores inueniuntur; & quos è contrario peccatores, apud Dei ſcientiam iuſti ſunt, quantumcunq; laborauerit homo, ut inquirat, non reperiet. & ſi dixerit ſapiens, ſe noſſe, inuenire nõ poterit. Infinitum eſſet ſingula huius ſancti & incorruptiſſimi doctoris loca percenſere, quibus apertiſſime ſanè docet, & ex ſcriptura ductis argumentis probat, neminem ſibi certò perſuadere poſſe iam in gratiam cum Deo redijſſe. Neque pauciora ſunt apud D. Auguſtinum de eadem re teſtimonia, qui ideò gratiam Chriſti, qua iuſtificamur, occultiſſimam uocat, atque latenter puerorum mentibus infundi ait. & alibi, in hunc modum Pelagianos alloquitur, Audiant, à domino diriguntur greſſus uiri, mortalis autem quomodo intelliget uias ſuas? Audiant, Omnis uir uidetur ſibi metipſi iuſtus, dirigit autem corda dominus. Et cùm uerba illa Dauidis interpretatur, Tibi ſoli peccaui. ait, Superas omnes homines, omnes iudices, & qui ſe putat iuſtum coram te, iniuſtus eſt. Quare, Kemnici, malumus coram Deo, tanta hac Auguſtini humilitate iuſtificari, quàm tua inani fide & confidentia, uobiſcum damnari.

Auguſt. de pecc. merit. & remi. lib. 1. c. 9. 10
Aug. de prædeſt. ſanc. c. 20
Aug. in Pſal. 50.

HOC ipſum Catholici omnes probare ſolent illis Eccleſiaſtici uerbis, De propitiatu peccatorum, noli eſſe ſine metu. cuius ſententiæ uim cum eludere nullo modo poſſit Kemnicius, ait, *uocem peccatorum, ab aliquibus*

Eccl. 1.

quibus monachis additam esse, cùm textus Syriacidi solùm habeat περὶ ἐξιλάσμου, quod redditum fuit, de propitiato, ceu condonatione. Omitto, Kemnici, Tigurinã uersionem, quæ tuis in magno precio esse solet, eundem sensum multò explicatius reddidisse, Super data (inquit) uenia non sis securus. sed si ipsa quidem Græca uerba ponderemus, hunc profectò sensum satis confirmant; cum enim propitiatum illud solùm dici possit, quod alicuius benignitate est condonatum, sicut & propitiare, est propitium reddere, atque placare, nihil certè aliud significare Spiritus sanctus uoluit, quàm non debere eos, omni metu deposito, securos uiuere, qui Deum sibi propitium esse arbitrantur: quod magis explicant quæ mox sequuntur uerba, Et ne (inquit) dicas, miseratio domini magna est, multitudinis peccatorum meorum miserebitur, misericordia enim & ira ab illo citò proximant, & in peccatores respicit ira eius.

Eccl.c.9. ELVDERE etiam conatur Kemnicius Solomonis sententiam, Nescit homo utrum amore uel odio dignus sit. *quia,* inquit, *tam Hieronymus, quàm septuaginta interpretes longè aliter illam sententiam ex Hebræo transferunt.* Scio, Kemnici, Hebræa uerba diuersa aliquantulum esse, sed quæ sensum eundem prorsus faciant. *Hæc enim* sunt גַּם אַהֲבָה גַּם שִׂנְאָה אֵין יוֹדֵעַ הָאָדָם, hoc est, tàm amorem, quàm odium nescit homo. quæ nihil sanè aliud significant, quàm tam esse hominis uiuendi rationem obscuram, ut nescire possit, quid potius mereatur; odium'ne, an amorem. quanquàm scio Rabinos hoc in loco sicut in plerisque alijs ridiculè delirare.

RISV demum maximo prosequitur Colonienses; quòd

quòd dicant D. Paul. cum in ea epistola, quæ est ad Romanos asseuerat, certum se esse, quòd nec mors, neque uita, neque creatura aliqua separare eum posset à charitate Christi, certum esse, pro sperare, usurpasse. Sed si ex alijs scripturæ locis huius sensum eruere, Kemnici, uoluisses, tuos profectò magis irridendos existimasses, qui Pauli uerba, quæ solam persuasionem designant, de certa, & minimè dubia fide interpretantur. Paulus enim uerbum πέπεισμαι, quo hîc utitur, quàm sepissimè, pro existimare, atque persuasum esse (ut Erasmus uertit) usurpare solet. In hac enim eadem epistola, certum inquit, se esse quòd ipsi Romani pleni sunt dilectione, repleti omni scientia, ita ut possint alterutrum monere: & in ea, quæ est ad Hebræos, Cõfidimus (inquit) de uobis dilectissimi, meliora, & uiciniora saluti. & ad Timoth. certum, inquit, se esse in Timotheo habitare fidẽ, non fictã, sicut & in eius matre Loide. quibus omnibus in locis Paulus eodẽ uerbo πέπεισμαι utitur. nemo uerò ita insaniet, qui existimet hæc eadẽ fide Paulum credidisse, qua credebat Deum trinũ esse ac unum; Christum Iesum mediatorem esse Dei & hominum, humaniq; generis iustificatorem. Quare cum in alijs locis persuasum esse significet, nihil est quòd in hoc uno, certam ac minimè dubiam fidem designare arbitremur.

Ro. c. 15

Heb. c. 6.

2. ad Timo. c. 1.

QVAM ueteratoriè autem Coloniensibus imponere studeas, dum ais, eos dixisse, idem esse in diuinis scripturis sperare & dubitare, satis intelliget, qui ad spei rationem, quam ipsi luculenter explicant, animum aduerterit. nam quanquàm spes aliquam habeat

unde spes dubitationem habeat.

beat dubitationem coniunctam & implicatam, à du bitatione tamen ualde differt. Cùm enim spes, qua nobis uitam æternam pollicemur, cùm nostris operibus tum maximè diuinæ misericordiæ & omnipotentiæ fidat, quippe quæ ex meritis & gratia proficiscitur, gratiæ autem Dei, iacturam peccatis sæpe faciamus, atque ne in mentes nostras influat, impedimento simus; fit sanè ut ita certa sit spes, ut semper cum metu ac dubitatione sit coniuncta & copulata. qui enim Dei bonitatem & omnipotentiam intuetur, nũquam hæsitat, nihil pauet, sed sicut mons Sion nulla ex parte commouetur, at cùm propriam fragilitatem & ad peccandum propensionem considerat, quã diu uiuit, ueretur ne Dei benignitatem impediat atque expellat. quare cùm D. Paulus spem ait non confundi, & ancoram animæ tutam illam uocat, Dei omnipotentiam atque uirtutem, cui potissimùm spes nititur, intuetur, ex quo habet, ut omnis sit, dubitationis expers. Colonienses uerò cùm dubitationis plurimum illam habere aiunt, ad naturæ nostræ infirmitatem, cupiditatumq; impetus animũ aduertunt, qui nos de mentis ac diuinæ legis statu sæpius depellunt, inq; ea scelera quodammodo impellunt, quibus iustitiæ splendorem amittimus, & in diuinum odium sempiternosq; cruciatus incurrimus.

Rom. c. 5.
Heb. c. 6.

R. DO. DIEGHI PAYVA ANDRADII, LVSITANI, ORTHODOXARVM EXPLICATIONVM LIBER SEPTIMVS.

De Cœna Domini.



TA est animus hominis à natura informatus, ut cùm semel diuinum imperium incœperit detrectare, à recta ueritatis uia declinare, clarissimo fidei splendori mentis oculos occludere, nullum faciat errandi finem, nihilq; sit tam certum & explicatum, in quo non fallatur ac decipiatur. Cùm enim diuina sapientia Christus Iesus, sit uera illa lux, quæ omnes ignorationis tenebras expellit; ueritas, qua omnes errores declinantur; uia, qua rectà ad ueram sapientiam & immortalitatem tendimus, quem in sola uera ecclesia fide fundata, miraculis aucta, multorumque clarissimorum hominum sanctitatis splendore illustrata reperire licet, quî fieri potest, ut qui ab illa deficiunt, & nudum Christianorum nomen retinent, teterrimas tenebras euadere, turpissimosq; ac miserandos errores declinare possint? Quæ cum mecum ipse reputo, nihil miror, eos, qui in Romana, hoc est, uera ecclesia à pueris educati, sacro lauacro expiati, diuinis præceptis & doctrina imbuti, in eademq; diu ac

multùm uersati sunt, ita religionẽ, fidem, pietatem ac reliqua Christianæ uitæ instituta aliquando abijciant, ac si inter truculentissimos Christianæ fidei hostes nati, educatique fuissent. Nam cum uel ijs in rebus, quas minimas esse ducunt, incipiunt falsis & peregrinis doctrinis cedere, neque conantur maiorum instituta quoad eius fieri potest retinere, & conseruare, fugata semel uera luce, & paulatim progrediente impietate, atque sensim aucta, & se se in socordes animos magis, ac magis insinuante, in omne tandem impietatis genus prouoluuntur. Quocircà scitè admodum sensit Aristot. philosophorum omniũ facilè princeps, nullum esse tam paruum errorem, cui nisi ac tutum occurratur, præscindaturq; primordia, temporis progressu in immensum non augeatur, ac pestiferos funestosq; fructus edat. Qui enim minutissima quæque Ecclesiasticæ disciplinæ principio despicit, & aliquid de debita Ecclesiæ obseruantia intermittit, pedetentim maiora contemnit, atque insolentior factus, suo omnia iudicio metitur; ex quo cũ omnes insint errores, fit, ut nihil apud illum certa demum ratione constet, sed omnia peruertat, immisceat, & cõfundat, diuina humanaq; iura abijciat, & proculcet, atque quouis doctrinæ uento hac illac circunferatur. cuius etsi omnis antiquitas uaria & aperta exempla suppeditet, tot tamen ac tam miseranda sunt, quæ nostra hæc calamitosa fert ætas, ut superuacaneum sit pristina commemorare. quòd si paulò superiora, & quæ ante centum quinquaginta & quinque annos in Boemia gesta sunt, memoria repetamus, facilè uidebimus, paruula quadam scintilla ma-

ximam ſyluam exarſiſſe, neque alijs quàm ijs, quæ commemorauimus exordijs, florentiſſimum illud regnum, miſero atque execrabili ſchiſmate fuiſſe inuolutum. Nam cùm anno à Chriſto nato 1409. Ioannes quidam Hus in Boemia uirus ex Ioannis Vuicleff libris hauſtum, & intra pectoris anguſtias aliquandiu incluſum optaret quidem, ſed non auderet, euomere, ne catholica & religioſa plebs blaſphemiarum immanitate admonita, latens uenenum internoſcere, ſacrilegaq; impietate deterrita, ſe ab impietate abſtinere poſſet; callida quadam religionis ſimulatione, cleri uitia palàm & acriter increpare incœpit, illumq; in populi odium & inuidiam adducere; atque imperitæ multitudini perſuadere, ut quo debuiſſent odio uitia, uitæ inſtitutum ipſum ſanctiſſimum proſequerentur; atque ita paulatim effecit, ut rudis plebs, quæ ordinis dignitatisq; amplitudinem à uirtutis pulchritudine diſcernere neſciebat, Prælatorum obedientiam abijceret, præcepta cõculcaret, ſtatuta tanquàm ſcelerata contemneret, atque ita animos à clero alienatos, facilè fuit omni impietate imbuere, nefario ac truculento ſcelere inuoluere, Chriſtiq; hoſtes uſque adeò efficere, ut diuina omnia ſacramenta conculcauerint, templa profanarint, ſacra polluerint, diuinum humanumq; imperium propulſauerint, monachorum uiuendi genus ſanctiſſimum, quod præſentiſſimum ſemper malorum omnium anthidotum in Eccleſia extitit, innumeris contumelijs affecerint, mirisq; modis irriſerint, exſibilarint, exploderint: uniuerſam denique pietatem & religionem pietatis ſimulatione deſeruerint ac prodiderint.

derint: usq; adeò, ut neq; summo & omnipotenti numini pepercerint; sed ita insanierint, ut Deũ Diabolo obedire oportere dictitauerint. Aduertamus iam, quæso, Ecclesiastici ordinis uiri, quos Christus tanquàm lumina quædam in Ecclesia collocauit, quot errorum tenebris, quotq; calamitatibus corruptis, & deprauatis moribus occasionem dederimus. Quare tempus sanè est, ut incipiat iudicium à Domo Dei, & illa iam tandem damna illustri quodam sanctitatis exemplo compensemus.

Inter errores Io. Vuicleff damnatis in Cõcilio Constant. error. 6.

BOEMORVM igitur gente ita tumultuante, atque per fraudem à uera fide & religione deficiente, & in summam impietatem prolapsa, facilè fuit peregrina quæuis dogmata illis persuadere, & quam impietatem semel conceperant, nouis persuasionibus augere. Inter plurimos uerò, qui id facere tentarunt fuit uir quidam Germanus Petrus ex Desdra Misniæ ciuitate oriundus, cuius cùm sacrilegum animum, atque Ioannis Vvicleff impietatibus pollutum & infectum sui percepissent, patria pulsus est (tanta erat Germanicæ gẽtis olim pietas & religio) qui in ciuitatem Pragensem non minus religione quàm doctrina quondam florentissimam, unde uenenum hauserat, extorris se contulit; ubi anno 1413. primus eos omnes diuinæ legis uiolatæ reos facere incœpit, qui sub altera tantùm specie sacrosanctum eucharistiæ sacramentum sumunt. Quare illis solùm uitam æternam pollicebatur, qui hac in re Ecclesiæ iudicium & auctoritatem contempsissent: quam cum diuinis institutis ex diametro pugnare affirmabat. Cum tamen non ea auctoritate polleret, ut multis in nouo hoc schisma-

ſchiſmatis genere auctor eſſe poſſet(erat.n. grammatices ludi magiſter)adrepſit ad amicitiam cuiuſdam Iacobelli egregij & eloquentiſſimi concionatoris, quem cùm in ſceleratam ſuam ſententiam pertraxiſſet, facilè etiam fuit homini leuiſſimo laudiſq; cupidiſſimo perſuadere, ut omnes uires compararet, quò uniuerſam plebem pari poſſet errore implicare. quod eò libentius fecit Iacobellus, quòd nactum ſe eſſe occaſionem eſt arbitratus, ut clerum in maius populi odiũ & inuidiã adduceret. Quocirca & libris editis,& publicis concionibus eccleſiæ Romanæ obtrectare, tyrannidis illam inſimulare, atque plebem aduerſus Eccleſiaſticum ordinem acrius concitare cœpit. quippe qui Chriſtianum populum per ſummam inuidiam integro euchariſtiæ ſacramento tot ſæculis priuaſſet, ſibiq; id ſoli inſolenter arrogaſſet, quod Chriſtus non modò omnibus commune fecerat, ſed ut ab omnibus ſumeretur, ſummo cum ſtudio ſanctéq; præceperat. Vt uerò acerbum hoc in Eccleſiaſticum ordinẽ iam plebiſq; animis penitus inſitum odiũ, magis ac magis augeretur, imperitumq; uulgus in ſua pellicere caſtra commodius poſſet, illi perſuaſit,clericos hoc nomine plebi ſe præferre uoluiſſe, quòd ipſi integra,illa uerò mutila & quaſi decurtata ſacramenta acciperet. Quam opinionem uelut noua quadam exorta luce ita imbiberunt, atque retinuerunt Boemi, ut illam neque Conciliorum auctoritate,neque bellorum calamitatibus unquam depoſuerint. Iam igitur uidere quiuis poterit, quale illud ſit Euangelium, quod his auctoribus inſtauratum, his præſidijs munitum, inuidia introductum,

odio

odio inuectum, maleuolentia firmatum atque constabilitum est; quod quidem multò luculentius Lutherus aliquanto post declarauit; nam cùm uehementer principiò insectaretur Boemorum peruicaciam, quòd hanc solùm ob causam charitatis arctissimam coniunctionem diremissent, atque dictitaret, duas eucharistiæ species non fuisse à Christo institutas ut saluti necessarias, sed ut quiuis altera tantùm, uel ambabus liberè uteretur;tamen mox cum & Boemorum gratiam inire, & plebis odium aduersus Ecclesiam Romanam augere uoluit,Iacobelli exemplo prouocatus,illiusq; armis instructus,crebris sermonibus usurpare cœpit, tyrannide Pontificia alteram speciem populo præreptam esse, sine qua nemo posset cœlestis uitæ fieri particeps. Cùm uerò natura quadam atque penitus insita animi elatione & insolentia, ægrè nobis quempiam præferri omnes patiamur,nihil mirum si nefarij istorũ hominum conatus illis feliciter atque ex animi sententia successerint. Quibus uerò potissimùm rationibus in hanc fuerit Lutherus sententiam adductus,satis explicauit,cum affirmauit tam diu uelle suos sub utraque specie eucharistiæ sacramento uti,quandiu Ecclesia reluctarerur. quòd si aut Pontificis summi conniuentia, aut uniuersalis alicuius Concilij decretis utraque laycis permitteretur, tum contrà suos, aut altera tantùm uti,aut ambas potius reijcere oportere.O præclarum Lutheri Euangelium, ò egregium de animarum salute studium. Infelix nostrum sæculum, cui tam nefarius Christianæ disciplinæ corruptor cõtigit. quid enim excogitari potuit petulantius, quàm Euangelicæ

licæ uitæ perfectionem, quam in animorum coniunctione & mutua charitate Christus collocauit, in dissensione, odio, atq; inimicitijs ponere? quid scelestius, quàm sacramentum ad fidelium animos summa charitate copulandos, indissolubiliq; amoris uinculo cõstringendos inuectum, utq; omnes unam, eandemq; mentem, fidem, atque uoluntatem perpetuò tuerentur, & conseruarent, à Christo institutum, inaudita quadam metamorphosi inimicitiarum, odij, & dissensionis facere seminarium? quid quæso cum Christi institutis pugnare magis potest, quid procacius, funestius, pernitiosius animo concipi potuit, quàm eũ de augustissimo hoc sacramento præclarius mereri qui pertinacius à Catholica Ecclesia in eius usu desciuerit? Sed fac, Luthera, Ecclesiæ decreto calicis usus laicis permittatur, quod ab illa fieri posse nõ dubitamus, quid tuis faciẽdum erit? in quas incidẽt salebras? in quas redigentur angustias? Nã si nobiscum cõsentiant tuisq; præceptis obtẽperauerint, illis erit non modò permolestũ, sed nefarium scelus suscepisse arbitrabuntur: sin uerò dissentient, eadem diuina præcepta, ea ipsa Christi uerba, quæ tu nobis, illis obijciemus, & illos uiolatæ diuinæ legis, te auctore, condemnabimus. Quare cùm tuos doces tam diu utranque eucharistiæ speciem sumere, quamdiu nos altera abstinemus, satis quidem uerè, imprudentertamen declarasti, nunquam ita insaniuisse, ut aliquam à Christo hac de re certam legem latam fuisse existimares, sed cuncta, quæ nobis obijcis, ad inuidiam concitandam, & contumeliam Ecclesiastico ordini inferendam (quibus semper studuisti) fuisse à

te excogitata. Cuius tamen præcipitis furoris & in Christi Ecclesiam immanis ac crudelis odij idẽ multò apertiora dedit documenta. nota enim est eius epistola, qua ægerrimè fert, quòd Carolstadius, & qui eius impietatem imitati sunt, pernegant, Christum in sacrosancto eucharistiæ sacramento præsentem esse, non ei potuerint tãtam illam blasphemiã mox persuadere. nam ea unica uia maximas se in Ecclesia tragœdias concitare potuisse, arbitrabatur, atque Papatui (ut illius uerbo utar) plurimum incõmodi detrimentiq; afferre. Quare seipsum execratur, quòd tantæ impietatis auctor neque extiterit, neque in ea eius animus unquam potuerit conquiescere. Ne uerò cum Ecclesia, quam infinito odio prosequebatur, ulla ratione consentiret, suis tandem persuasit, figmentum esse uanitatis plenissimum, quòd panis ac uini substantiæ, Christo aduentante, loco cedant, atque in Christi corpus sanctissimum & sanguinem immutentur, quinimmo panis ac uini substantiam unà cum Christi corpore & sanguine manere, nefariè docuit. Quæ quanquàm satis firma sint, ut animus bene informatus nullam Luthero fidem habendam esse intelligat, quem odium atque inuidiam auctores & præceptores omnium consiliorum, totiusq; uitæ suæ habuisse apertè constat, ij tamen, qui se à nobis præciderunt, & in Christi hostium uerba iurarunt, tanquàm si offusa illis sempiterna nox esset, apertam & claram lucem, neque in suis ducibus aspiciunt, à quibus ita quidem errata hauriunt, ut quæ ipsi diuina magis prouidentia, quàm proprio consilio ueritatis edunt testimonia, ueluti crassis ocultata

&

& circunfusa tenebris non uideant, neq; cessent nos ignorantiæ impietatisq; arguere, diuini fœderis uiolati, legis præcisæ, Christi præcepti conculcati reos facere. Inter quos non infimum locum habet Martinus Kemnicius, qui tanta audacia omnes Lutheri impietates Coloniensibus obijcit, ac si non satis essent Conciliorum auctoritate præclarissimorumq; hominum scriptis profligatæ & contritæ.

PRINCIPIÒ uerò acerbè illos arguit, quòd cum Concilio Lateranensi primo affirment, in sacrosancto eucharistiæ sacramẽto panis ac uini substantiam in corpus & sanguinem Christi ita transsubstantiari, ut quæ sensibus percipiuntur accidentia, sine subiecto cohæreant. qui tamen si aut uerborum Christi, aut totius Ecclesiæ, ætatum omnium, gentium, populorum, qui Christianum nomen professi sunt, consensus, quem ueteres naturæ quasi uoces appellarunt, rationem habendã esse existimaret, nunquàm profectò Colonienses patres hac in re reprehendendos suscepisset. Quo enim, te quæso, pacto Christi uerba, Hoc est corpus meum. uera esse conuinces, si panis substantia ac natura integra maneat? Nã cùm illa unum atque idem esse cum Christi corpore sanctissimo nunquàm possit, & demonstrationis illa nota, rem tum præsentem, tum existentem, quæ manibus conteritur, & oculis cernitur secundum usitatam dicendi formam demonstret, si substantia panis adest, illam certè magis quàm corpus Christi notare debet, quod ibi tanquàm in secreto quodam loco solùm contineri arbitraris; diuersumq; est ualde ab illo corpore, quod oculis uisitur, & manibus contre-

ſtatur. quare ſignificari atq; deſignari illa nota, hoc, nullo modo pôt, quinimmo dicere Chriſtus debuiſſet, Hoc in loco eſt corpus meum. Sicut enim nunquam ita erô Germaniæ iniurioſus, ut illam Kemnicium appellem, quanquàm ibi te degere intelligam, ita cum nota, hoc, ſubſtantiam ſub accidentibus latentem ſignificet, aut corpus Chriſti illa denotari nullo modo poteſt, aut certè illud ſolùm ibi exiſtit, in quod cùm panis ſubſtantia tota immutatur, uerè dicimus, Hoc eſt corpus Chriſti. Quod etſi naturæ uires ac modum, humanumq; captum longo interuallo ſuperet, ueniat tamen, Kemnici, tibi in mentem, præclara illa Auguſtini ſententia, Cùm Deus aliquid facit, quod nos inueſtigare non poſſumus, ratio facti, eſt potentia facientis. Hunc uerò germanum eſſe atque uerum uerborum Chriſti ſenſum, teſtatur Cyrillus Hieroſolymitanus Archiepiſcopus cum de ueritate corporis ac ſanguinis Chriſti agit. Cũ Chriſtus (inquit) ipſe dicat atque affirmet de pane, Hoc eſt corpus meum. quis audeat dubitare? ac, eodem quoque confirmante & dicẽte, Hic eſt ſanguis meus. quis unquam dubitet, & dicat non eſſe illius ſanguinem? aquam aliquando mutauit in uinum, quod eſt ſanguini propinquum, in Chana Galileæ, & non erit dignus, cui credamus, quòd uinum in ſanguinẽ tranſmutaſſet? ſi enim ad nuptias corporeas inuitatus ſtupendum miraculum operatus eſt, & nõ multò magis corpus & ſanguinem ſuum filijs ſponſi illũ dediſſe cõfitebimur? Quare omni cum certitudine corpus & ſanguinem Chriſti ſumamus. Nam ſub ſpecie panis, datur tibi corpus; & ſub ſpecie uini, datur ſanguis.

Auguſt. epiſt. 2.

Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi myſtagogica. 4.

Quòd

QVOD si sanctorum patrum monimenta euoluas, satis intelliges, ita omnes confiteri, panis ac uini substantiam in Christi corpus & sanguinem omnino cõuerti, ut nullum aliud fuerit unquam Ecclesiæ iudicium. In ea enim quæ D. Iacobi nomine circunfertur, Lyturgia hæc habetur precatio, Spiritum tuum sanctissimum dimitte nunc quoq; Domine in nos, & hæc dona sancta proposita, ut superueniens sancta, & bona & gloriosa tua præsentia sanctificet, & efficiat hunc panem corpus sanctum Christi tui, & calicem hunc, preciosum sanguinem Christi tui. Neque dissimilem precationem extare in ea, quam D. Clemens Pontifex summus, Petriq; discipulus conscripsit Lyturgia, testantur Marcus Archiepiscopus Ephesinus, & Nicolaus Episcopus Methonensis, qui etiam diuinam hanc transsubstantiationem, apertissimis uerbis edocet, Mysticam, inquit, hanc & incruentam consecrationem, qua panem & calicẽ consecratos, in corpus & sanguinem domini transmutari credimus, à quo'nam principium accepisse dicas? non'ne ab ipso & seruatore nostro Iesu Christo, quẽadmodum nos sacra docent Euangelia? Neque prætermittam quæ paulò pòst addit uerba, cùm ad rem explicandam plurimum momenti habeãt, Non'ne, inquit, ipse est, qui ex nihilo omnia ut essent, fecit, unus trium personarum diuinitatis, qui postremis temporibus incarnatus est, & panẽ in suum corpus transmutari iussit? Quid requiris causam & ordinem naturæ panis transmutationis in Christi corpus, & aquæ, uiniq; in sanguinem, cùm supra naturam, rationem, mentem, & cogitationem ex uirgine sit natus?

Lyturgia Iacobi Apostoli

Marcus Archiepiscopus Ephesinus.

Nicolaus Episcopus Methonẽsis.

Non credes itaque, nec mortuorum resurrectionem, nec in cœlos eius assumptionem, & alia Christi mira cula supra naturam, mentem & cogitationem eminentia? Id tibi accidit, quòd Christum non Deum uerum ac filium Dei confitearis, sed Arrianismum, uel Iudaismum respicis. At fortasse dubitas minimeq; credis, quòd nō uideas carnem & sanguinem. Sed iam præsentio, Kemnici, te ac tuæ factionis homines Methonensi huic Nicolao respondere, nihil uos de Dei potentia, sed de uoluntate ac facto dubi tare, quòd in scripturis sacris, quibus solùm fidem adiungitis, nō satis explicatum esse arbitramini. sed esto id ex nullo scripturæ loco (ut falsò arbitraris) apertè concluderetur, oppositum certè nullis posse di uinis oraculis persuaderi, apertè demonstrabimus, cùm loca ea, quibus uestram insaniam confirmatis, explicabimus. Quis igitur furor maior, aut impudentior temeritas esse potest, quàm de rebus nullis scripturæ sacræ testimonijs apertè diffinitis, atq; explicatis, omnium sanctorum patrum sententiam, fidem, atque auctoritatem contemnere & conculcare? An non pij & Christiani hominis est, existimare, ea, quæ, uniuersa Ecclesia nō reclamante, scriptura sem per agnouit, & amplexata est, aut in diuinis literis es se inclusa, aut à Christo Apostolisq; profecta ad nos, per manus tradita peruenisse? An quia tu cum Luthero, Caluino tuiq; similibus hunc, quem dicimus uerborum Christi sensum non satis percipis, totius antiquitatis iudicium Ecclesiæque auctoritas conte mnenda atque reijciēda est? An ea solùm uera sunt, quæ uos percipitis? An is solùm uerus scripturæ sen

ſus, quem uos probatis? an ueſtro iudicio eſt Chriſtiana fides religioq; uniuerſa metienda? an omnes ſacrarum literarum receſſus, quos uobis mirificè patêre arbitramini, uniuerſi Eccleſiæ clauſi ſemper & obſerati fuerunt? ò incredibilem audaciam, ò inauditam temeritatem, ò execrandam intolerandamq; inſolentiam. Nam ſi omnes terrarum orbis oras mente & cogitatione luſtraueris, ſi omnes gentes, populos, nationes, in quibus aliqua diuinæ cognitionis lux affulſit, memoria repetas, facilè reperies, hanc omnium fuiſſe ſemper fidem, hãc fidelium omnium animis perſuaſionem penitus inſitam, oẽſq; hoc mõ Chriſti illa uerba, Hoc eſt corpus meum. ſemper intellexiſſe, neq; ullum tuæ impietatis niſi apud Vvicleffum, Petrum Pariſienſem, Berengarium, aut aliquos huius factionis perditiſſimos homines reperies. An exiſtimas, omnes ſanctos patres ſanctiſſimi huius ſacramẽti uim atque rationem ſemper latuiſſe; Luthero uerò ſoli ſuiq; ſimilibus ganeonibus notam fuiſſe & explicatam? An tantum hoc ac tam ineffabile myſteriũ, ſanctis omnibus, religioſiſſimisq; uiris abſconditum ſemper eſſe, diuinum numen uoluit, perditis uerò quibuſdam & impuris hominibus reuelauit? uide, quæſo, de hoc ſacroſancto myſterio quid magnus ille Cyrillus Hieroſolymitanus Archiepiſcopus ſcriptũ reliquerit, Deum benigniſſimum oramus, ut ſuper illa propoſita ſanctum ſpiritum emittat, ut panem quidem faciat corpus Chriſti, uinum uerò ſanguinem Chriſti. omnino enim quod attigerit Spiritus ſanctus, hoc ſanctificatur & tranſmutatur. Et alibi de corpore & ſanguine Chriſti agens,

Cyrillus Hieroſolymitanus. catecheſi myſtagogica. 5.

Idẽ Cyrillus catecheſi. 4.

gens, Hoc (inquit) ſciens & pro certiſſimo habens, panem hunc, qui uidetur à nobis, non eſſe panem, etiamſi guſtus panẽ eſſe ſentiat; ſed eſſe corpus Chriſti; & uinum, quod à nobis conſpicitur, tametſi ſenſui guſtus uinum eſſe uideatur, non tamen uinum; ſed eſſe ſanguinem Chriſti. & cùm ritum porrigendi fidelibus ſacroſanctam euchariſtiam deſcribit, accurateq; explicat, ait, Auditis deinceps pſallentem atque ad ſacrorum myſteriorum communionem uos adhortantem, Guſtate & uidete, quòd Chriſtus eſt Dominus. Num hoc corporeo palato, ut iſtud dijudicetis, uobis præcipitur? nequaquam, ſed potius fide certa, & omnis dubitationis experti. guſtantes enim non ut panem aut ut uinum guſtent, iubentur, ſed quod ſub ſpecie eſt, corpus & ſanguinem Chriſti. Tertullianus item, Chriſtum ait, panem efficiſſe corpus ſuum, uinum uerò ſanguinem; quod uerum minimè eſſet, ſi panis ſubſtantia unà cum Chriſti corpore maneret. quam etiam dicendi formam Chryſoſtomus ſæpius uſurpat. quinimmo & tranſmutari panem ac uinum in Chriſti corpus & ſanguinem, non modò in Miſſa (quam ut notham contemnit, cum de inuocatione ſanctorum agit, Kemnicius) ſed Matthæi Euangelium explicas & ſæpius aliàs aſſerit. quinimmo panis ſubſtantiã conſumi diuina uirtute, apertè teſtatur, Num (inquit) uides panem? num uinum? num ſicut reliqui cibi in ſeceſſum uadunt? abſit. Ne ſic cogites. quemadmodum enim ſi cæra igni adhibita, illi aſſimilatur, nihil ſubſtantiæ remanet, nihil ſuperfluit; ſic & hîc puta myſteria conſumi corporis ſubſtantia. D. uerò martyr Cyprianus, Panem inquit

Idem catecheſi. 5

Tertullianus libro 4. contra Marcionem.

Chryſoſt. in miſſa. & homi. 83. in Matt. et hom. 60. ad populum Antiochenũ.

Chryſoſt. ſerm. admonitorio de Euchariſtia in Encænijs.

inquit, quem Dominus discipulis porrexit, non effigie, sed natura mutatum fuisse. Basilij autem sanctissimus frater Gregorius Nissenus id ipsum apertissimis uerbis edocet, Rectè (inquit) nunc Dei uerbo sanctificatum panem, in Dei corpus credimus transmutari. etenim corpus illud, panis erat potentia, sanctificatum est autem habitatione uerbi, quod in carne habitauit. Itaque qua ex causa panis in eo corpore mutatus in diuinam uirtutem transiit, eadem de causa nunc etiam fit. vt enim illic uerbi Dei gratia sanctum efficit illud corpus, cuius firmamentum ex pane constabat, & ipsum etiam quodam modo panis erat, sic etiam hic panis, ut ait Apostolus, per uerbum Dei, & orationem sanctificatur, non quia comeditur, eo progrediens ut uerbi corpus euadat, sed statim per uerbum in corpus mutatur, ut dictum est à uerbo, quoniam hoc est corpus meum. Theodoretus item, Symbola (inquit) corporis ac sanguinis Domini alia esse ante inuocationem Sacerdotis, quippe quia post inuocationem mutantur, & alia fiunt. Prætermitto Diuum Ambrosium, qui de sacramentis agens, multis probat, id, quod ante consecrationem panis erat, Christi uerbis ac uirtute accedente, corpus Christi fieri. quippe quia diuina illa uirtus, quæ efficere facilè potuit, ut ea essent, quæ nō erāt, multò facilius, quæ iam existunt, transmutare potest. Infinitum etiam esset, Diui Augustini loca omnia numerando percensere, quibus id ipsum dilucidè & apertè docet. hæc tamen ipsius uerba eiusmodi sunt, ut ipsius mentem apud omnium animos testatam relinquere facilè possint, Memini (inquit) sermonis mei

Cypr. ser. de Cœna Domini.

Gregor. Nissenus oratione catechistica.

Theodoretus.

Ambros. lib. 4. sacram. c. 4

Augu. de uerbis domini sermo. 28. cùm de sacramentis tractarem, dixi uobis, quòd ante Christi uerba quod offertur, panis dicatur; ubi Christi uerba deprompta fuerint, iam non panis dicitur, sed corpus appellatur. Quare ergo oratione dominica, quæ postea sequitur, ait, panem nostrum, panem quidem dixit, sed ἐπιούσιον, hoc est supersubstantialem. Non iste panis, qui uadit in corpus, sed ille panis uitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Neque tacita relinquam illustrissima quædam eiusdem egregij doctoris uerba, quæ apud Iuonem *Iuo decr. lib. 2.* conscripta extant, deprompta ex quodam Augustini sermone nondum (ut ille ait) typis excuso. *Sensuum enim infirmitatem cum fidei præstantia & dignitate conferens ait;* Quod uidetis in altare panis est, & calix, quod etiam oculi uestri uobis renũciant; quod autem fides postulat instruenda, panis est corpus, calix est sanguis. Breuiter quidem hoc dictum est, quod fidei forsitan sufficere debeat, sed fides instructionem desiderat. Dicit enim Propheta, Nisi, credideritis, non intelligetis. potestis ergo dicere mihi, præcepisti ut credamus, expone ut intelligamus: potest enim animo cuiuspiam cogitatio talis oboriri, Dominns Iesus Christus nouimus unde accepit carnem, de uirgine scilicet Maria; infans lactatus est; ligno suspensus est; interfectus; de ligno depositus, sepultus est; tertia die resurrexit; quo die uoluit, ascendit in cœlum; illuc leuauit corpus suum, unde uenturus est iudicare uiuos & mortuos. ibi est modò sedens ad dexteram patris. quomodo ergo panis est corpus eius? & calix, quomodo est sanguis eius? Ista fratres ideò dicuntur sacramenta, quia in eis aliud ui-

detur,

detur, & aliud intelligitur. quod uidetur speciem habet corporalem, quod intelligitur fructum habet spiritualem. Hæc August. Euolue, quæso Kemnici, sanctorum omniũ patrum monumenta, perlege ea omnia diligenter, quibus fidei nostræ mysteria, Christianæq; uitæ instituta piè atque sincerè posteritati tradiderunt, & uide an aliquod extet apud illos tuæ insaniæ uestigium. Quod si omnes in summo errore uersatos fuisse arbitraris, fuisseq; ueritatem hanc tam crassis occultatam & inuolutam tenebris existimas, ut nusquam antea, illã intueri Ecclesiæ licuerit, confitearis etiam necesse est, aut nunquam ante Lutherum Ecclesiam fuisse, aut funditus perijsse. Cum.n. uera Ecclesia à uera fide potissimùm pendeat, Christi certè illa Ecclesia dici non potest, quæ in summa eorum mysteriorum ignoratione uersatur, quæ quotidie manibus uersat atque contrectat, turpiterq; in illis decipitur. Ita uerò uniuersæ Ecclesiæ fuit semper persuasum totam panis substantiam in Christi corpus sanctissimum mutari, ut Græci qui à nobis plurimis in rebus turpiter, petulantissimeq; desciscant, nullamq; in uerbis illis, Hoc est corpus meum. uim ad eucharistiam conficiendam inesse existimẽt, idq; ut persuadere aliqua ratione possint, sanctorum patrum uerba inuertunt & corrumpunt, non possunt non confiteri nobiscum aduentante Christi corpore ac sanguine nihil præter externa panis et uini signa atq; species manere, omnemq; panis, ac uini substantiam in Christi corpus & sanguinem immutari, ut ex Marco Archiepiscopo Ephesino, Nicolao Cabasila, ac cæteris, qui Græcorum illam delirationem defen-

Conc. Tridét. Seß. 3. sub Iulio 3. can. 2.

ſandam ſuſceperunt, apertè conſtat. Cùm igitur ſancta & œcumenica Tridentina Synodus, hanc fuiſſe ſanctorum omnium patrum perſuaſionẽ, Eccleſiæq; totius fidem, intellexiſſet, ſcitè admodum eos omnes Anathemate damnauit, qui dixiſſent, in ſacroſancto eucharistiæ ſacramẽto remanere ſubſtantiam panis & uini, unà cum corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu Christi; negaſſentque mirabilem illam, & ſingularem conuerſionem totius ſubſtantiæ panis, in corpus, & totius ſubſtantiæ uini in ſanguinem, manentibus duntaxat ſpeciebus panis ac uini. quam quidem, inquit, conuerſionem catholica Eccleſia aptiſſimè transſubſtantionem appellat.

At inquis, ſcriptura ſacra, cui maior eſt fides habenda, euchariſtiam, panem ac uinum ſæpius appellat. Quid igitur eſt, quòd nos horum ſubſtantiam ab euchariſtia abeſſe dicamus? Neque enim panis id dici poteſt, cuius tantùm externa forma reſtat, atque character. Neque ullus eſt alius ſcripturæ locus, cui uos fidere aliqua ratione poſſe arbitremini. Hæc uerò quàm parum firma ſint, & quàm faueant minimùm ueſtro huic furori, ſatis quidem Colonienſes patres aperuerunt, cùm aiunt, euchariſtiam, panem appellari; tum qui uerus panis fuit, cuius ſpeciem ac formam perpetuò conſeruat. eſſeq; aiunt, ſacræ ſcripturæ morem, rerum nomina perpetuò retinere, quanquàm rei uis atque ſubſtantia mutetur. Quare nihil mirum eſt, ſi euchariſtia, panis nomen ſimul cum ſpecie retineat. Tum uerò maximè, quia animæ nutrimentum eſt, menteſq; noſtræ hoc diuino pabu-

lo

lo aluntur & ſuſtentantur. quare accommodatiſſimè panis dicitur, non quidem terrenus & abiectus, ſed cœleſtis atque diuinus. Cùm igitur ſacroſancta eucharistia non ſimul panis officium cum ſubſtantia abiecerit, ſed mirabiliter conſeruauerit, atque commutauerit, meritò quidem panis nomen retinuit, quod ipſius uim atque rationem, quæ in mente alenda & ſuſtentanda potiſſimùm poſita eſt, aptiſſimè declarat. Quòd ſi Luthero tuo credis, panis uocabulo fidē, qua credimus & certò ſperamus per Chriſti nos ſanguinem iuſtificari & ſaluari, Ioan. c. 6. ſignificari confiteberis. quippe quæ humanos animos tāquàm diuinum quoddam pabulum alere, & ad omnia officia acres atque uegetos redere facilè poteſt. In homilia enim diei illius, quo ſanctiſſimum Chriſti corpus anniuerſaria celebritate colitur, petulantiſſimè, & impudentiſſimè, hoc eſt, more ſuo, in ſummum Pontificem uniuerſamq; Romanam Eccleſiam inuehitur grauiſſimisq; illam lacerat contumelijs, quòd Ioan. c. 6. ſanctiſſimè euchariſtiæ accommodauerit. diuinæq; iracundiæ atque implacabilis odij, indicium eſſe arbitratur, quòd patiatur Papiſtas (ut ille ait) in ſcripturæ ſenſu tam turpiter errare, diuinaq; uerba inexpiabili ſcelere peruertere. Quare nullum feſtum maiorem ſibi nauſeā mouere ait, quàm hoc unum, quod corporis Chiſti uocatur. nullumq; uehementius optare ab Eccleſia funditus conuelli; quippe quia ſcripturæ ſacræ uerba eo die tam turpiter deprauentur atque corrumpantur, ad quod facinus peragendum ſuos longa oratione hortatur. Age igitur, Kemnici, quid quæſo à terreni panis natura,

Luth. ſermo. de cor. Chriſti.

atque

atque ratione longius abest, fides'ne, quæ etsi mentem nutriat, solo tamen animo concipitur: an eucharistia, à qua, etsi panis substantia absit, quàm longissimè, panis tamen fuit, illius speciem characteremq; retinet, corporis ore sumitur, dentibus mãditur, extenuatur, mollitur, in stomachum traijcitur, plurimaq; ibi efficit, quæ uerus ac corporeus panis præstare solet. animam uerò, cui alendæ potissimùm accommodatur, mirabiliter reficit, alit, recreat, & sustentat? quare & animæ cibus à sanctis patribus appellatur. Qui igitur existimatis, panis uocabulo, fidei uim atq; naturam aptissimè in scripturis designari, quid est, quòd ex eadem uoce concludatis, substantiam panis in eucharistia remanere, cùm tam multa in illa sint, quæ hanc compellationem postulare possint? Quòd si ad scripturæ sacræ loquendi modum animũ aduertas, facilè uidebis, panis nomine, omnem hominum cibum notari atque designari. Quare cùm sacrosancta eucharistia cibi rationem cum panis substantia non amiserit, panis certè dici scripturæ peculiari phrasi debet, quẽadmodum & uictum omnem, atque cuncta naturæ necessaria, sub panis nomine à Deo in oratione Dominica postulamus.

At inquis, *si metaphorica est panis ista appellatio, dicemus ergo quando Christus accepit panem, et benedixit, quòd non elementum acceperit, sed seipsum:* Id uerò quàm sit puerilem, uel ex eo satis constat, quòd etsi Christus acceperit cõmunem panem, accedente tamen diuina uirtute, & Christi benedictione, qua panis substantia in Christi corpus est immutata, non quidem terrenum panem, sed diuinum atque cœlestem, hoc est, seipsum manibus habuit;

habuit; immo & tu ipse fatearis necesse est, Christũ è mensa quidem terrenum solùm, atque uulgarem panem accepisse, ac postquàm diuina uirtus accessit, Christiq; corpus in panem aduênit, non iam panem uulgarẽ, sed cœlestem, & unà cum pane seipsum ma nibus sustentasse. Nos uerò, qui Ecclesiæ fidem ac sensum integrè retinemus, religioseq; conseruamus, & omnem asserimus panis substãtiam in Christi cor pus sanctissimum fuisse immutatã, affirmamus, quòd quanuis Christus è mensa panẽ acceperit, ita tamen fuisse diuina uirtute mutatum, ut non iam panem, sed seipsum in illis speciebus, quæ sub aspectum cadebant, inclusum manibus habuerit, discipulisque porrexerit.

REPREHENDIT rursus Kemnicius Colonienses, quòd doceant, primarium ac præcipuum augustissimi huius sacramenti effectum, non esse peccatorum condonationem; nam cùm animæ sit pabulum, uiuis solùm ac uegetis mentibus prodesse solet. Quare qui maiestatis Christi obliti, & obseruantiæ ipsius corpori debitæ immemores, sanctissimum illud diuinæ gloriæ thronum adire, uniuersæ sanctitatis illud domicilium ingredi, cœlestiq; illo pane uesci, intolerabili peccatorum fœditate inquinati, pedore corrupti, turpitudine infecti, atque nefarijs sceleribus intermortui non uerentur, ut summa Christum iniuria afficiunt, ita in grauissimam illius iram offensionemq; incurrunt: neque quidquam earum opum consequuntur, quibus sacrosanctum hoc sacramentum pias mentes locupletare solet. Cùm igitur puras ac sinceras mentes à crimineq; omni, quod mortale uocant,

uocant, liberas, hoc sacrosanctum sacramentum requirat, colligitur sanè, primarium ac præcipuum illis effectum non esse, peccata condonare, sed animi opes, iustitiæq; ornamenta mirificè augere, & illustrare. Cum tamen ea sit humanæ naturæ infirmitas, ut neque scelera omnia, quæ passim suscipimus, memoria complecti, neque iusto dolore prosequi semper possimus: euenire quidem sæpe solet, ut sacræ eucharistiæ ui ea peccata deleantur, quæ pœnitentia non prorsus extincta fuerunt atque deleta. Hanc uerò dilucidam, ueram, atque catholicam Coloniensium sententiam, qua fide & integritate referat Kemnicius, audiamus, *sententiam* (inquit) *illam, quòd filius Dei sumptione eucharistiæ, singulis uera fide utentibus, largiatur, applicet, & obsignet illa beneficia, quæ traditione sui corporis, & effusione sui sanguinis promeruit, & negant, & pernegant.* Macte Kemnici, tuam istam calumniandi rationem persequere, ne desiste, noua semper mẽdacia excogitare, nouasq; calumnias fingere. neq; enim fieri potest, quin uestros & perfidiæ uestræ, & errorum, in quibus miserè uersantur, non tandem admoneant. Quo enim, quæso, in loco Colonienses pernegant, sacrosanctæ eucharistiæ ui non donari nobis ea beneficia, quæ Christus sanguinis sui effusione promeruit? An iustitiam augere & amplificare, animum charitate inflammare, cupiditatum impetus coercere, infractas uires, ad omnes Dæmonum impetus propulsandos suppeditare, uirtutem ad omnia officia forti & inuicto animo exequenda impertiri, infinitasq; alias dotes cœlestiaq; ornamenta, quibus humanus animus sacramenti huius ui mirificè excolitur & illustratur, cõferre, in beneficijs

neficijs à Christi sanguine atque passione profectis non esse annumeranda putas? An hæc Christum nobis promeruisse, pernegabis? Cùm igitur hæc omnia & alia longè plura, quæ nemo oratione consequi unquam poterit, sacrosanctæ eucharistiæ in hominibus confiteri Colonienses dicant, qua fronte tantã istam insaniam doctissimis hominibus ascribere audes?

AT inquis, *testamentum nouum sacræ literæ interpretantur remissionem peccatorum, manifestè enim dixit filius Dei, Bibite, hoc poculum nouum testamentum est.* vnde colligis, quòd si eucharistia peccata non condonet, minimè ea nobis dona conforte dicenda est, quæ nouo sunt testamento peculiaria. Principiò aduerte, quæso Kemnici, quantum Christi sanguini nouoq; testamento detrahas, qui illius uirtutem tam angustis terminis circunscribas. Nam etsi scelerum omnium condonatio, omnium sit beneficiorum Christi quasi fundamentum, quare à Ieremia atque Paulo tantopere commendantur, non tamen illud solùm nos Christi sanguis cõtulit, sed alia longè plura atque præstantiora, ut demonstrauimus, cum de iustificatione egimus: & D. Paulus apertè testatur in ea epistola, quæ est ad Romanos, Abundantiam (inquit) gratiæ & donationis & iustitiæ accipientes, in uita regnabunt per unum Iesum Christum. & paulò inferius, Vbi abundauit delictũ, superabundauit & gratia. quòd si uirtute Christi peccata nostra solùm condonata essent, neque amplissimis diuinæ gratiæ opibus essemus exornati, nunquàm profectò Paulus dixisset, eorum mentes, quibus peccata Christi beneficio condonata sunt, gratiæ iustitiæq; ornamentis redundasse. Quare non *Rom. 5.*

Nnn eò

cò quidem solùm Christus, poculum suo sanguine refertum nouum testamentum appellauit, quia peccata illud bibentibus condonare poterat, sed quia crucis suæ sanguinem continebat, quo pacificata sunt omnia, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris sunt, & qui omnium est diuinorum beneficiorum quasi fons & scaturigo. quanuis enim non omnia sacramenta sint ad eosdem effectus accommodata, sed singulis peculiaris quædam uis insideat atque inhæreat, omnia tamen uim & efficacitatem ex Christi sanguine hauserunt, easq; nobis cœlestes opes, cœlestisq; gloriæ ea insignia tribuunt, quæ Christus passione sua promeruit. Sunt enim ueluti promptuaria sanguinis ac meritorum Christi, quæ nobis summus Pontifex Christus ministrorum Ecclesiæ suæ opera communicat. Inter reliqua uerò sacramenta hoc unum maximè excellit, quippe quod ipsum salutis auctorem Christum, nouiq; testamenti sanguinem continet; unde reliqua uirtutem habent. Atque adeò præ cæteris omnibus æternis beneficijs illos auget, opibus locupletat, ornamentis illustrat, gratijs cumulat atque exornat, qui, pro dignitate illud suscipiunt.

Coloss. c. 1

Non igitur negamus, Kemnici, sacrosancto hoc sacramento uim inesse delendi peccata, sed affirmamus, eos, qui sanctissima mysteria ita contemnunt, ut grauissimorum scelerum sibi conscij illud suscipiant, non modò nullam à Deo gratiam consequi, sed grauissimo atque nefario scelere inuolui, atque ideò docemus, illius potissimùm effectum non esse peccata delere, quia oportet eum, qui pro dignitate hæc debet sacrosancta mysteria contingere, quo ad eius fie-

ri potest eniti, ut scelerum omnium ueniam à Deo prius impetret. Quod D. Paulus docuit cùm Corinthios admonuit, ut seipsum is primùm probaret, qui de cœlesti isto pane edere ac calice bibere, debet; nam qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Sed uideo te tuumq; Lutherum existimare, D. Paulum non aliam optare seipsum probandi rationem, quàm nudam fidem, cum firma spe diuinæ misericordiæ coniunctam & copulatam, quod quàm sit à ueritate, & à totius Ecclesiæ sensu alienum, mox ostēdemus. Sed esto ea sit Pauli mens, Kemnici, si tibi constas, tuiq; Lutheri uestigia fideliter persequeris, iam eos iustificatos esse, eorumq; peccata condonata esse dices, qui ita probati ad hoc sacrosanctum sacramentum accedūt. Nam cùm hanc unam fidem ad peccatorem iustificandum, scelerumq; omnium ueniā impetrandam satis esse arbitremini, is certè qui sola fide probatus est, iustificatus omnino erit à peccatis. Nam age nunc uideamus, qui ad eucharistiam percipiendam accedunt, aut hac tua fide & spe probati sunt, aut minimè: si probati sunt, ergo aut omnibus iam sceleribus liberi & immunes, ureq; iustificati sunt; aut certè, sola fides cum firmissima spe coniuncta, ad iustitiam consequendam nequaquam sufficit. sin uerò illa fide destituti Christi corpore uescuntur, iudicium ergo sibi manducant & bibunt, grauissimamq; diuini numinis offensionem incurrūt. Qua uerò ratione seipsum homo probare debeat, ne fiat Dominici corporis ac sanguinis reus, satis D. Augustinus docuit, cum quo reliqui omnes sancti patres consentiunt. Secundum

1. ad Cor. c. 11.

(inquit) quòd unumquenque ornatum bonis moribus uiderit, ita illi gratiam suæ misericordiæ dispensabit. si enim uiderit charitatis luce uestitum, iustitiæ uel misericordiæ margaritis ornatum, castum, humilem, misericordem, benignum, & sobrium, si talem agnouerit, corpus & sanguinem suum ei non ad iudicium, sed ad remedium per sacerdotum suorum manus dispensabit. si uerò aliquem uiderit adulterum, ebriosum, cupidum & superbum, timeo ne illi hoc dicatur, quod in Euangelio dominus dixit, Amice quomodo huc intrasti non habens uestem nuptialem? & quod Dominus auertat, fiat hoc, quod sequitur, Ligate illi manus & pedes & proijcite in tenebras exteriores, & rursus, Mutet, quæso, uitam, qui uult accipere uitam. Nam si non mutet uitam, ad iudicium accipiet uitam, & magis ex ipsa corrumpitur quàm sanatur, magis occiditur quàm uiuificatur. sic

1. ad Cor. c. 11. enim dixit Apostolus, Qui manducat corpus Domini & bibit sanguinem eius indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Quod & ueteris Ecclesiæ integerrimi mores atque consuetudines apertè declarant.

Cypr. sermo. 5. de lapsis. D. enim martyr Cyprianus, ne lapsi sine pœnitentia seria ad communionem eucharistiæ admitterentur, longa & ornatissima oratione cauitè cuius, quæso, uerba amoris pietatisq; plenissima, attentè ausculta, Emersit, fratres dilectissimi, nouum genus cladis, & quasi parum persecutionis procella sæuierit, accessit ad cumulum sub misericordiæ titulo malum fallens & blanda pernicies. Contra Euangelij uigorem, contra Domini ac Dei legem temeritate quorundam laxatur incautis communicatio. Irrita & falsa pax, periculosa

riculosa dantibus, & nihil accipientibus profutura. Non quærunt sanitatis patientiam, nec ueram de satisfatione medicinam. Pœnitentia de peccatoribus exclusa est, grauissimi extremiq; delicti memoria sublata est. Operiuntur morientium uulnera, & plaga lethalis altis & profundis uisceribus infixa, dissimulato dolore contegitur. A Diaboli aris reuertentes ad sanctum Domini sordidis & infectis nidore manibus accedunt. Mortiferos idolorum cibos, adhuc penè ructantes, exhalantibus etiam num scelus suum faucibus, & contagia funesta redolentibus, Domini corpus inuadunt, cùm occurrat scriptura diuina & clamet, & dicat, Omnis mundus mãducabit carnem, & anima quæcunque manducauerit ex carne salutaris sacrificij, quod est domini, & immunditia eius super ipsum, & peribit anima illa de populo suo. Apostolus item testetur & dicat, Non potestis calicẽ Domini bibere, & calicem dæmoniorum, non potestis mensæ Domini communicare & mensæ dæmoniorum. Idem contumacibus & peruicacibus comminetur & denuntiet, dicens, Quicũque ederit panem, aut biberit calicem domini indignè, reus erit corporis & sanguinis domini. spretis his omnibus atque cõtemptis, uis infertur corpori eius & sanguini eius. Plus modò in dominũ manibus atq; ore delinquũt, quàm cùm dominum negauerunt. Ante expiata delicta, ante exomologesin factam criminis, ante purgatam conscientiam, sacrificio & manu sacerdotis: ante offensam placatã indignantis domini & minantis, pacem putant esse, quam quidã uerbis fallacibus uenditant. Non est pax illa, sed bellum. nec eccle-

siæ

siæ iungitur, qui ab Euangelio separatur. Quid iniuriam beneficium uocant? quid impietatem uocabulo pietatis appellant? quid eis, qui flere iugiter, & rogare dominum suum debent, intercepta pœnitētiæ lamentatione communicare se simulant? Hactenus Cyprianus. Quò etiam spectabat quòd sacerdos antequàm eucharistiam populo porrigeret, magna & clara uoce dicebat, Sancta sanctis. hoc est, ut D. Cyrillus Hierosolymitanus interpretatur, Hæc, quæ in ara proposita, aduentu Spiritus sancti sanctificata sunt, sanctos solùm & diuino spiritu donatos decēt. populus deinde respondebat, Vnus sanctus, unus dominus Iesus Christus. quo circà pœnitentes, qui ecclesiæ iudicio non satis erāt expurgati, à communione sacrisq; mysterijs arcebātur, ut D. Chrysostomus auctor est. quippe quia quemadmodum, inquit, nemini eorum, qui initiati non sunt, adesse licet, ita neque initiatis, si sordidi, & commaculati fuerint. Et alibi, Sacrā eucharistiam nullus crudelis adeat, nullus immisericors, nullus impurus, quouis modo, hæc tam ad uos, qui communicatis, quàm ad uos, qui ministratis, dicta esse uolo. oportet enim eadem etiam ad uos dicere, ut magno studio, & diligenti cura, dona hæc distribuatis. non parua nobis imminet pœna, si quem aliqua improbitate teneri scitis, esse huius mensæ participationē permittatis. sanguis enim eius ex manibus uestris requiretur. si dux igitur quispiam, si consul ipse, si qui diademate ornatur, indignè adeat, cohibe ac coerce, maiorem tu illo habes potestatem. longaq; oratione persuadere studet, omni esse dæmoniaco peiorem, qui sceleris alicuius sibi

Cyrillus Hierosolymitanus. catechesi mystagogica. 5.

Chrysost. in primū c. epist. ad Eph. sermo. 3.

Chrysost. in Matt. cap. 26. hom. 83.

sibi conscius, ad eucharistiam accedit. Ischyus item sacerdotem inquit polluere mensam domini, qui iniquitate pollutos non præcipit abstinere, sed indifferenter permittit terribilia illa & sancta cõtingere. & paulò inferius, Quando quis, inquit, pœnitentiæ lacrymis ablutus fuerit, tunc sancta sanctè comedet. Quo circà publicæ Ecclesiæ preces, quæ corporis Christi consecrationem antecedunt, in tres olim erant partes distributæ, ut ex Cõcilio Laodiceno constat, priori, quæ summissa ac suppressa uoce dicebatur, Catechumeni ad Episcopi pedes prostrati & abiecti intererant, quare Catechumenorum missa dicebatur. quibus discedentibus, secunda per cantum ad uocum modulationem incipiebatur, cui grauissimis etiam sceleribus infames, & qui publicam pœnitentiam agebant, aderant: quare pœnitentium missa appellabatur. quibus egressis, reliqui fideles, qui nullis erant nefarijs sceleribus notati, osculo pacis, quod sacram oblationem antecedebat, & sacris mysterijs interesse liberè poterant. quod mihi quidem significare uidetur Gregorius, cùm ait, cũ missarum solennia celebrantur, Diaconum clamare, Qui non communicat, det locum. hoc est, quibus communicare ex more non licet. Neque enim ij excludebantur, qui ab eucharistia sponte abstinebant; sed ij, quibus ob publicas pœnitentias & excommunicationem, sancta mysteria contigere nõ erat integrum. Cùm igitur uetus Ecclesia semper habuerit persuasum, summam quandam animi munditiam & innocentiam necessariam esse, ut quis sanctissimo Christi corpore dignè uesci possit, in more institutoq; Eccle-

Ischyus in ca. 21. Leuit.

Idē in c. 22. Leui.

Cõcilium Laodicenũ, can. 19.

Gregor. dialogorũ lib. 2. cap. 23.

siæ Africanæ positum fuit, ut qui ad eucharistiam ac cedere debuissent, noctu àd ædes sacras uigilias agerent atque ibi in precibus pernoctarent; ut D. Athanasius auctor est, moris uerò Græcorum fuisse mentem ad eucharistiam suscipiendam ieiunijs præparare & præmunire, testatur D. Chrysostomus. quo etiam spectat canon ille Concilij Libertini decernens ut omnis homo ante sacram communionem à propria uxore abstineat tres aut quatuor aut septẽ dies. ne scilicet quidquam sit, quod charitatis ardorem restinguere aliqua ex parte possit. quod si ad seueros illos summamq; integritatem spirantes canones, quos poenitentiales uocant; animum aduertamus, facilè uidebimus, sanctos patres semper existimauisse, eos qui ad sacrosanctam eucharistiam accedere dignè debent, non modò omni lethali culpa uacare, sed ab omni nefarij sceleris suspicione quàm longissimè abesse debere. Hinc fuit quòd Concilium Toletanum primum, sacra eucharistia uxoribus Episcoporum, Presbyterorum, atque Diaconorum perpetuò interdixit, si priori marito uitam deserente, secundo nupsissent, sed morienti tantum sacramentum subueniri posse decernebat. Nam cùm Ecclesiastici uiri, singulare esse debeant continentiæ, integritatis, religionisq; exemplum, insigne sanè esse uidebatur impudicitiæ documentum, si uxores, quæ illis fuerant familiarissimæ usæ, secundas nuptias ipsis mortuis affectassent. atque adeò indignam prorsus iudicabãt, quæ mundissimum Christi corpus contigeret, quæ illa incontinentiæ nota esset suspecta. ut item sancti patres maiores nostri declararent, charitatis luminibus

Athana. apologia de fuga sua. Chryso. in primá ad Cor. c. 11 hom. 27. Cócilij Libertini. Can. ult. ca. omnis homo. de cóst. dis. 4

Conci. Toleta. primú can. 18.

bus expertes, indignos prorsus esse, qui diuina hæc sacramenta contingerent, nulla ratione patiebatur non modò eucharistiam percipere, sed ne interesse quidem sacris, qui publicè mutuum amorem, charitatisque summam quandam coniunctionem profiteri recusarent. Nam cùm primùm sacerdos aram sacra facturus concedebat, Diaconus clamabat, Osculamini uos inuicem. qua uoce omnes, qui sacris interesse, uolebant, admoniti ad mutua oscula currebant. quam ceremoniam cùm Cyrillus Hierosolymitanus interpretatur, inquit, Non hoc ita accipias, quasi osculum illud sit eiusmodi, quale in foro inter communes amicos esse consueuit: neque enim tale est. Hoc igitur osculum animas mutuò conciliat & omnem malorum obliuionem illis spondet. signum igitur est hoc osculum reconciliationis animorum, & uniuersæ iniuriarum memoriæ deletæ. Quinimmo in Concilio Carthaginensi cautum erat, ne oblationes dissidentium fratrum in sacrario, aut gazophylacio reciperentur, ne'ue eorum, qui pauperes opprimunt, dona à sacerdotibus aliqua ratione acciperentur. Ex quibus satis quidem patêre existimo, sanctos patres persuasos semper fuisse, oportere eos, qui pro dignitate ad diuinum hoc eucharistiæ sacramentũ percipiendum accedere debuissent, quoad eius fieri posset eniti ut scelerum omnium ueniam à Deo prius impetrarent. Nam si omnia eorum crimina illo deleri existimarent, qui sola fide exornati illo uterentur, Ecclesia sanè atrox, crudelis, atque iniquus in eos esset iudex, quos tanto hoc morborum omnium medicamento,

Cyrillus Hierosol. catechesi mystagogica. 5.

Concil. Carthag. c. 39. & 94.

mento, quouis nomine atque ratione arceret. Non omittam quod Palladius atque Nicephorus de Eulogio raræ cuiusdam sanctitatis uiro scriptum reliquerunt, quem tanta inquiunt, fuisse internoscendi qua quisque mente ad eucharistiam percipiendam accederet, uirtute à Deo exornatum, ut monachos quosdam, qui impuris mentibus Christi corpore uesci tentabant, ab altare arcuerit, & ad hunc modum alloqueretur, Quid ad sancta sacramenta accedere non ueremini, qui mẽtes habetis nefarijs cogitationibus implicatas & contaminatas? Et tu (inquit) fœdam, mulierosam, libidinosamq; cogitationem tecum animo hac nocte uersasti, alius uerò existimauit, nihil referre iustus'ne, aut peccator quis ad hæc sancta mysteria accederet. Alius itidem dubitauit, cœleste hoc ac planè diuinum donum mentes sanctificare posset. à sanctis igitur sacramentis abstinete, sancta impuri nolite contingere, sed admissorum criminum uos seriò pœniteat, & pœnam tantis sceleribus dignam suscipite, ut ita peccatorum uenia à Dei benignitate impetrata, digni tanto sacramento efficiamini. D. item Gregorius Nazianzenus in hunc modum innocentiam sacerdotibus necessariam exaggerat, Cùm (inquit) scirem ego, quòd nemo dignus sit magno Deo atque pontifici sacrificium offerre, nisi qui prius seipsum obtulit Deo hostiam uiuam, sanctam; neque rationabile obsequium acceptabile exibuit, neque immolauit Deo sacrificium laudis, & cor contritum, quod solum, qui omnia dedit, exigit à nobis sacrificium; quomodo ausurus essem offerre ipsi sacrificium exterius magnorum

Palladius histor. Lausyaca. & Nicephorus lib. 11. c. 34.

Gregor. Nazianzenus in Apologetico.

rum ſacramentorum? Quare, Kemnici, aut Paulum uniuerſamq; Eccleſiam ignorantiæ, ſummæque tyrannidis condemnes, aut Colonienſes abſoluas, neceſſe eſt.

SED iam uideamus quid de communione ſub altera tantùm ſpecie ſentias, quam Romanæ Eccleſiæ tam petulanter exprobras, ut illius exiſtimationem expugnaſſe, auctoritatem labefactaſſe, atque triumphum de illa agere uidearis. quod argumentum lubenter quidem ſuſius explicaſſem, niſi tam eſſet diligenter & copioſè à plurimis doctiſſimis uiris pertractatum, ut uererer ne, quæ ab illis piè, doctè, & eleganter dicta ſunt, contaminare potius & obſcurare, quàm illuſtrare uiderer. Inter reliquos uerò Reuerẽdiſſimus Gaſpar Caſalius, Epiſcopus Leirienſis Luſitanus, cum nuper in ſacroſancto Concilio Tridentino de calice concedendo Boemis controuerteretur, tam prudenter, eruditè & copioſè omnem hac de re quæſtionem explicauit, atque enodauit, ut nihil ultrà deſiderari poſſe uideatur. Quare Kemnicij ſolùm calumnias coercere conabor; qui audacia maxima affirmat, Coloniẽſes & diuinæ legi, & maiorũ conſuetudini repugnare, cùm aſſerũt, laicos ſub unà uel utraq; ſpecie cõicare, humani eſſe & non diuini iuris, unde homo diſertus & argutus cõcludi poſſe exiſtimat, *ex Chriſti inſtitutione nec unam quidem ſpeciem laicis deberi, quod illis tamen una detur, non fieri diuino, ſed humano iure, hoc eſt, gratia, munificentia, & liberalitate Romani Pontificis*. O' egregium dialecticum, ò acutum ſophiſtam. Non uides, quã hæc ſit collectio inanis & puerilis. Inſtituit quidẽ Chriſtus euchariſtiã in duabus ſpeciebus, præ

Cõmunicare ſub altera tátùm ſpecie.

cepit, ut illa omnes uterentur, quā tamen earum spe cierum consultius foret plebi porrigere, Ecclesiæ iudicio reliquit. quare quanuis diuini sit iuris sacram eucharistiam sumere, humani tamen est, aut utranq; speciem accipere, aut ex illis duabus unam certam atque definitam præscribere, quæ uniuerso sit populo exhibenda. Quemadmodum & ab ecclesiæ arbitrio pendet, certum tempus definire, quando eucharistia uti necesse sit. Atq; ita, quod hac in re diuinum est, constans, atq; immutabile permanet; quod uerò humanum, pro morum, gentium, locorumq; uarietate, atque pro rerum uicissitudine uariatur. Vt tamen apertius fiat atque testatius, qua lege altera tantùm, aut utraque eucharistiæ specie uti debeamus, omnes obligationum fontes principiò aperiamus; ut quid æquum in hac causa iniquum'ue sit, ex illis haurire facilè possimus.

Omnem autem obligationem ex lege aut consuetudine oriri, Kemnicius etiam confitetur: consuetudinem docere, calice abstinendum esse, paulò pòst aperiemus. Legis uerò duo sunt genera, alterum humanum, alterum diuinum: humanam legem & Kemnicius irridet, atque contemnit, & catholicæ Ecclesiæ consuetudinem approbat, & commendat. Legem uerò diuinam, quam Kemnicius & eius factionis homines petulantissimè iactant, nullam esse, quæ calicem laicis porrigendum esse decernat, paucis aperteq; demonstrabimus. Cùm uerò non eædem sint negantium & affirmantium partes, quippe quia negantium muneris est, aduersariorum argumenta refellere: atque tum maximè causam pro-

basse

basse uidentur, cùm nulla poterit ratione improbari; satis officio meo functus esse uidear, si ostendero, nullũ ex ijs scripturæ locis, quibus Kemnicius Colonięses oppugnat, causæ esse accommodatum.

KEMNICIVS uerò contempto. 6. Ioan. cap. quod cum suo Luthero de solo spirituali esu intelligẽdum esse ducit, inquit, *argumentum se formare ex uerbis institutionis cœnæ, in quibus Christus iubet, corpus suum sub specie panis manducare, & sanguinem sub specie uini bibere.* uehementerq; insectatur Colonienses quòd dicant, manducare & bibere non propriè hîc à Christo, sed metaphoricè usurpari, ut nihil aliud quàm sumere, significare possit. Cogitet, inquit, *lector quàm sit effrenata illorum hominum malicia, qui ad retinendum crassissimum istum errorem, non uerenter omnia inuertere & deprauare, ita ut inter manducare & bibere in cœna nulla sit differentia.* principiò aduertere, Kemnici, debuisses, Coloniẽses hanc explicationem accommodasse non quidem uerbis, quæ Christus dum cœnaret, discipulis dixit, sed illis, quæ Ioan. cap. 6. continentur, quod de sacrosancto Eucharistiæ sacramento cum plurimis ex antiquis patribus intelligendum esse arbitrantur. Nanque in ultima cœna solos sacerdotes Christum compellasse, prudentissimè affirmant. Quare cedo Kemnici, quid homini Eucharistia utẽti uitam, tribuere existimas? externas'ne panis ac uini species, an Christum ipsum Dei filiũ sub speciebus latentẽ? quòd si uiuificãdi uim in Christo, qui ẽ uia, ueritas, & uita, inesse arbitraris. externæ uerò species sunt ueluti quædã fistula ac tubus, quo Christus sese ĩ nostra uiscera trãsfundit & illabitur, quid est, quòd tã acriter illos insecteris, qui dicunt, cœlesti uita eos

exornari, qui uiuificantem Christi carnem ac ſanguinem in euchariſtia deliteſcentem, quacunque uia ac ratione ſumunt? Quòd ſi Philoſophos conſulas, omnes unà confitebuntur, uitam illum tueri diu ac conſeruare non poſſe, qui neque comedit, neque bibit. nullus tamen ita inſaniet, qui comedendi magis bibendiq́ue actioni, quàm cibi ipſius ſubſtantiæ uitæ noſtræ cõſeruationem aſcribat. quare quacunque uia ac ratione in ſtomachum illa iniiciatur, etiã ore occluſo alemur ſanè & ſuſtentabimur. Quare cum comedendi ac bibendi actionibus, uitæ noſtræ conſeruationem aſcribunt, nihil ſanè aliud quàm ſumendi pabuli neceſſitatem ſignificare uolunt. comedendi autem & bibendi uocabula uſurpant, ut rerum ſe uſui, dicendiq́ue conſuetudini accommodent. Cùm igitur Christus ſumendi corporis ac ſanguinis ſui neceſſitatẽ explicare Ioan. c. 6. uoluit, nullis certè aliis uocibus uti commodè potuit, quàm quæ ijs rebus maximè ſunt accommodatæ. Quinimmo & tu, qui ſpiritualiter illa eſſe omnia intelligenda arbitraris, propriéne ac uerè comedendi & bibẽdi uerba à Christo uſurpari ducis? an non mente accipere animoq́; Christum complecti, illa ſignificare exiſtimas? quid igitur eſt, quòd tantopere Colonienſibus ſuccenſeas, qui cùm euchariſtiæ eadem ipſa uerba cum ſanctis patribus accommodant, hac ueſtra utantur libertate? An quæ uobis licent, alijs eſſe interdicta arbitraris? At cùm tu Christi hæc uerba, quæ Boemorum præceptores maximi ſemper fecerunt, minimè eſſe cauſæ accommodata iudices, ea, quæ Christus inter cœnãdum dixit,

xit, quibus potiſſimũ confidis, diligẽter expẽdamus.

MATTHAEVS cùm poſtremam Chriſti cœnam deſcribit, ait, Chriſtum cùm calicem ſanguine ſuo refertum, Apoſtolis, qui ſoli ad menſam conſiſtebãt, propinauit, præcepiſſe, ut ex illo omnes biberent. vnde Kemnicius eiusq; omnes complices concludũt, Chriſtianis omnibus hominibus à Chriſto præceptum eſſe, ut eius ſanguinem ſub uini ſpecie latentem biberent. qui uerò Euangeliſtarum omniũ, qui hanc Chriſti cœnam hiſtoriæ mandarunt, orationis ſeriem atque concentum conſiderauerit, neque ullo fuerit præiudicato errore occupatus, ſatis quidem intelliget, præclarè Colonienſes exiſtimaſſe, non alios quàm præſentes Apoſtolos Chriſtum compellaſſe. principiò nanq; cùm Marcus id ipſum his uerbis narrat, Et accepto calice gratias agens dedit eis, & biberunt ex illo omnes. ſatis indicat, illis Chriſtum præcepiſſe, ut omnes biberent, qui biberunt; atquì notam illam, omnes, non alios, quàm præſentes deſignare, qui quàm mox Chriſti præcepto obtemperantes biberunt. Diuinus enim ille ſpiritus, qui ſanctiſſimis Euangeliſtis non res ipſas modò, ſed uerba etiam dictauit, conſultò fecit, ut qui primò animum ad ſcribendum adiunxit, Chriſti imperium tanta in re explicaret, qui uerò ſecundo hiſtoriam narrauit, Apoſtolorum obedientiã deſcriberet, ut unus alterius eſſet fideliſſimus explanator. Quòd ſi cũ Luca Matthæum conferas, id fiet longè manifeſtius atq; explicatius. eandem nanq; hiſtoriam his uerbis deſcribit, Et accepto calice gratias egit & dixit, Accipite & diuidite inter uos. hoc eſt, quot quot præſentes adeſtis,

Matth. c.26.

Marcus. c.14.

Luc. c.22

ex

ex meo ſanguine,qui hoc poculo continetur,bibite, illumq; inter uos diſtribuite. Cùm enim non commune iam ac uulgare uinum ſit,quod ad corporis ſitim expellendam bibitur, ſed diuina myſteria, quæ ad animæ ſitim ſatiandam ualent, contineat; non eſt quòd cœleſtium donorum affluentiam potus quantitate metiamini.neque enim qui plus biberit,ut de cœleſti illo manna ſcriptura ait,habebit amplius,neque qui minus,repiet minus.Quare nihil ſanè aliud apud Matthæum ſignificat, Bibite ex hoc oẽs. quàm apud Lucam,Accipite & diuidite inter uos; nempe ut omnes, quot quot aderant, Chriſti illum ſanguinem biberent, qui eo poculo continebatur. uerba nãq; Lucæ, nullis quidem niſi præſentibus accõmodari ullo modo poſſunt.

Exo.c.16

QVOD ſi ad reliqua omnia,quæ in cœleſti illo ac planè diuino conuiuio Chriſtus præcepit, animũ ad uertas, ſatis uidebis,quàm turpiter illi ſcripturarum ſenſum deprauent, qui ad omnes fideles legẽ illam pertinere arbitrantur. Tria enim tunc Chriſtum imperaſſe,Euangeliſtæ tradunt; ut ſcilicet corpus ſuum acciperent,& manducarent; ut omnes ex calice ſanguine ſuo referto biberent; atq; ut id in ſui cõmemorationem perpetuò facerent.Ineptiſſimum autem eſt exiſtimare, non eiſdem hæc omnia, quæ una eadẽq; oratione continentur,dicta fuiſſe. Et accepto (inquit Lucas)pane gratias egit & fregit,& dedit eis dicens, Hoc eſt corpus meum,quod pro uobis tradetur, hoc facite in meam commemorationem. quæ poſteriora uerba etiam calici Paulus accommodat. Hoc (inquit) facite quotieſcunque bibetis,in meam commemora-

Luc.c.22

1.ad Corint.c.11

memorationem. At uerbis illis, Hoc facite in meam commemorationem, Christum præsentes Apostolos sacerdotes creasse; illisq; potestatem dedisse corpus ac sanguinem suum conficiẽdi, tam est compertum, ut de eo dubitare nemo sine summa proteruia possit. Cum enim nullam Christus in Ecclesia potestatem reliquerit, quæ cum hac sit aliqua ex parte conferenda, diuinumq; hoc sacramentum omnium sit beneficiorum Christi ueluti caput; illud fidei nostræ mysteria, gratiarum fontẽ, diuinæ bonatis amplitudinem, liberalitatis redundantiam, unico ueluti complexu coerceat & contineat, nihil certè ab Euangelij dignitate magis alienum dici potest, quàm nullum in sacris literis tantæ huius potestatis extare uestigium. quòd si existimas hisce Christi uerbis minimè quidem conficiendi eucharistiam potestatem contineri, nulla certè alia sunt, quæ id significare aliquo modo possint, cùm Christus in posteriori illa cæna non porrexerit solùm, sed effecerit eucharistiam, & id ipsum discipulis præcepit ut facerent. Quare minimè quidem Colonienses patres ideò affirmant, illis uerbis, Hoc facite in meam commemorationem. Apostolos factos atq; inauguratos fuisse sacerdotes, quia Maro faciendi uocabulo, pro sacrificare usurpat, cùm ait.

» *Cum faciam uitula pro frugibus, ipse uenito.*

ut per summam calumniam asseris, sed quia & orationis Christi series & sanctorũ omnium patrum consensus id apertè docẽt; usq; adeò ut Victor Antiochenus & antiquitate & eruditione illustrissimus, neminem hac de re dubitare posse existimauerit, Cum *Victor Antiochenus in cap. 14. Marci.*

enim uerba illa Marci explicat, Accipiens Iesus panem benedixit & ait. διὰ τούτων παρέδωκε τοῖς μαθηταῖς ὅπως ἐπιτελεῖν αὐτοὺς προσῆκε τῆς καινῆς διαθήκης τὸ μυστήριον οἶμαι μηδένα ἀνέτερως εἰπούν. hoc est; Per hanc tradidit discipulis quomodo conficere eos conueniret, noui testamenti mysterium, neq; quẽquam arbitror aliter dicturum. D. item Chrysostomus, non modò idem sentit, sed nullã esse dubitandi occasionem affirmat. D. etiã Clemens Romanus cùm diuini huius conuiuij historiam per Apostolorum personã narrat, ait, Antequàm pateretur, nobis cõstituit solis hoc facere, quãquàm essent nobiscum alii, qui in ipsum crediderunt. usq; adeò, ut diuina prouidentia proditorem Iudam, qui ex sacro Apostolorum collegio unus erat, à tantis illis mysterijs arcuerit atq; ablegauerit, ut idem Clemens auctor est. quippe qui tanto erat munere atq; dignitate indignus. si igitur, Kemnici, sanctorum Patrum fides & auctoritas apud te quidquam ualent, non poteris sanè negare, illis uerbis, Hoc facite in meam commemorationem. fuisse astantibus Apostolis efficiendi corpus ac sanguinem Christi potestatem tributam. Quorũ tamen si sententiam & auctoritatem contemnis, maximi certè facias necesse est tui in scelere & impietate commilitionis Petri Vireti iudicium, qui id ipsum his uerbis asserit, Eisdem (Apostolis scilicet) disertis uerbis baptizare præcepit, & sacrã deniq; cœnam administrare, dum eos idem facere iubet, quod se facientem uiderunt. Cùm igitur hæc Christi uerba solis Apostolis, quos sacerdotes inaugurabat, dicta fuerint, illa certè, quæ cũ his sunt connexa, & copulata, ad alios referri

Chrys. in serm. de proditione Iudæ.

Clemens Rom.

Clemens Constitu. Apostolicarũ lib. 5. cap. 6.

Petr. Viretus lib. de uerbo Dei sacramẽtorum administratione, & ecclesiæ ministerio.

nullo

nullo modo possunt, nisi totum uelis orationis Christi contextum inuertere, dirumpere, & dilacerare. Quinimmo si ex hoc scripturæ loco dijudicãda causa est, apertius quidem concludetur, calicis usum sacerdotibus esse proprium ac peculiarem; cùm Christus non prius Apostolis, quos totius Ecclesiæ personam tunc sustinuisse arbitraris, sanguinem suum propinauerit, quàm essent sacerdotij dignitate exornati; corpus uerò suum illis porrexerit, omnibus adhuc sacerdotij insignijs atque ornamentis destitutis. Ex quibus satis quidem constat, quàm sit puerile quod tuus Caluinus obijcit, Si (inquit) sua cœna Dominus solos sacrificos dignatus est, quis unquàm hominum ausus esset, uocare in participationem extraneos, qui à Domino exclusi essent? Nam, ut .6. Ioan. cap. taceam, quod de eucharistia intelligendum esse arbitror, quanquàm Apostoli in cæna sacerdotes inaugurati fuerint, laici certè adhuc erant, cùm ad illam admisi sunt. quare etsi sacerdotibus sanguinem suum Christus propinauerit, laicis quidem corpus sub panis symbolis dedit. atq; adeò summæ demẽtiæ est existimare, exclusos illo oẽs à Christo fuisse, qui admissi per id temporis non fuerunt. Cum.n. Christus non solùm sacramentũ, sed illius etiã ministros tũc cõstituere decreuisset, eos solùm admittere oportebat, quos tãta illa dignitate insignire statuerat. Quæ tamẽ si te parũ mouẽt, animum quæso aduerte, uel solã sacramẽtorũ institutionẽ, claras esse atq; apertas quasdã Christi uoces, quæ oẽs ad illorũ usum inuitãt & allectãt. Cũ.n. ad fidelium salutẽ fuerint instituta, ẽt Christo tacẽte, satis quidẽ illa per se

Calu. institu. c. 18 nu. 48.

ipsa loquuntur, & nobis persuadent, ne tantis simus beneficijs ingrati, ne'ue otiosa illa esse ac uacua patiamur, quæ nostra causa effecta atque comparata sunt. Quare etsi soli Apostoli admissi ad cœleste illud conuiuium fuerint, cum alijs non fuerit interdictum diuinis mysterijs uti, illorumque uis & inexhausta uirtus, plurimis sit diuinarum literarum testimonijs commendata, atque exaggerata, satis quidem admonemur, ut illa magna cum auiditate pro Ecclesiæ iudicio (quod diuinæ legis fidissimus est interpres) percipiamus At inquis sola igitur sanguinis sub uini symbolis effectio nos admonet, ut illo maxima cum audacia omnes utamur. præclara quidem hæc foret collectio, si cœleste aliquod donum hominum saluti necessarium in sanguine includeretur, quo Christi corpus careret; aut unicus esset augustissimi huius sacramenti usus. Cùm igitur, sicut totus Christus sub alterutra specie continentur, ita nulla uni insit uis, quæ illi cùm altera non sit communis, ut præclarè Concilium Tridentinum explicauit, cum ait, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam solam speciem accipiunt, fueritque à Christo diuinum hoc sacramentum institutum, non solùm ut cœlesti isto pabulo humanus animus aleretur, sed ut mortem atque passionem suam quasi præsentem Ecclesiæ exhibete continenter posset, quod utraque species præstare commodius potest, sit certè ut nunquàm uini species otiosa esse uideatur quanuis soli sacerdotes illa utantur, quorum est muneris diuinam hanc hostiam Deo immolare, sacrificiumq; illud,

Conc. Tri dent. sess. 5. sub Pio 4. cap. 3.

lud, quod summus Pontifex Christus Deo patri in crucis ara obtulit, repræsentare. Cùm uerò Christus totum sanguinem abundantissimè fuderit, illumq; unà cùm exangui corpore pro nobis obtulerit, referri certè tantum hoc sacrificium commodè non poterat, ni sanguis fusus & quasi dispersus atque extra corpus esse uideretur. Vt igitur rem paucis concludamus, qui cœlestem hunc cibum capessunt, ut animæ uires reficiantur, cœlestibus opibus, præclaris animi dotibus, diuinisq; ornamentis augeantur, nihil est, quòd desiderare amplius præter unam speciem possint, in qua integer Christus bonorum omnium fons continetur. Quorum uerò interest, incruento sacrificio cruentum illud repræsentare, sine utraque specie à Christo ad id potissimùm instituta efficere commodè non possunt. Quare quanuis uel sola eucharistiæ institutio nos ad ipsius usum inuitet, & allectet, non tamen admonet ambas esse species necessarias, quæ in alium etiam usum fuerunt institutæ.

At Pauli locus prioris epistolæ ad Corint. uos potissimùm torquet, qui à Domino se ait accepisse, quod illis tradebat, Christum scilicet in qua nocte tradebatur, accepisse panẽ ac calicem & gratias egisse discipulisq; dedisse, ac præcepisse ut idem in sui commemorationem & ipsi facerent. Quæ Pauli uerba cùm nullum præceptum contineant, sed nudam historiã narrent (ut egregiè Colonienses adnotarunt) nullã certè maiorem uim quàm Euangelistarũ historia habere possũt. Nam tradendi uocabulum, nõ præcipere, ut prætefers existimare, sed docere, significat; sicut

1. ad Corint. c. 11

ficut & accipere, nihil aliud quàm discere, designat.
Luc. c. 1. Quemadmodum & apud Lucam, cùm ait, multos conatos fuisse ordinare narrationes, quæ in illis completæ sunt rerum, ficut, inquit, tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi uiderunt & ministri fuerunt sermonis. hoc est, ficut nobis retulerunt ac renuntiarunt. quæ uerbi huius notio etiam apud Ciceronem & alios purioris linguæ auctores est perquàm usitata. Cùm uerò Paulus inculcare solitus sit, Euangelium, quod docebat, non ab hominibus se didicisse, sed ab ipso Christo, quem Petrus ac reliqui Apostoli præceptorem habuerunt, hoc etiam in loco ait, sibi non minorem fidē quàm reliquis omnibus Apostolis habendam esse, quanuis cœlesti illi conuiuio non interfuerit, cùm omnia, quæ ibi acta sunt, ab eodē Christo didicerit. Quare nihil est, Kemnici, quòd nobis tam audacter atque insolenter Pauli uerba obiicias, quæ nudam historiam describunt, neque ab illis, quæ à Matthæo scripta sunt, aliqua ex parte differunt. Sed iam uideamus, quam calumniandi occasionem tam aperta in re oculatissimus hic cēsor offenderit. *Paulus*, inquit, *dicit, ficut à Domino accepi, ita & tradidi uobis. Iesuitæ hanc traditionem ita interpretantur, quòd non obliget, sed sit arbitraria, & rationem reddunt, quia tradere Apostolorum, non est percipere. Notabis hoc lector, quam faciant Iesuitæ differentiam, inter traditiones Apostolorum scriptas, & inter eas, quas ipsi sub nomine Apostolorum confingunt: scriptas dicunt esse arbitrarias, confictas dicunt obligare sub periculo salutis.* Fateor, Kemnici, hanc me tuam orationem crebrò legisse, neque oculos, quos me fallere putabam, ab illa deiicere sæpius potuisse. mihi enim persuadere nullo modo

modo poteram, quin te tui ualde puderet, cùm tam impudens mendacium animo uersabas, atque quin tanti sceleris conscientia te à scribendo retardaret. quòd si te societatis Iesu odium in tãtam perfidiam præcipitabat, nominis certè atque honoris tui ratio, pudor, perpetuæq; ignominiæ metus cohibere atq; comprimere debuissent. Neque enim uideo, quis sit tam profusus & perditus, quis fidei & religionis tam prodigus, qui post tam apertam perfidiæ significationem, fidem tibi habendam esse arbitretur. Id tamen me tibi debere confiteor, quòd in ea, in qua semper fui, opinione magis tua hac oratione confirmatus sum. nihil scilicet uos minus credere, quàm quæ docetis. neque enim fieri posse existimo, ut uera illa esse ducatis, quæ mendaciorum præsidijs potissimùm munitis, sed ut adumbratam illam existimationem ac gloriam, quam fallacijs potissimùm apud uestros comparastis, tueri ac conseruare diu possitis, fidem, charitatem, religionemque libentissimè proditis. Vbi, quæso, Colonienses docent, Apostolorum traditiones, esse arbitrarias, non scriptas uerò necessarias? ubi has illis esse anteferendas tradunt? qui dicunt tradere, sæpius pro docere usurpari, qui D. Paulum hoc in loco nihil præcipere, sed historiam describere, affirmant, traditiones contemnendas esse docent, aut scriptis traditionibus non scriptas anteferunt? aut tradere Apostolorum non esse præcipere, sentiunt? An cùm nobis Apostoli tradiderunt, Deum trinum esse ac unum, Christum Dei filium, in Bethleem natum fuisse, octauo à natiuitate die circũcisum fuisse, cæteraq; fidei mysteria,

quid

quid quam præcepisse existimas? An qui hæc nullum præceptum continere affirmant, præcepta contemnenda esse, aut nullis Apostolorum traditionibus præcepta contineri censent? non uides, Kemnici, quàm hæc sint ridicula & puerilia? tecum ipse, quæso, recole, quid Colonienses dicant, & uidebis nihil eos aliud affirmare, quàm Pauli illa uerba nullam legem de Eucharistia includere, sed nudam ac simplicem historiam, Euangelistarum instar, narrare, atque ideò non magis inde quàm ab Euangelistarum historijs duci posse argumentum ad utriusque speciei necessitatem probandam. quippe quia tradere, hoc in loco, non præcipere, sed docere significat. Et considera quàm egregiè colligi inde possit, Apostolorum traditiones scriptas, esse arbitrarias; non scriptas uerò necessarias. Cùm præsertim quæ mox Paulus de animi præparatione, quæ eucharistiæ usum antecedere debet, annectit, tam esse necessaria arbitrentur Colonienses, ut nefarium scelus illos suscipere dicant, qui sacrosancto Christi corpore, inquinato animo uescuntur. Quæ enim nobis Apostoli tradiderunt; quædam leges sunt, ad mores componendos, animumq; uirtutibus exornandum, cum primis necessariæ; quædam uerò diuinorum mysteriorū cognitionem ad animum fide & pietate illustrandum afferunt. Quòd si Pauli uerba præceptum aliquod continere debent, nullum sanè aliud esse potest, nisi ut quicunque eucharistiam sumit, in Christi commemorationem id faciat. Nam̄ cùm ait, Hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem haud quidem

dem decernit, bibendum esse Christi sanguinem, sed nos admonet, ut dum illum bibimus, Christi qui sanguinem illum profudit, memoriam conserue-mus. Non quidem imus inficias in Corinthiorum more atque instituto positum fuisse, calicem unà cum Christi corpore sumere; sed non ita sumus stupidi, quin uideamus, Pauli uerba ita Corinthiorum usum innuere, ut nullam de illo potando certam legem contineant.

CVM igitur nulla diuina lex eucharistiæ usum sub utraque specie præcipiat, age nunc uideamus, quantum uobis faueat Ecclesiæ consuetudo, quam sanctos patres maiores nostros maximi semper fecisse, & ex plurimis scripturæ sacræ atque sanctorum patrum testimonijs constat. & in duabus illis epistolis, quas Polycrates Ephesi Episcopus, & Irenæus Lugdunēsis ad Victorem Romanum Pontificem dederunt, cùm omnes illę Asiæ Ecclesias excommunicatione precellere decreuisset, ob dissensionem, quæ inter Romanam & Asiaticam Ecclesiam de paschate, & ieiunio iam inde ab initio nascentis Ecclesiæ fuerat, prudentissimè expressum est. Quòd si hanc de suscipienda eucharistia sub altera tantùm specie legem ad suam reuoces originem, apertè uidebis nulla Conciliorum antistitum'ue auctoritate, sed sola consuetudine in Occidentalem Ecclesiam introductam fuisse: quam sancti omnes Patres atque Concilia summopere deinde commendarunt atque comprobarunt, ut ex Constantiensi, Basileensi, & sacrosancta Tridentina Synodo constat. Quòd si consuetudo, legis uim atque robur habere aliquando potest,

Euseb. histo. Ecclesi. lib. 5. c. 24. 25. et 26.

Conc. Cōstan. sess. 13. Basi. sess. 30.

Trident. sub Pio 4. sess. 5. cap. 1.

test, hæc certè, quæ Romanæ, hoc est, uniuersalis Ecclesiæ usu recepta approbatione retenta, auctoritate confirmata, sanctissimorum atque doctissimorum hominum iudicio comprobata, ut fidissima diuinæ legis interpres suscipienda atque obseruanda est.

At inquis, quid tantopere consuetudinem iactatis? consuetudini consuetudinem opponimus, posteriori priorem, labentis Ecclesiæ, nascentis atque florentis, quadringentorum aut quingẽtorum, plus mille annorum morem obijcimus. Quid igitur huic, quæ calicẽ eripit, plus quàm illi multis nominibus superiori, quæ propinabat, tribuetis? uos (inquis) maiorum uestrorum auctoritatem contemnitis, uos illorum iudicium, morem & disciplinam aspernamini, uos (inquam) purissimæ atque adeò sanctissimæ Ecclesiæ cõsuetudinem traditionemq; corrumpitis, & proculcatis. Hac tu, Kemnici, tuiq; præceptores nos oratione incessitis, neque antiquam Ecclesiæ cõsuetudinem obijcere unquam cessatis, quam tùm maximè ueneramini, cùm dissidij occasionẽ afferre posse existimatis. Ne uerò antiquæ nos Ecclesiæ iudicium formidare, fidem'ue aliqua in re abijcere arbitremini, fatemur quidem in illius more atque instituto positum fuisse, sub utraque specie eucharistiam populo porrigere. quod Græcorum quorundam adhuc hodie cõuentus retinent. Sed iam, quæso, aduerte in quanta omnes ignoratione uersemini, & quàm uetus illa consuetudo non eneruet modò, sed mirum in modum nostram corroboret & confirmet. Nam quẽmadmodum constans, & immutabilis consuetudo, atque ab ipsis nascentis Ecclesiæ primordijs

mordijs continuata diuinam legem nobis demonstrat, ita inconstans & commutabilis, certissimo argumento est, nullam ea de re diuinam legem extare, neutramq; partem à Christo præceptam fuisse, sed rem esse uicissitudini expositam, & quæ pro temporum ratione possit uariari, atque adeò eam fuisse perpetuam & constantem omnium temporum persuasionem. Nam cùm hic de quo agitur, mos, non fuerit, sicut mundus ab Aristotele cõfictus, omnis principij expers, sed aliquàndo primò incœperit, illius certè initium, si memoria repetas, in aliquod tempus incides, in quo illi ipsi, qui se calice priuari passi sunt, eodem usi aliquando fuerint. vnde quam de calicis usu opinionem habuerint, facilè uenaberis. An putas, passuros Christianos homines unquàm fuisse, sibi illam sacramenti partem eripi, aut spontè id aliquando abiecissent, quod ad salutem necessarium esse existimarent, aut cum ea, quam à maioribus acceperant, fide pugnare arbitrarentur? At dices, rudis & imperita plebs, neque cuius præcepto utraque specie uteretur, neque quod ius cùm alteram abiecit, uiolaret, satis sciebat. esto, Kemnici, tam crassa ignoratio barbarorum quorundam animos occuparet; per omnium'ne mentes persuadere illam potuisse existimas? omnium animos tetris his tenebris, & obscura caligine tectos fuisse ducis? ut uerò id etiam tuæ proteruiæ demus, omnes'ne diuini juris doctores &, Episcopi huius legis rudes erant & ignari? Quòd si persuasi fuerant, communicandi sub utraque specie, rationem esse ad salutem necessariam, illamq; persuasionem simul cum calice ipsis

propinauerat antiquitas; qui fieri poteſt, ut pateren tur ſibi ſubiectam & obedientem plebem conſuetudinem illam abijcere, quam neceſſariò fore retinendam exiſtimarent? At inquies cum Luthero, Epiſcopos & omnes Eccleſiaſtici ordinis uiros nulli rei magis quàm ſeducendæ plebi incubuiſſe. Sed fac, unũ aut alterum oppidum, ciuitatem unam, aut prouinciam aliquam decipi ab illis tunc potuiſſe, ut plurimæ nunc à uobis ſupplantantur, omnes'ne totius orbis prælati tam fuerunt ſcelerati & immanes, ut contra omnium animarum ſalutem unà conſpirarent? Omnes ſe hoc tanto ſcelere inuoluerunt, & contaminarunt? Omnes ad inferendam hanc iniuriam toti Orbi de induſtria ſe compararunt? nullus extitit ab hoc tanto crimine liber & ſolutus? aut uniuerſus Orbis tam fuit ſtolidus, ſtupidus ac bardus, ut ita mi ferè decipi ſe pateretur? nec quiſquam fuit in tam uaſta hominum multitudine, in tanta ingeniorum uarietate, qui tantum hoc ſuum malum præſentiret? fieri enim nullo modo potuit, ut uniuerſus Occidentis Orbis tam facilè à calice, quo fuerat nutritus, abduci potuiſſet, ſi cum diuinis decretis, aut cum maiorum traditionibus id pugnare aliquando didiciſſet. aut uerius nunquam ſe ipſum cuiuſuis ſacrilegij metu ac fuga ab hoc uſu remoueret. Neque enim, ut diximus, cuiuſquam auctoritate fideles à calicis uſu abacti ſunt, ſed cùm aliqui pij & religioſi uiri, qui facilè intelligebant, & ſub panis & ſub uini ſpeciebus, totum, uerum, uiuum Chriſti corpus, non cadauer mutilum aut membratim diſcerptum exiſtere, longaq; experientia didiciſſent, non poſſe ſine maximis peri-

periculis calicis usum retineri, non solùm illum à se dimouerunt, sed singulare quoddam fidei & pietatis exemplum ad posteros transmiserunt, quo paulatim omnes Ecclesiæ filij prouocati, à periculoso illo sanguinis potu se se abduxerunt. atque ita hauriendi calicis consuetudine abrogata, hic edendi tantùm sub specie panis Christi corpus mos ad omnes Occidentis angulos peruênit. Cuius manifestum argumentum est, quòd nusquam ante Concilium Cõstantiense Ecclesia, decreto interposito, laycos, calice prohibuerit. quod quidem Concilium susceptam consuetudinem approbat; atq; ut religiosè obseruetur sanctè præcipit. Neque desunt summorum Pontificum epistolæ, quæ Concilium Constantiense ducentis ferè annis præcesserunt, qui eundem morem mirum immodum celebrant, atque commendant. Iam igitur uides, Kemnici, quàm uerè à nobis dictum sit, ueteri illa consuetudine hoc Ecclesiæ decretum non euerti modò & labefactari, sed magis ac magis confirmari. Cùm enim illi, qui utraq; specie olim utebantur, à se communi animorum consensione alteram abduxerint, satis apertè declararunt, persuasos semper fuisse, ita licitum esse utraque specie uti, ut altera solùm foret necessaria; neque secus eorum maiores solitos fuisse Christi legem, sacramentiq; huius institutionem interpretari. Neque enim aliter tanta opinio tam penitus insita, tam uetusta ex uniuersitate generis humani euelli unquam potuisset. Quare morum hæc uarietas & uicissitudo satis explicat, nihil certi hac in re à Christo præceptum, ab Apostolis'ue traditum fuisse; sed ex eorum numero esse, quæ Ec-

clesiæ

clesiæ subsunt iudicio. Iam uerò perpende in tanta hæresum uarietate, tantaque errorum multitudine, quibus Christi Ecclesia ab ipsis primordijs afflicta & oppressa fuit, nunquàm defuisse uiros eruditione & uirtute præcellentes, qui ueritatis forent propugnatores; illius patrocinium forti & constanti animo su sciperent, eamq; ab omni impietate uendicarent. So lus igitur hic error liberè potuit in omnium animos irrepere? sola hac in re licuit communi consensu di uinam legem abijcere ac repudiare, & Christi institutionem in dissuetudinem trahere? in hac unica causa Ecclesia extitit tot sæculis omnidefensione & patrocinio destituta? & ij clarissimi uiri, qui toto hoc tempore fuerunt impietatum omnium uindices, & oppressores, hac una in re sceleris atque impietatis fautores atque propugnatores fuerunt? Nemo certè erit, qui res debitis ponderibus examinet, qui non facilè ex ijs intelligat, ita fuisse calicis usum apud ueteres in more positum, ut illius abstinentiam minimè ducerent perniciosam, aut cùm diuina lege pugnantem; quod ipsius etiam antiquitatis exemplis atque testimonijs apertè commonstrabimus.

VT uerò Colonienses planum faciant, ueteres Patres persuasos fuisse, nullum de utraque specie certum præceptum à Christo traditum fuisse, Augustinum atque Theophilactum inducunt, affirmantes, Christum duobus discipulis, quos ad Emaus euntes offendit, corpus suum sub unica panis specie porrexisse; idque significare Lucam uoluisse cùm dixit,
Lucas. Accepit panem, benedixit, ac fregit, & porrigebat
24. eis. Verba autem Augustini hæc sunt, Ne quisquam
Chri-

Christum se agnouisse arbitretur, si eius corporis particeps non est, idest, Ecclesiæ, cuius unitatem in sacramento panis commendat Apostolus dicens, Vnus panis, unum corpus multi sumus. uoluit cùm eis benedictum panem porrigeret, ut aperirentur oculi eorum, & agnoscerent eum. & paulò pòst, Non autem incongruenter accepimus, hoc impedimentum in oculis eorum à Satana fuisse factum, ne agnosceretur Iesus, sed tamē à Christo est facta permissio, usque ad sacramentum panis, ut unitate corporis eius participata, remoueri intelligatur impedimentum inimici, ut Christus possit agnosci. Quam tamen apertam sententiam cùm omni ratione eludere conetur Kemnicius, inquit, *Augustinum quidem allegoriam texere ex illa fractione panis, & accōmodare illam etiam ad mysticum corpus Christi, hoc est, Ecclesiam*; Nec aduertit acutissimus & perspicacissimus censor, allegoriam non uersari in explicatione uerborū Lucæ, quæ de mystico pane, hoc est, de sacrosancta eucharistia intelligenda esse planè & sine una translatione docet. At cùm sanctissimi panis uim atque naturā Ecclesiæ accommodare uult, eadem translatione, qua Paulus in priori epistola ad Corinthios utitur; qui quanuis apertè & sine ulla allegoria de sacrosancta eucharistia loquatur, cum ait, Calix benedictionis, cui benedicimus. non'ne communicatio sanguinis Christi est? & panis, quem frangimus, non'ne participatio corporis Domini est? cùm tamen addit, Quoniam unus panis & unum corpus multi sumus, omnes, qui de uno pane & de uno calice participamus. panisq; rationem ad mutuam animorum coniunctionem corporisq; Christi mysti-

de consensu Euāgelist. lib. 3. c. 25.

1. ad Corynth. c. 10.

ci unitatem, quæ fide atque charitate perficitur, accommodat, elegantissima translatione utitur. quem D. Aug. perclarè sanè hoc in loco imitatus est. Opponit rursus Kemnicius, *Diuum Augustinum suam sententiam his uerbis explicasse, epistola 58. illud uerò sacramenti, esse credo, quòd qui in uia ambulantibus non fuerat agnitus, in fractione panis reuelatus est. id tamen tuo sensu uolo te tenere, non meo. Notet (inquit) hoc lector, quòd Augustinus suam allegoriam non uult esse dogma.*

Non potero quidem satis unquàm mirari garrulam Kemnicij infantiam cum incredibili audacia coniunctam, qui non modò Paulini ad Augustinum epistolam pro Augustini nobis epistola obtrudit, sed illius sensum unà cùm uerbis prorsus inuertit & corrumpit. Isti enim Euangelij corruptores non eos solùm, qui superstites adhuc uiuimus, diuexant & exagitant, sed diuis etiam, qui sempiterna iam felicitate fruuntur, funestum bellum intentat. quippe quorum monimenta ita deprauant & corrumpunt, ut eam ipsis fidem ascribant, à qua illi semper maximè abhorruerunt. Vt uerò, Kemnici, te aliquando tantæ petulantiæ pudeat, aduerte, eam, quam Coloniensibus obijcis epistolam, Paulini esse, non Augustini, qui cùm multa ab Augustino quærat, illud unũ est, Quare fuit in causa quòd duo illi discipuli, qui in Emaus ibant, non potuerint agnoscere Christum, cuius corporis forma nulla ex parte resurrectione fuit immutata. Mox addit, Illud uerò sacramenti esse credo quòd qui in uia ambulãtibus nõ fuerat agnitus, in fractione panis reuelatus sit. Id tamẽ (aduerte Kemnici quãtopere uerba corruperis) tuo sensu tenere uolo non meo. Tantùm enim Augustino, sibi uerò

inter epistolas. ep. 8.

tam

tam parum tribuebat, ut nihil illa in re secum, nisi de Augustini sententia uellet statuere; cui Augustinus respondet, principiò nihil mirum esse, si discipuli Christum non agnouerint, quem Marcus inquit apparuisse illis in alia effigie. Quod uerò ad fractionem panis, in qua ab illis agnitus est, attinet, sacramentũ (inquit) esse, eius, qui nos in agnitionem suam congregat, nullus debet ambigere. uide ergo, Kemnici, an Augustini hæc uerba dubitationem aliquam contineant, aut potius omnem nobis dubitandi audaciam eripiant. *Aug. epistola. 59.* *Marc. c. 16.*

DEDISSE igitur Christum duobus illis discipulis sacrosanctam eucharistiam, confirmant item Colonienses Theophilacti testimonio, cuius hæc sunt uerba, Insinuatur autem & aliud quiddam, nempè quòd oculi eorum, qui benedictum panem assumunt, aperiuntur ut agnoscant illum. Magnam enim & indicibilem uim habet caro Domini. neque tamen ueretur Kemnicius summæ impudentiæ ascribere, quòd illustri hoc Theophilacti testimonio Colonienses utantur. *Cum inquit, toti mundo notissimum sit, Græcam Ecclesiam nunquàm probasse, nec dum recepisse tyrannicam illam mutilationem cœnæ Dominicæ.* Esto, Kemnici, nunquàm Græca Ecclesia hunc usum admiserit, non uides quantum roboris & firmitatis nostræ sententiæ accedat, cùm ij, qui more à nobis ualde dissentiunt, fide atque opinione mirabiliter consentiant? & qui calicis usum constanter retinendum esse existimarunt, confiteantur, minimè inter diuina scita illorum morem contineri? Non inficior, Kemnici, Græcos nunquàm se calicis usu prorsus abdicasse. cùm tamen *Theophilactus. in c. 24. Lucæ.*

Theophilactus indicat, Christum duobus illis discipulis eucharistiam sub specie tantùm panis dedisse, satis innuit, nũquàm Græcos ita insaniuisse, ut sanguinis sub uini specie potum, ad salutem necessarium esse existimarent. Quod non uerbis modò, sed exemplis etiam sæpius declararunt. Neque erat quòd tam longa oratione, & tam multis argumentis demonstrares *summæ esse ignorantiæ existimare, Christum in ultima cœna instituisse eucharistiam pro sacerdotibus, post resurrectionem uerò in Emaus instituisse pro laicis unam tantùm speciem*. quod falsò Coloniensibus tribuis, cum nec unum quidem ea de re uerbum usquã fecerint, sed his sanctorum Patrum testimonijs ostendunt, Christum sui ipsius fidissimum interpretem hoc facto ducuisse, calicis usum, quem discipulis paulò antea commendauerat, non esse ad salutem necessarium.

Ambros. in oratione funebri, de obitu fratris sui.

PROBANT idipsum Colonienses exemplo Satyri fratris Ambrosii, qui cùm præsens naufragium ntueretur, metuens ne sacro eucharistiæ uiatico destitutus, è uiuis discederet, à presbyteris sacramentum poposcit; quod (inquit) ligare fecit in oratio, & orarium inuoluit in collo, atque ita se deiecit in mare. Nemo uerò tam est sensibus destitutus, qui nesciat, uinum in uolui in orario non posse. quod uerò egregius hic uir, non alio consilio ad eucharistiæ præsidia confugeret, quàm ut illa ante obitum uteretur, satis Ambrosius docet, cùm ait, petijsse diuina illa sacramenta, non mortem metuentẽ, sed ne uacuus mysterij exiret è uita. sed iã uideamus qua ratione tam apertum Abrosii testimonium Kemnicius eludere uelit. *Sed oppono (* inquit *) responsionem solennem & sacrosan-*

sacrosanctam, quæ apud ipsos Iesuitas omni exceptione maior esse debet. Nam sacrosanctum Concilium Costantiense pleno ore & expressis uerbis fatetur, utranq; speciem eucharistiæ à Christo institutam, fuisse ab Apostolis traditam, & à primitiua Ecclesia usurpatam. Ergo Concilium illud uel ignorauit, uel non credidit, in primitiua Ecclesia arbitrarium fuisse usum calicis in cœna Dominica. Hoc enim si certò probari potuisset, non opus fuisset flagitiosa illa clausula (hoc non abstante) sed simpliciter dixisset, semper arbitrarium fuit in primitiua Ecclesia &c. Hoc argumentum oppono omnibus exemplis, quæ Iesuitæ cumulant. vt uerò nihil de egregia ista tua petulãtia, qua Concilij Constantiensis auctoritatẽ incessis, dicam, non obscurè sanè indicas, non te percipere, quid significare Colonienses uoluerint, cùm aiunt, calicis usum, priscis illis Ecclesiæ temporibus arbitrarium fuisse. neque enim putant, felicissimis illis integerrimisq; temporibus, disciplinam Ecclesiasticam ita syluestrem atque incultam fuisse, ut nullus certus modus ac ratio utendi eucharistia perscriptus esset, sed quiuis unus utraque aut altera solùm specie pro libito uteretur. certi nanque semper fuerunt Ecclesiæ ritus, præfixa erat sacramenta administrandi ratio, à qua discedere nemini sine maiorum auctoritate licebat. At non aliter illi tum utraque, ac nos nunc altera specie utimur, hoc est persuasi erãt, illum morem, non à diuina lege, sed ab Ecclesiæ iudicio atque uoluntate pendêre; atque adeò pro temporum necessitatumq; ratione immutari posse. neque enim una, eadem, ac cõstans ratio erat, omnibus in locis ac temporibus eucharistiam sumendi. Quare cùm Concilium Constantiense asserit, ueterem Ecclesiam, Christi sanguinem sub uini specie Christianæ plebi pro-

 pinasse,

pinasse, sibiq; integrum esse putat, illam laicis eripe-pere, recentioremq; Ecclesiæ morem approbare atque commendare; non obscurè quidem docet, ueterem illum usum arbitrarium semper extitisse, hoc est, qui non à Christi præcepto quod perenne, constans, atque sempiternum est, sed ab Ecclesiæ ipsius consuetudine & arbitrio penderet. Quod plurimis in rebus sancti illi Patres declararunt. Nam si uetera Concilia Ecclesiæq; annales euoluas, intelliges sanè, uix unquàm ad ægrotos eucharistiam sub utraque specie delatam fuisse. Quod Serapionis illud factum
Euseb. histo. Eccl. lib.6. ca. 44. apertè declarat. cui cùm à puero deferretur eucharistia, quam senex ui morbi oppressus deglutire non poterat, præcepit (inquit) presbyter puero ἀποβρέξαι, καὶ τῷ πρεσβύτῃ κατὰ τοῦ στόματος ἐπιστάξαι, hoc est, præcepit (inquam) madefacere, & senis ori instillare. quod puerum diligēter curasse, mox ait Eusebius. ἀποβρέχω uerò, quod perfundere ceu madefacere significat, in solam panis speciem quadrare posse, certò constat. neque enim uini species madefieri potest. quem morem Græci adhuc studiosè obseruant. Nā etsi utriusque speciei usum semper retinuerunt, ægris tamen solam panis speciem (ut ipsis referentibus sæpius audiui) deferunt. quam uini specie resperſam in sacrario diutissimè asseruant. At uerò quoniam die parasceues unà cum chrismate tantum Eucharistiæ conficiunt, quantum ad annum integrum sufficere posse uideatur, illamque ne putrescat, de industria quantum maximè possunt, arefaciunt, ita tandem obdurescit, ut nisi uino molliatur, ne à ualentibus quidem ac sanis uiris deglutiri ullo modo possit.

Qui

Qui uerò aduerterit, quàm facilè uini substantia corrumperetur, si panis tamdiu asseruatus illo resspergeretur, satis uidebit, sub uini illis speciebus, quæ conseruari cum eucharistia possunt, Christi sanguinem tandem non extare, atque adeò sub altera tantùm specie, ægros eucharistiam sumere. Quare longè fallitur Kemnicius, qui existimat, eucharistiam Christi sanguine perfundi solitum fuisse, cùm in ægrotantium ora instillari oportebat . quo modo illusisse quod de Serapione tradit Eusebius, arbitratur. Quod tamen ex Concilio Turonensi multò magis constat, quod ita habet, Omnis presbyter habeat pixidem, aut uas tanto sacramento dignum, ubi corpus Domini cum diligentia recōdatur ad uiaticum recedentibus de sæculo. Quæ tantùm sacra oblatio intincta debet esse sanguine Christi; ut ueraciter presbyter possit dicere infirmo, Corpus & sanguis Domini nostri Iesu Christi, proficiat tibi, in remissionē peccatorum, & uitam æternam. Quod quantum ad externam speciem, atque uisionem intelligēdum est, quod nunquàm sanè hoc Concilium decreuisset, si in more fuisset panis species tum sanguine permisceri, cùm ægrotis porrigebantur: unde etiam liquidò constat, sanctos illos Patres nunquàm existimasse, in Christi præceptis contineri, singillatim atque seorsum Christi corpus edere, & calicem bibere, ut Kemnicius asserit: qui uerò Christi corpus sub sola panis specie sumit, non secus quidem corpus ac sanguinem Christi accipit, quàm qui panem sanguine conspersum manducat. quem morem aspergendi eucharistiam, Christi sanguine, antea improbaue-

Conc. Turonicum c. 4. ex Iuone parte 2. cd. 19. et Burcardo lib. 5. cap. 9.

rat

Iulius I. Episcopis per Aegyptum. rat Iulius Primus Pontifex Max. & multò pòst Concilium tertium Bracharense. Nam ubi (inquit) Dominus corpus ac sanguinem suum Apostolis commendauit, seorsum panis & seorsum calicis commendatio memoratur. *Cóc. Brachar. 3. cap. 1.* Prætermitto Concilium Ramense celebratum anno à Christo nato 813. Quod cum prohibet ne Christi corpus laico homini aut fœminæ tradatur ad deferendum infirmis, nulla prorsus de sanguine mentio fit. *De consl. dist. 2. c. peruenit.*

Cóc. Tol. 11. c. 11. SED Kemnicius ex undecimo Concilio Toletano probat, moribundis non corpus Christi modò, sed sanguinem etiam sub uini specie datum fuisse. Quem tamen Canonem, oppositum apertè & clarè demonstrare, semper quidem existimaui. Quare illius, quæso, uerba diligenter ponderemus. In quo cùm Patres Canonem illum Concilij primi Toletani, qui statuit, ut si quis acceptam à sacerdote eucharistiam, non sumpserit, uelut sacrilegus propellatur, illustrandum suscepissent, ad hunc modum aiũt; *Cóc. Tol. primum c. 14.* Solet humanæ naturæ infirmitas, in ipso mortis exitu prægrauata, tãto siccitatis põdere deprimi, ut nullis ciborum illationibus refici, sed uix tantundem illati delectetur poculi gratia sustentari. Quod etiam in multorum exitu uidimus, qui optatum suis uotis sacræ communionis expetentes uiaticum, collatam sibi à sacerdote eucharistiam reiecerunt; non quòd infidelitate hæc agerent, sed quòd præter Dominici calicis haustum, traditam sibi non possent eucharistiam deglutire. Non igitur huiusmodi, à corpore Ecclesiæ separandi sunt, qui talia non infidelitate, sed necessitate fecerunt, præsertim hi, de quibus nihil

hil sinistrè sentitur. Quomodo hæc, Kemnici, constare tibi posse uidentur, si calix moribundis unà cùm pane propinabatur? si ægri sæpius eucharistiam reijciebant, quia præter dominici calicis haustum illis tradebatur; an non uides solam panis speciem illis dari solitam fuisse? Neque te prætereat, quòd cùm tam ingens periculum ex hac tradendi eucharistiam ratione sæpius proueniret, minimè tamē Concilium decreuit, ut sanguis illis propinaretur, qui tanta essent faucium ariditate diuexati; sed solùm statuit, ne ab Ecclesia separarentur, qui ui morbi magis quàm sponte sua fideliter & piè susceptam eucharistiam repulissent; quippe qui sine calicis haustu illam deuorare præ gutturis ariditate non possent. Tanta enim tunc fuit Ecclesiasticæ disciplinæ obseruantia, ut de ea uel minimùm remittere maiores nostri nulla ratione uoluerint.

QVOD si etiā meminisses, consueuisse antiquos patres sacrosanctam Eucharistiam secū deferre, cùm longum aliquod iter ingrediebantur, ne tantis, illi cœlestibusq; præsidijs immunes, è uita unquàm excederent; satis profectò intelligeres, nō utraque, sed altera tantùm specie pro temporum necessitatumq; ratione usos eos fuisse. Quod ut ex plurimis alijs locis, tum maximè ex historia Stephani Papæ, qui uixit anno à Christo nato 251. apertè constat, in qua singularis Tharsicij cuiusdam diaconi pietas & religio his uerbis commēdatur, Eodem die milites Idolorum cultores diaconum quendā inuenerunt Tharsicij nomine, qui purissimum Christi corpus ferebat, comprehensumq; curiosius inquirebant, quid nam

ferret,

ferret, at ipse indignum iudicans ante porcos margaritas proijcere, nullo modo adduci potuit, ut sanctissimum & purissimum Christi corpus impuris hominibus reuelaret. virgis igitur & lapidibus eò usque Tharsicium contuderunt, quoad spiritum efflauit. cùm uerò eius corpus exanime per terram uolutaretur, curiosi & sacrilegi milites illi neque sub ulnis intra manicas, neque sub uestibus aliquid inuenire potuerunt, quare relicto sic ut erat uenerando Tharsicij corpore, multo cum stupore aufugerunt. Quibus accedit, in more etiam fuisse, eucharistiam fratribus maximo etiam locorum interuallo disiunctis, in pacis amorisq; significationem mittere. Quod à Romanis Pontificibus sæpe factitatum fuisse, tradit Irenæus apud Eusebium.

Irenæ. in epistо. ad Victor. R. Pót. apud Euse. hist. eccl. lib. 5. ca. 26.

6. Synodo i Trullo. c. 52.

QVAE si tibi obscuriora, aut certè parum firma uidentur, tecum animo, quæso, perpende sextæ Synodi canonem qui tam apertè Græcorum Patrum mentem declarat, ut nullus iam dubitationi locus reliquus fiat. Nam cùm prudentissimi illi Græcæ Ecclesiæ Patres mœrorem ex scelerum conscientia ortum, in quo fideles omnes tempore Quadragesimæ uersari debent, magis ac magis augere uellent, decreuerunt, ne in Quadragesima, præterquàm die Dominico ac sabbato, & eo die, quo annuntiationis festum agimus, qui nostræ lætitiæ principium dedit, eucharistia conficeretur, sed fieret τῶν προηγιασμένων sacrificium, hoc est, eorum, quæ præ sanctificata erant. Asseruabatur enim eucharistia, & reliquis hebdomadæ diebus offerebatur, quod quidem de sola panis specie intelligendum esse, satis ex eo constat, quòd

uinum

uinum aqua permistum, sine maximo corruptionis periculo quinque diebus asseruari non potest. Quinimmo & Græci, qui hunc morem adhuc hodie retinent, ut ab ipsis met didici, solùm Christi corpus sub panis speciebus asseruant, atque ad eũ modum per totam Quadragesimam offerunt quod Romana Ecclesia eo die, quem sanctum uenerem uocamus, facere consueuit. Quod tamen præsanctificatorum sacrificium multò quidem ante sextam Synodum initium habuit. Nam D. Athanasius, qui tempore Concilij Niceni floruit, mentionem facit τῆς λειτουργίας τῶν προηγιασμένων, hoc est, missæ præsanctificatorum. de qua existimo intelligendum esse Canonem Concilij Laodiceni, qui statuit, nõ oportere in Quadragesima panem offerri, nisi sabbato aut Dominica tantùm. unde manifestum euadit, non solum laicos, sed etiam sacerdotes altera tantùm specie tunc usos fuisse, quando non conficiebant euchariſtiam. Quare non est quòd ueteris Ecclesiæ morem nobis tam insolenter obijcias, quæ ita calicis usum retinuit, ut plurimis documentis demonstraret, nullum ea de re se agnoscere Christi præceptum. *Cõc. Laodi. c. 49.*

QVOD si in sententia adhuc perstas, atque censes, omnia, quæ Christus in postrema illa cœna fecit, studiosè ab omnibus obseruanda esse, diuinæ certè legis uiolatores sanctos illos omnes Patres dicas necesse est, qui lege cauerunt, ne quis laicus eucharistiam manibus unquàm usurparet. quod & ab Apostolis in diuino illo conuiuio, & in Ecclesia diu obseruatum fuisse, certò constat. Christus enim non modò in Apostolorum manus corpus suum ac san-

guinem tradidit, sed illis præcepit, ut sibi mutuò calicem propinarent, Accipite (inquit) & diuidite inter uos. Quare si ea omnia, quæ Christus per id temporis Apostolis præcepit, generalia instituta continent, nulla certè excusatione culpam illi à se propulsare possunt, qui manus à Chrsti corpore ac sanguine piè & religiosè amouent. Illi uerò longè mea quidem sententia falluntur opinione, qui existimant, plebem olim eucharistiam manibus ideò accepisse, quia ob immane & crudele tyrannorum in Christianos odium non poterant tutò Ecclesias frequentare. Quare necesse erat ut quisque domum eucharistiam deferet, ubi eam sumere cõmodius ac tutius posset. Nam quanuis Cyrilli Hierosolymitani temporibus tanta pace Ecclesia perfrueretur, ut maximi in templis conuentus celebrarentur, hunc tamen manibus suscipiendi eucharistiam morem seruatum fuisse, hisce uerbis ipse testatur, Accedens autem ad communionem, non expansis manuum uolis accede, neque cum disiunctis digitis, sed sinistram ueluti sedem quandam subijcias dexteræ, quæ tantum Regem susceptura est, & concaua manu suscipe corpus Christi, dicens Amen. sanctificatis ergo diligenter oculis; tam sancti corporis contactu comunica. Caue autem nequid inde excidat tibi. quod enim amittes, hoc tanquàm ex proprio corpore amiseris. At paulò pòst, significare uidetur, calicem, qui Christi sanguinem continebat, non fuisse tunc laicorum manibus commissum, ne aliqua (ut ego existimo) per imprudentiam sanguinis Christi guttula efflueret atque delaberetur, Tunc (inquit) post communionem corporis

Luc. 22.

Cyrillus Hiero. catech. mystago. 5.

ris Christi, accede & ad calicem sanguinis illius, non extẽdens manus, sed pronus adorationis in modum & uenerationis, dicens, Amen. Sanctificeris eo sanguine Christi, quem assumis, & cum adhuc est humiditas in labijs tuis, manibus attingens, & oculos, & frontem, & reliqua sensuum organa consecra. Quanquàm in Italia, Theodosio imperante, non modò Christi corpus, sed calicem etiam omnium manibus tradi solitum fuisse, indicant peruulgata illa atque nunquàm satis laudata Ambrosii ad eundem Imperatorem uerba, Quomodo manus extolles, quæ cæde iniqua diffluunt? quomodo diuinum Domini corpus illis excipies? quomodo sanguinem preciosum ad os efferes, per quod ira transuersum actus, tantum effudisti sanguinis? Quæ magno sanè argumento sunt, non eundem fuisse omnibus in locis suppeditandi sacrosanctum hoc sacramẽtum ritum & consuetudinem. Ecclesiæ enim est, pro temporum ratione uariare sacramenta conferendi modum, dummodo illorum uis, ratio, atque essentia sarta tecta conseruetur. vnde & præcepit ut ieiuni omnes ad diuinum hoc sacramentum accedant, quanquàm Christus illud peracta cœna instituisset. Neque enim huic sacramento illa aduersari possunt, quæ ad illius dignitatem tuendam & conseruandam ab Ecclesia comparata sunt. & quemadmodum D. Augustinus ait, quòd si Christus monuisset, ut post cibos alios semper eucharistia acciperetur, nemo uariare eum morem potuisset. Ita pij hominis est existimare, nihil eorum, quæ Ecclesiæ sunt usu & consuetudine comprobata, cum diuinis institutis pugnare, quæ

Niceph. lib. 12. c. 41.

cum Spiritus sancti firmissimis præsidijs muniatur, Christi promissionibus obualletur, auxilijs protegatur, prouidentia gubernetur, fieri certè non potest, ut ab illius institutis unquàm aberret.

NON prætermittam tamen admonere lectorem, aliquos existimare, illam consuetudinem sumendi sacrã Eucharistiam sub utraq; specie ante Leonis tẽpora intermissam fuisse, à Leone uerò reuocatã atq; restitutam esse, qui tamen mirum in modum hallucinantur. Nam cùm sanctissimus Pontifex præcipit à fideliũ cœtu illos expelli, qui se se à Christi sanguine hauriendo abducunt, de Manichæis uerba facit, qui cùm existimarent, Christum non uerè humanam naturam induisse, neque pro humano genere uerè sanguinem profudisse, panis tantùm speciem sumebant, à calicis uerò usu per summam impietatem abstinebant. Quod illius uerba apertè indicant, Abdicant, inquit, se sacramento salutis humanæ, & Christum dominum nostrum sicut in ueritate carnis nostræ denegant natum, ita mortuum uerè, & resurrexisse non credunt. Et ob hoc diem salutis & lætitiæ nostræ sui ieiunij mœrore condemnant. Cumq; ad tegendam infidelitatem suam, nostris audeant mysterijs interesse, ita in sacramentorum communione se temperant, ut interdum tutius lateant: ore indigno Christi corpus accipiunt, sanguinem autem redemptionis nostræ haurire omnino declinãt. Quod ideò uestram uolumus scire sanctitatem, ut uobis huiusmodi homines & his manifestentur inditijs, & quorum depræhẽsa fuerit sacrilega simulatio, notati & proditi, à sanctorum societate, sacerdotum aucto-

Leo sermo. 4. de Quadra.


ritate-

ritate pellantur. Quæ quidem uerba magis significant, nondum ea tempestate calicis hauriendi morem fuisse antiquatum. At postquàm Concilij Tridentini decreto, Anathemate illi damnati sunt, qui calicis usum necessarium esse dixerint, si sanctissimũ hunc Pontificem consulamus, summum esse scelus dicet, id in controuersiam deinceps uocare, qui ad Martinum Augustum scribens, asserit, quæ ab Ecclesia semel diffinita sunt, alicui in dubium uenire, sine impietatis significatione non posse. *Leo epist. 43.*

R. DO.

DIEGHI PAYVA ANDRADII, LVSITANI, ORTHODOXARVM EXPLICATIONVM LIBER OCTAVVS.

De Pœnitentia.



NTIQVVS ille humani generis hostis, qui suis fallacijs, atq; illecebris, parentem illum nostrum, nosq; unà ab æterna felicitate abstraxerat, astuque perfecerat suo, ut nihil iam nostro genere miserius fingi posset; ferre quidem nullo modo potest, ut sæuissima ipsius tyrannide ab hominum ceruicibus depulsa, amissus iustitiæ splendor antiquusq; ille innocētiæ nitor, Christi beneficio nobis magna ex parte restitutus sit. Quare, non bonis, non fortunis, non mortali huic & caducæ uitæ, sed sempiternæ nostræ felicitati insidiatur, nihilq; antiquius habet, quàm à filiorum nos Dei gloria deturbare, Christiq; sanctissimum sanguinem & inexhausta merita irrita in nobis aliqua ex parte facere. Neq; tamen aliter posse constare sibi huius laboris sui rationem sperat, quām si sacramenta, quæ passionis Christi uim atque uirtutem continent, quæ iustitiæ ornamenta in mortalium animis ingenerant, quæ illa mirum in modum augent, amplificant tuentur, atque conseruant, ab Ecclesia con uellat

uellat funditusque extrahat. Præceteris uerò sacramentis, unicum sanè pœnitentiæ sacramētum, quod eius conatus omnes eludit, prædas ab ipsis quasi faucibus eripit, uires infringit, diuinamque nobis gratiam continenter conciliat, infinito odio prosequitur. Quare in ipsis ferè Ecclesiæ initijs. Nouatum furijs percitum, ambitione tumentem, inuidiæ cupiditatisq; stimulis agitatum, nulla re magis quàm perfidia insignem, sanguinem, cædesq; spirantem, excitauit, qui fucata quadam sanctitatis specie, Christianæq; sinceritatis atque integritatis inani ostentione aditum illis esse ad diuinam misericordiam occlusum dictitabat; qui se sceleribus post baptismū contaminassent, candidissimamque innocentiæ uestem, quam in sacro lauacro induerāt fœdassent atq; commaculassent. neque ullam extare in Ecclesia potestatem existimabat, qua suscepta post baptismum scelera deleri & condonari possent. diuina tamen prouidentia, quæ perditorum hominum furori hæreticorūq; insaniæ multa permittit, ut qui probati sunt manifesti fiant, effecit, ut tam atrox, immanis, funestaq; sententia eum auctorem habuerit, qui à dæmone diu occupatus & diuexatus fuerat, ut satanicum istud esse figmentum, & ab hæreditario humani generis hoste confictum atque excogitatum, omnibus notum esset, atque testatum. Quanuis enim exorcistarum uirtute & beneficio fuerit Nouatij corpus à dæmonis tyrannide liberatum, ut Cornelius Pontifex apud Eusebium auctor est, ita tamen illius mentem perpetuò possedit & constrinxit, ut omnibus in rebus eum præceptorem atq; impulsorem habuisse uide-

Cornelij epist. Fabio Antiocheno Episcopo Euseb. historiæ Eccles. lib. 6 cap. 43.

uideretur. Nouatij uerò impietatem, Ioãnes Vuiclef imitatus, pœnitentiæ ſacramentum irriſit, exploſit, & exſibilauit. Quod tamen multò petulantius fecit Lutherus, qui etſi principiò rei atrocitate deterritus, nihil aliud auderet affirmare, quàm iniquũ eſſe, peccata uenialia ſacerdoti confiteri, minimè uerò neceſſarium, mortalia omnia in confeſſione numerando percenſere, ſenſim impudentior factus, cœleſte hoc ac planè diuinum ſacramentum, quod humanæ fragilitati maximam conſolationem afferre, cœleſtisq; hæreditatis certiſſimam ſpem excitare ſolet, ab Eccleſia tollendum ac funditus extirpandum eſſe docuit. À quo tam feliciter Kemnicius diſciplinam accepit, ut ſummum hoc Chriſti in nos beneficium, cœleſteq; ſacramentum, *inueteratum abuſum, conſcientiarumq; carnificinam* appellet, atque innumeris alijs opprobrijs & contumelijs afficiat, quippe qui omnem pœnitentiæ uim & rationem, in ſola fide poſitam eſſe exiſtimat. quæ inſania cum à nobis multis iam profligata ſit, cum de fide & iuſtificatione egimus, breuiter ea nunc refutabo, quæ huic ſunt cauſæ peculiaria. quæ duobus potiſſimùm capitibus continentur, nullum ſcilicet eſſe pœnitentiæ ſacramentum à Chriſto inſtitutũ, in quo enumeratis peccatis intimisq; animi ſceleribus patefactis, ſacerdos Chriſti nomine pœnitentem abſoluat: & minimè item eſſe neceſſarium ut Deo pro noſtris in illum iniurijs, aliquo officij genere ſatisfaciamus. Ita enim fidei uim Kemnicius exaggerat, ut non modò ſcelera ipſa, ſed omne etiam ſceleribus debitum ſupplicium, liberaliter à Deo illis condonari arbitretur, qui Chriſti paſſionem

nem uera & integra fide complectuntur. vnde est, ut Purgatorium, summum esse figmentum, anilemq; quandam fabulam existimet.

Qvo'd si obscura essent, atq; ambigua illa Christi uerba apud Ioannē, Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt. aliquam profectò sæua istorum hominum stultitia excusationem habere potuisset. at cùm tam sint aperta, & ex omni parte patentia, nemo unquam antiquorum patrum in illis hæserit, sed omnibus idem semper significauerint, egregiamq; illam atque diuinam sacerdotum potestatem suscepta scelera, Christi nomine condonandi, illis contineri omnes semper intellexerint, nullus profectò excusationi locns relictus est. Cum.n. pater non iudicet quenquam, sed omne iudicium dederit filio, potestatemq; ei tradiderit, iudicium exercendi, non in eos solùm, qui uita iam functi sunt, sed in illos etiam, qui adhuc uiuunt superstites (est enim à Deo constitutus iudex uiuorum & mortuorum) hanc quidem tantam potestatem Christus in sacerdotes magna ex parte transfudit, quos sui iuris uicarios cōstituit, & quorum opera iudicis illud munus sibi à patre traditum, nunc exequitur. quod sanè tunc illis delegauit cum ad patrem iam iam con scensurus dedit eis potestatem pro arbitrio & æquitate ligandi, & soluendi. Est enim (inquit Chrysostomus) Apostolis diuina quædam potestas, spiritualisq; gratia à Christo tributa, non ut portentosa & naturæ uim superantia miracula ederent, sed ut peccata condonarent. Idq; non propria ipsorum uirtute,

Ioá.c.20

Ioan.5.

Chrysost. in Ioan. homil.85

ſed Spiritus ſancti,qui illorum opera atque miniſterio,uti decreuerat: quod ut declararet Chriſtus,Spiritum ſanctum illis tunc dedit. Expende uerò,Kemnici, quid ſit iudicium exercere,& uide an qui poteſtatem habent pro arbitrio & æquitate, condonandi atque retinendi peccata, hominum iudices ſint con ſtituti. Putas'ne, homo diſerte, & argutule, iudicis munus eſſe innocentem abſoluere, & reum condem nare? illum,quem uenia dignum eſſe iudicat,à ſcele rum atrocitate liberare; inter reos autem eum referre, quem mulctam magis,quàm miſericordiam promereri cenſet? quam accommodatè uerò inde concludatur, peccata omnia eſſe ſacerdoti aperiēda, aduerte. Quis quæſo tam erit bardus, qui ignoret, neminem iuſtè atque legitimè ſententiam ferre poſſe, niſi cauſam prius perclarè cognitam atque perſpectam habuerit? quis iudicium illud eſſe temeritatis pleniſſimum dubitabit, in quo incognita crimina condonantur, aut retinentur? Quare cùm Chriſtus ſacerdotibus poteſtatem dedit condonandi pec cata, apertè quidem inſinuauit, occulta ſcelera illis aperienda,atque patefacienda eſſe; qúinimmo minimè poſſe, criminum ueniam à Deo impetrare,qui ſacerdotum conſpectum,& iudicium recuſat. Quare nihil eſt,Kemnici,quòd curiosè à nobis requiras, expreſſum aliquod Chriſti præceptum de peccatorum omnium confeſſione. Nam quemadmodū cùm Cæſar grauem aliquem & ſpectatum uirum reip.cuiuis præficit, munere'ue alio exornat, cum quo iuriſdicendi poteſtas coniuncta ſit, ciuibus legem impoſuiſſe cenſetur, ut apud illum cauſam omnes dicant;

atque adeò perturbatæ reip. legisq; nefariè uiolatæ reus habetur, qui illius tribunal contemnit & aspernatur; ita cùm Christus sacerdotes peccatis condonandis præfecit, legem simul rogasse uidetur, ut qui scelerum essent conscientia conuicti, ad hos tãquàm ad cœlestes quosdam medicos concurrerent, qui salutem mentibus afferre facilè possent. Prudẽtissimè nanq; sacramẽtorum uim atq; rationem, ij mihi perspexisse uidentur, qui in illorum cõstitutione, legem de eorum usu inclusam esse & implicatam arbitrantur. Nam cùm sacramenta, cœlestes sint quædam atque perpetuæ animorum medicinæ, quæ mortifera scelerum uulnera sanare possunt, ad illas sanè accedere, ij omnes diuina lege tenentur, qui ijs animi morbis afflictantur, quibus curandis hæ sunt accommodatæ. Quemadmodum qui uenenato telo ictus, præsentem iam mortem intuetur, ea omnia remedia comparare debet, quæ saluti suæ subuenire posse putauerit. Quare cùm Christus nostris malis prouocatus, miseraq; illa ad peccandum propensione commotus, ligandi atque soluendi potestatem sacerdotibus contulerit, quæ calamitatum nostrarum leuamentum, scelerumq; præstantissimum remedium foret, uel ipso quidem beneficio omnes obstrinxit atque obligauit, ut cœlestem hanc medicinam exerceremus. At, inquies, ligandi ista atque soluendi potestas, in solo uerbi mysterio posita est. id quàm sit fucatum ac fallax, qui Euangelistas omnes inter se contulerit, satis intelliget. Neque enim obscurę indicant, Christum tria hæc inter se distincta ualde, atque diuersa munera Apostolis detulisse, Euangeliũ

ſcilicet, quod ſcelerum ueniam pollicetur, & largi-
Marc.16 tur, prædicare omni creaturæ, ſacro lauacro crimi-
Mat.ult. na omnia expiare, remittere, ac retinere peccata.
Ioan. 20 quæ poteſtas, ſi Chryſoſtomo fides habenda eſt, tam
Chryſoſt. in Ioã. homil. 85. erat Euangelij doctoribus neceſſaria, ut ſine illa docendi officio fungi nullo modo potuiſſent. Cum.n. abiecta & repudiata obedientia, neque præclara uitæ inſtitutio feliciter progredi, neque diſciplina conſeruari diu poſſit, peſſimè ſanè Chriſtianæ inſtitutioni conſultum foret, ſi Eccleſiæ doctores ligandi atq; ſoluendi poteſtate carerent, qua mentium morbos internoſcere, ſalutarem illis medicinam facere, effrenatosq; impetus coercere atq; comprimere poſſent.
Mat.16. Quæ cœleſtis poteſtas ne ulla unquam ui labefacta-
Mat.18. ri poſſet, firmiſſimisq; eſſet ſacrarum literarum præſidijs munita, nõ ſoli Petro, ſed omnibus etiam Apoſtolis regni cœlorum claues tradidit, quibus & omnes mentium latebras atque receſſus aperirent, & diuinæ miſericordiæ theſauros nobiſcum communicarent. Clauis enim, auctore D. Ambroſio, dicenda
Ambro. ſerm. 66 de natali Apoſto. Petri & Pauli. eſt, qua ad fidem peccatorum dura reſerantur, mentium ſecreta pandũtur, & quicquid intrinſecus clauſum tenetur, in palàm rationali manifeſtatione producitur. Clauis inquam, eſt, quæ & conſcientiam ad confeſſionem peccati aperit, & gratiam ad æternitatem myſterij ſalutaris includit. ut uerò diuinã hanc poteſtatem à docẽdi functione ualde eſſe diſiũctam declararet, mox addit, Ambo igitur (Petrus ſcilicet & Paulus) claues à Domino perceperunt: ſcientiæ iſte, ille poteſtatis. diuitias immortalitatis ille diſpenſat, ſcientiæ theſauros iſte largitur. & alibi, Re-

mittuntur

mittuntur (inquit) peccata per Dei uerbum, cuius Leuites est interpres, & quidam executor. Remittuntur etiam per officium sacerdotis sacrumq; ministerium. Quomodo uerò Ecclesiæ ministri peccata condonent, docuit idem Ambrosius libro de Spiritu sancto. Non in suo (inquit) sed in patris & filij & Spiritus sancti nomine peccata dimittunt. isti rogant, diuinitas donat, humanum enim obsequium, sed munificentia supernæ potestatis. Quam eandem potestatem illis esse Christi ad Petrum uerbis consignatam, Pasce oues meas. luculenter docet D. Basilius. in ligandi nanque atque soluendi potestate, pastoris officium potissimùm cernitur. quam etsi non eodem modo semper, sed uariè exerceat, illa certè ligandi atque soluendi ratio, qua occulta & recondita peccata condonantur ceteris omnibus longius præstat. Neque enim cœlestis hæc planeq; diuina auctoritas clarius unquàm elucet, quàm cùm is, qui scelerum atrocitate deterritus, diuinoq; amore inflammatus, crimina summopere detestatur, atq; deprecatur, suis meritis diffidens, ad sacerdotem, quem Christi uicarium esse intelligit, sponte confugit, ab illo opem petit, apud eum seipsum reum facit, susceptaq; crimina patefacit, quæ ille tanquàm uerissimus quidam, humanissimus atque sanctissimus iudex, pro misericordiæ iustitiæq; ratione aut condonat, aut retinet. Iam igitur uides, Kemnici, quàm sit à te petulanter & ueteratoriè dictum. *hunc reconciliationis modum cum Deo, post lapsum, doceri & monstrari non ex scripturæ sententijs, sed ex practica Oldradi, ex speculo Durandi, et summa ex processu iuris.* Qui tamen auctores Coloniensibus neque de nomine fortè

Ambro. lib. de Cain, et Abel. c. 4.
Ambro. lib. de Spiritu sancto. c. 19.
Ioan. c. 21
Basil. de uita soli. c. 23.

tè noti ſunt, niſi tu Ambroſium, Baſilium, Chryſoſtomum, cæterosq; ſanctos Patres illis eſſe ſimilimos iudicas, aut certè aperta hæc & manifeſta Chriſti teſtimonia à ſacris literis relegare & expellere cupis.

At inquis, *in toto illo iuridico proceſſu, ne ſemel quidem mentio fit uera fidei, qua in Chriſto mediatore quærit & apprahendit miſericordiam Dei, reconciliationē, & remiſſionem peccatorum.* Quem locum fides in peccatoris cum Deo reconciliatione habeat, iuſtificationisq; noſtræ eſſe quaſi fundamentum, & explicauimus abundè, & Colonienſes docuerunt copioſè. Quare nihil attinet eadem hîc rurſus inculcare, mirari tamen Kemnicij petulantiam non ſatis queo, qui nullam fidei mentionem ab ijs fieri arbitratur, qui contritionem in potiſſimis pœnitentiæ partibus enumerant, neque aduertit, mœrorem illum, animi dolorem atque ægritudinem, quam cōtritionem uocamus, fide potiſſimùm excitari. quare, qui contritionem commēdant, qui illius uim atque rationem explicant, non quidem fidem obſcurare, ſed illuſtrare, cenſendi ſunt. Nam cùm fides certiores nos faciat, tam eſſe miſerandum flagitioſorum hominum ſtatum, ut nulla humana ui atque potentia ab illa fœditate emergere, aut ab illis ſe uinculis exoluere, niſi Chriſti Ieſu beneficio poſſint, & quàm ſit peccatum fugiendum ac deteſtandum, fide præeunte cognoſcimus; & in quantis miſerijs atque ærumnis prolabantur, qui crimen ſuſcipiunt non niſi Chriſti ſanguine expiandū, ſatis intelligimus. Quare ea omnia medicamenta ſummo ſtudio adhibere conamur, quæ à Chriſto ad tantā animi turpitudinem ſanandā parata eſſe, certò ſcimus. Cùm item eodem fidei

Lib.6.de iuſtifica. & fide.

fidei splendore humana mens illustrata, ardentem Dei in se amorem intuetur, qui flagitijs, quibus debuisset extingui, magis ac magis exarsisse uidetur, fit, ut uel sola peccatorum recordatio illi sit horribilis & formidabilis, diuinam uerò bonitatem, cui se tot ac tantis beneficiis deuinctam agnoscit, inflammata charitate prosequatur, illi totam uitam, pietatem, studiumq; deferre, in amore respondêre, atque ipsum, quoad fieri potest, ad calculos uocare, statuat. Quibus partibus cùm animi dolor constat, uerè contritio appellatur. Cùm igitur acerbus hic angor, quo pœnitentis animus premitur, à prauisq; cupiditatibus abducitur, à fidei luce proficiscatur, illiusq; tanta sit uis, ut pium hominem quodam modo impellat, ut se se ad sacerdotis pedes prosternat & abiiciat, cordisq; sui arcana omnia, non sine maximo pudore ipsi patefaciat; illos tu, Kemnici, nullum in pœnitẽtia locum fidei reliquum fecisse arbitraris, qui contritionem & confessionem, pœnitentiæ partes esse dicunt? confer, quæso, fidem illam, quæ solis internis animi motibus Deum intuetur, ab illoq; misericordiam deprecatur, cui tu iustificationem tribuis, cum hac, quæ cum eisdem egregiis animi agitationibus integram, ueram, pudorisq; plenissimam confessionem coniungit, & diligenter expende, quæ pluribus rationibus præclarior præstantioribusq; officiis illustrior existat; & planè uidebis, fidei te uim atque rationem nullo modo percepisse, cùm contemptæ atq; spretæ fidei Colonięses accusasti, qui etiam fidei nomine suppresso, cum illius munera atque officia præstantissimè explicarunt; non illam à pœnitentia abijciunt,

ciunt, sed ueræ pœnitentiæ esse ueluti fundamentum docent.

Pœnitentiam esse sacramentum.

HOC uerò pœnitentiæ genus, quod pœnitentis dolore, scelerum omnium confessione, sacerdotisq; absolutione (ut satisfactionem interim omittamus) constat, uerè ac propriè sacramentum esse, ex nota atque peruulgata sacramenti ratione, satis constat. Est enim sacramentum aspectabilis quædam forma eius gratiæ, quæ sub aspectum cadere nullo modo potest, quam non modò refert ac repræsentat, sed etiam efficit. ea uerò, quæ à pœnitente ad pedes sacerdotis prouoluto geruntur, apertè quidem præseferunt, illius animum à sceleribus esse omnino alienatum; quæ uerò sacerdos præstat, non obscurè significant, omnia pœnitentis crimina à Deo condonari, quod cumulatissimè intus in mente is præstat, qui suis ministris ligandi atque soluendi potestatem dedit. At inquis, uisibile elementum, quod ad definitionem & substantiam sacramenti requiritur, non posse in confessione reperiri. Sed quid fuit, Kemnici, ut tu contempta Augustini, quem plurimi facere prætefers, sacramentorum definitione, Hugonis illam rationē, quæ neque breuiter, neque lucidè rem explicat, amplecteteris? Sed elementi notio tibi summopere arrisit, qua maximam te sacramentorum Ecclesiæ partem delere posse existimasti. quod magno sanè inditio est, haud te percipere, quid per inuisibile elementum doctissimus Hugo significare uoluerit. Neque enim unum ex illis quatuor, ex quibus terrena omnia, concretaq; corpora conflantur, is intelligere potuit, qui ministrorum Ecclesiæ ordinationem

tionem atque matrimonium, sacramenta esse credit. quæ quidem ex nullo elementorum conficiuntur. Neque enim à D. Augustino, hoc est, ab Ecclesiæ iudicio, discedit, qui constanter affirmat, neminem unquàm dubitasse, ordinem sacramentis fore annumerandum matrimonium; item in Ecclesia Dei nostri, in monte sancto eius sacramentum esse, plurimis apertissimisq; rationibus cõfirmat. quinimmo & ipse Hugo, cuius tu nobis sacramenti definitionem obijcis, minimè dubitauit, pœnitentiam inter sacramenta à Christo instituta collocare. Quare nihil quidem aliud elementum, quàm rem quanuis aspectabilem, & quæ oculis uideri queat, significare potest. Quòd si ad pœnitentiæ actiones, sacerdotisq; uerba animum aduertas, satis intelliges, hanc sacramenti definitionem, pœnitentiæ aptissimè conuenire. *Aug. de bono coniuga. c.7*

SED Kemnicius antiquitatis diligentissimus insidiator, testatur, *hunc iudiciariũ processum*, hoc est, ut ipsemet interpretatur, *quòd nulla peccata in absolutione remittantur, nisi sacerdoti tanquàm iudici per enumerationem fuerint patefacta, puriorem antiquitatem nunquàm agnouisse*. quod Chrysostomi atq; Ambrosii testimonijs probare conatur. Quare antiquitatis hac de re sensum diligẽter inquiramus. cui, si stare Kemnicius uoluisset, nunquàm profectò ab Ecclesiæ Romanæ fide discessisset. Vt uerò Clemẽtis in ea epistola, quæ est ad Iacobum fratrem Domini, apertam dilucidamq; sententiam omittam; non meministi, Kemnici, quàm acriter Dionysius Demophilum reprehendat, quòd peccatorem ad sacerdotis pedes abiectum, scelera confitentem, illorumq; ueniam deprecantem, calce percusum repulerit? Nun- *Dionys. epist. 6.*

Tertullianus lib. de pœnitentia. quàm legisti, egregium illud Tertulliani opus de pœnitentia, in quo pluribus demonstrat, aduersus gehennam, post prima illa intinctionis Dominicæ monumenta, esse adhuc in exomologesi secunda subsidia? hoc est, ut D. Hieronymus dixit, Pœnitentiam esse secundam tabulam post naufragium? Ne uerò quis existimaret, de interiori se criminum confessione agere, quando scilicet peccator Deo recogitat omnes annos suos, in amaritudine animæ suæ, eleganti oratione exaggerat in quanto illi periculo uersentur, qui pudoris magis quàm salutis memores, aut defugiunt, aut differunt scelera presbyteris aperire, ueluti (inquit) illi, qui in partibus uerecundioribus corporis contracta uexatione conscientiam medentium uitant, & ita cum erubescentia sua pereũt. *Tertullianus lib. de pœnitentia.* si memoria tenes, quæ Fabianus Pontifex sanctissimus, martyrq; clarissimus de sacerdotum dignitate Orientis Episcopis scripsit, apertè uidebis, eos, qui peccata admittunt, sempiternis supplicijs digna, nequaquàm à miserando illo infamiq; statu emergere unquàm posse, nisi eis sacerdotali auctoritate subuẽctum fuerit. *Fabianus epi. 2 ad Orientis Episc.* Quod si ad ea, quæ nobis sunt D. Cypriani monimentis tradita, animum aduertas, nihil profectò tibi frequentius obuium esse poterit, quàm saluberrimam esse atq; necessariam peccatorum medicinam confessionem cum integra, perfectaq; satisfactione coniunctam.

NON me latet qua ratione Erasmus Roterodamus (cuius tu tuiq; omnes hac de re iniquissimum iudicium, maximo cum applausu & gratulatione excepistis) sanctorum omnium Patrum sententias elude-

re

re potius, quàm interpretari uoluerit, de ea scilicet pœnitentia sermonem illos facere, quam publicè fieri solemne erat. Quod quàm sit uerum, paulò pòst demonstrabimus, sed esto, Kemnici, ita se res habeat; quid tum inde? Ecclesiæ'ne de sacramento pœnitentiæ iudicium infirmari ac tolli, Coloniensium'ue sententiam labefactari ducis? in maximo profectò errore uersaris, neque percipis, in quo huius sacramenti uis ac ratio posita sit. ad quam nihil attinet publicè'ne an priuatè, in omnium conspectu, an ad solius sacerdotis aurem confessio fiat, dummodo uera illa atque integra sit. Sacramenti enim pœnitentiæ ratio in eo potissimùm sita est, quòd is, qui peccatorum est sordibus inquinatus, uerè & ex animo scelera omnia sacerdoti, qui legitimam absoluendi potestatem habet, confiteatur, paratusq; sit animo, illi omnibus in rebus (ut par est) obtemperare: sacerdos uerò omnia ei peccata, Christi nomine condonet. Quòd uerò id clam secretoq; fiat, ex peccatorum magis turpitudine ac fœditate quàm ex sacramenti natura, oritur. Nam cùm peccata infamiæ quandam notam coniunctam habeant, uel naturæ ipsius instinctu scimus, nõ esse sine maximo iudicio & ratione publicè aperienda. Quare cùm Christus decreuerit, ut qui scelerum ueniam optaret, non publica modò, sed recondita etiam & maximè abdita peccata sacerdoti confiteretur: necessarium quidem fuit, ut remotis id arbitris fieret. Neque enim aliter diuinum hoc sacramẽtum cõseruari diu potuisset; nam cùm famam atque existimationem nemo libenter deserat ac prodat, minimè sanè induci homines potuissent, ut ea publi

cè aperirent, quæ neque ſine inuidia audiri, neque ſine pudore referri queūt. quare qui uiam aliquam ineunt, ut ſcelera, quæ ſacerdotibus tanquàm Chriſti uicarijs, manifeſtantur, illorumq́ue creduntur fidei, ante aliorum oculos quouis nomine ac ratione ponantur, huic ſanè cœleſti ſacramento funeſtum bellum indicunt, illudq́; quoad eius fieri poteſt, conuellere, atque labefactare moliuntur. Cùm igitur in ſacramenti pœnitentiæ natura ac ratione non inſit, ut criminum confeſſio ſecretò audiatur; apertè quidem ſancti patres cum decreuerunt, nequis à publicis ſceleribus liber ac ſolutus haberetur, *niſi ea palàm* confiteretur, à ſacerdoteq́; abſolueretur, *declara*runt, unicam peccatorum medicinam eſſe confeſſionem, atque penès Eccleſiam eſſe poteſtatem Chriſti nomine illa aut condonandi, aut retinendi. Nam quanuis ad eccleſiaſticæ diſciplinæ conſeruationem expediret, ut publica ſcelera, & quæ concitare offenſionem ſolent, in ore atque oculis omnium punirentur, minimè tamen ſanctiſſimi illi Heroes miſeros homines impuliſſent, ut propria ſcelera apertè confiterentur, aut tantam illam auctoritatem condonandi Chriſti nomine crimina, ſibi uſurpaſſent, niſi tã hoc, quàm illud à Chriſto eſſe inſtitutum iudicarent: ſed cùm certò ſcirent ita Chriſtum cœlorum claues in ſacerdotum poteſtate poſuiſſe, ut nemo Chriſtianorum, illorum criminum ueniam impetrare poſſet, quæ ſacerdotibus aperire recuſaret, per ſanctè ſtatuerunt, ut omnes nota, teſtata, atque aperta crimina palàm confiterentur, decentiq́; mulcta impoſita, in omnium conſpectu abſoluerentur; ut quam, plebs ex ſcele-

ſceleribus offenſionem exceperat, tanta illa humilitate atque pœnitentia deponeret. quæ publica confeſſio ſi integra eſſet, omnibusq; illis partibus, quæ ad hoc ſunt ſacramẽtum neceſſariæ, abundaret, non dubito quin tam eſſet uerè ſacramentum quàm illæ, quæ clam & remotis arbitris fiunt. Multa tamẽ ſunt, ex quibus licet coniecturam non leuem facere, nequaquàm confeſſiones illas publicas, ſacramenta fuiſſe; nam & integræ perſæpe nõ erant, quippe quia aperta ſolùm ac nota ſcelera euulgabantur, & non ſolùm presbyteris, ſed diaconis etiam licebat pœnitentes reconciliare, cũ ingens aliqua neceſſitas imminebat, ut D. Cyprianus auctor eſt, qui tamen ſacramenti pœnitentiæ miniſtri eſſe nulla ratione poſſunt. *Cypr. libro 3. epiſtola 17.*

QVO'D ſi diligenter, Kemnici, ad ſanctorum Patrum monimenta animum aduertiſſes, perſpexiſſes ſanè clarè & euidenter, non publicam modò, ſed occultam etiam confeſſionem in more priſcis illis, feliciſſimisq; temporibus fuiſſe, in qua abſtruſa & maximè recondita peccata ſacerdoti, tãquàm iudici Chriſtiq; Vicario, aperiebantur. Quorſum quidem ſpectat, illud à Cypriano toties inculcatum, in minoribus peccatis, & quæ in Deum non committuntur, agere peccatores pœnitentiam iuſto tempore, & ſecundum diſciplinæ ordinem ad exomologeſim uenire, & per manus impoſitionẽ Epiſcopi & cleri ius comunionis accipere. Quod multò apertius edocet Origenes. confeſſionis enim neceſſitatem exaggerãs, atque conſulens, ne peccatores ſacerdotem quemcunque temerè adeant, ſed prudentiſſimum, atque circunſpectiſſimum medicum quærant, cui animæ *Cypr. 3. lib. epi. 1. & 16.* *Origenes hom. 2. in Pſal. 28.*

suæ salutem committant atque credãt, ait, Circunspice diligenter, cui debeas confiteri peccatũ tuum; proba prius medicum, cui debeas causam languoris exponere, qui sciat infirmari cum infirmante, flere cum flente, qui condolendi & compatiendi nouerit disciplinam, ut ita demum, si quid ille dixerit, qui se prius & eruditum & misericordẽ medicum ostenderit; si quid consilij dederit, facias & sequaris. sed aduerte, quæso Kemnici, diligẽter, quæ mox sequuntur uerba, quæ rem ipsam ueluti digito attingunt. Si intellexerit, inquit, & præuiderit (spiritualis scilicet ille medicus) talem esse languorem tuum, qui conuentui totius Ecclesiæ exponi debeat, & curari, ex quo fortassis & cæteri ædificari poterunt, & tu ipse facilè sanari, multa hoc deliberatione, & satis perito medici illius consilio procurandũ est. quæ quidem in aliam quàm in priuatam confessionem quadrare nullo modo possunt. Cùm quo Diuus Basilius non modò consentit, sed hanc esse ueterem Ecclesiæ consuetudinem apertè testatur. Necessarium, inquit, uidetur ijs, quibus dispensatio mysteriorum Dei commissa est, confitenda esse peccata. sic.n.& ij, qui antiquitus pœnitebãt, inueniuntur apud sanctos cõfessi esse peccata sua. Si D. etiã Augustinum ad puriorem antiquitatem pertinere putas, illiusq; hac de re sententiam diligenter indagaueris, apertè sanè uidebis, nihil ueterem Ecclesiam à nobis diuersum unquàm sensisse. ut uerò cætera sanctissimi huius antistitis testimonia taceam, relege, quæso, quàm apposité ex resurrectione Lazari concludat, mentes, quæ scelerum fœditate occupatæ sunt, ueluti putida quædam cadauera

Basil. in regula Monach. c.21.

Aug. tract. 49 in Ioan.

dauera, quæ tam diu sepulta iacent, quamdiu pecca ta Ecclesiæ ministris non aperiunt; tunc resurgere cum ab illis soluuntur, quibus dictum est, Quodcunque solueritis super terram, solutum erit & in cœlis.

Si meministi Kemnici, quæ Ecclesiastici scriptores literis mandarunt de abrogato à Nectario Constantinopolitano Archiepiscopo publico pœnitentiario, qui secundum antiqua Ecclesiæ decreta audire secretas confessiones in Ecclesia solitus fuerat, ob stuprum nobili cuidam mulieri, quæ Ecclesiam frequentabat, à diacono quodam illatum, unde & confessio ipsa antiquari in aliquibus Orientis locis cœpit, facilè uidebis, non nouum hunc morem esse, neque paulò antea excogitatum, sed qui cum ipsa Christi Ecclesia cœperit, & religiosissimè conseruatus sit. Quantum uerò damni imprudentissimum illud Nectarij factum Orientis Ecclesiis attulerit, apertè quidem Socrates, & Sozomenus testantur, qui pudorem cupiditatum omnium moderatorem unà cum confessione abrogatum, dissolutam uerò consuetudinem, & impudentem licentiam magis ac magis auctam & amplificatam fuisse, testantur. Quod ipsum non minùs uerè quàm imprudenter Norimbergensis ciuitas declarauit cùm ad Carolum V. inuictissimum Cæsarem oratores misit, qui quantum maximè possent, ab illo efflagitarent, ut Imperatorio edicto, secretam peccatorum confessionem restitueret. quippe cuius abrogatio portentosa, incognita, atque nefanda inauditaq; sibi scelera, in eā innexerat, quæ profligare aliter non posse sperabat, quàm secreta peccatorum confessione restituta. atque ita, qui diui-

Niceph. lib. 12. c. 28.

Socrates, Eccl. hist. lib. 5. c. 19. Sozomenus lib. 7. c. 16.

nam legem ſceleratè abiecerant, proculcauerant, conſcientiarumq́; carnificinam illam, cum Luthero appellabant, Cæſaream, quàm eludere quiuis facilè poſſet, maximopere expetebant.

Anaſtaſ. Antioche. quæſtionibus et reſponſionibus Theologicis. c. 7.

Vt uerò ad inſtitutam diſputationem reuertamur; ſi Anaſtaſii Patriarchæ Antiocheni, qui ante ſeptingentos Annos uixit, ſcripta perlegas, apertè uidebis, quàm prudenter illorum inſaniam refellat, & coarguat, qui affirmant, neminem debere peccata confiteri mortali homini ſibi ſimili, illisq́; ea potiſſimùm duo ſcripturæ loca obicit, Quodcunque ſolueritis, ſolutum eſt. &, Confitemini alterutrum peccata ueſtra. Quod de confeſſione, quæ ſacerdoti fit, intelligendum eſſe, ipſa orationis Iacobi ſeries indicat. cuius Anaſtaſii hæc quæſo uerba diligenter expende, Quamuis homo ſit, qui audiat confeſſionem, tamen Deus eſt, qui per eum conuertit, erudit, remittit, ſicut fecit Danieli per Natham, & à Domino conuertebatur per eundem, unde aiebat, Conuertant me, qui timent te, & qui cognoſcunt teſtimonia tua, & caſtigabit me Dominus in miſericordia, & arguet me. Sancti enim, miniſtri ſunt Dei, & auditores ac diſpēſatores ad ſalutem eorum, qui uolunt ſal ui fieri. & ſi nactus fueris uirum ſpiritualem, qui te curare poſſit, ſine erubeſcentia, & cum fide confitere ei tanquàm Domino, & non tanquàm homini.

Iac. c. 5.

At inquis, *Chryſoſtomi ſententia eſt, cogitatione fiat delictorum exquiſitio, abſque teſte ſit hoc iudicium, ſolus te Deus confitentem uideat.* Quis, quæſo Kemnici, hoc confitendi peccata genus damnat? quis peccatorum illam cōfeſſionem,

quæ

quæ soli Deo fit, improbat? quis illius studium reprehendit, qui ad Christi pedes prouolutus & abiectus, propria scelera accusat, maximaque lacrymarum ui misericordiam deprecatur? An putas, hanc cum ea, quæ sacerdoti fit, pugnare? aut utranque simul consistere nequaquam posse? longè profectò falleris opinione, & quæ sit perfecta sacraméti huius ratio ignoras. Nam tunc externa hæc, de qua agimus, peccatorum confessio optima est, quando interna illa, quæ soli Deo fit, antecessit. quare Theologi nostri pœnitentiam diuiserunt in officium, & sacramentum; officium autem, quod maximum de susceptis sceleribus dolorem animiq; seipsum accusantis pium quendam affectum continet, ad sacramentum confessionis quodammodo perficiendum, & illustrandum accedit. Quòd si quæ D. Chrysost. de sacerdotio scripsit, perlegas, facilè uidebis, non soli Deo, sed sacerdoti etiam aperienda esse peccata. *Chrysost. de sacerdotio lib. 3.*

MVLTÒ autem acerbius insectatur Kemnicius Coloniensium doctrinam, de satisfactione. putat.n. blasphemum esse, & in meritum Christi contumeliosum affirmare, necesse esse, ut post culpam à Deo condonatam, pœnitentes officijs, & uirtutum maximarum studio debitas sceleribus pœnas persoluant. nec aduertit, ita Christum Iesum infinitam suam misericordiã temperasse, ita nostris sceleribus medicinam fecisse, ut torpentibus animis stimulos admoueret, ignesq; adhiberet, quibus ad pietatis, & uirtutum studia dies, noctesq; incitarentur. Nullum uerò hominum genus fingi potest, quod ista debitas pœnas persoluendi necessitas, non ad omne officij genus maxi- *Satisfactioné necessariá esse.*

Xxx mè

mè ſtimulet, atque excitet. Nam, qui diuino amore ardent, nullum ſanè non perferent laborem, ne quid quam eos ab illius, quem inuicem charum habent, conſpectu remoretur, ac retardet. Qui uerò ſolo cruciatuum terrore commouentur, omnibus ſe quidem huius uitæ incommodis atque ærumnis libentes mulctabunt, ut horrendos futuri ſæculi cruciatus, intolerabilesq; dolores effugere tandem poſſint. Quare, qui & iuſtificationem in ſola fide collocant, & ſatisfaciendi diuinæ iuſtitiæ pro ſuſceptis ſceleribus neceſſitatem tollunt, ad diſſolutam ſanè uiuendi libertatem, atque ad omne flagitiorum genus fores a-
Luc.c.3. periunt. Quare Chriſti ille præcurſor Ioannes *Baptiſta*, qui primus pœnitentiam confidenter docuit, omnes, qui optabant uenturam iram effugere, adhortabatur, ut facerent fructus dignos pœnitentia; hoc eſt, ne in ſolo ſcelerum odio, ac delectatione conſiſterent, ſed eos uirtutum fructus ederent, qui digni eſſent hominibus uerè pœnitentibus, & quibus diuinum numen ſcelere uiolatum, placarent. quod magis explicat cũ mox addit, Qui habet duas tunicas, det unam non habenti, & qui habet eſcas, ſimiliter faciat. Cum quibus Ioannis uerbis, ſi plurima alia ſcripturæ loca conferamus, ſatis uidebimus, tantam eſſe eleemoſynæ uim, ut peccatorum interi-
Prouer. cap.15. tum afferre facilè poſſit. Per miſericordiam, inquit, Salomon, & fidem purgantur peccata. & Eccleſiaſti-
Eccl.c.3 cus, eleemoſyna præſens, non erit in obliuione. nam pro peccato matris, reſtituetur tibi bonum, & in iuſtitia ædificabitur tibi, & in die tribulationis commemorabitur tui; & ſicut in ſereno glacies, ſoluentur
peccata

peccata tua. Et haud multò post; Ignem ardentem extinguit aqua, & eleemosyna resistit peccato. Quis uerò ita erit diuinarum rerum inscius, qui existimet, eleemosynarum ui peccatorum fœditatem & turpitudinem (quæ sola diuina gratia & misericordia delere potest) tolli, atque abstergi? Quare cùm extinguendi peccata uirtus, eleemosynæ in scriptura tribuitur, illa certè persoluendæ pœnæ obligatio, quæ condonata iam culpa relinquitur, intelligatur necesse est, quæ etiam peccatum in scriptura appellatur. Neque enim aliter constare Spiritus sancti mens atque sensus potest. & illud certè est genus dæmoniorum, quod Christus dixit non eijci, nisi per orationem & ieiunium. Quorsum sanè spectat, quod Domi nus Mosi pro Mariæ sanctitate deprecāti, respondit, Si pater eius spuisset in faciem illius, non'ne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi? Cum igitur cœlestem nos patrem ad indignationem nefarijs sceleribus prouocemus, quanuis ille tanquàm benignissimus pater omnia facinora ignoscat, filiorum sa nè modestiam & æquitatē decet, ieiunijs, orationibus, inedia, uigilijs, alijsq; corporis molestijs, pudoris aliquam significationem dare, & uiolatæ paternæ legis pœnas à nobis ipsis repetere. Quocirca quanuis diuinum numen Mosis precibus inductum, Mariæ scelus condonauerit, uoluit tamen, ut septem diebus à castris illa exularet, admissique flagitij iustum suppliciū lucret. unde fuit, ut sanctissimus Dauid, qui iam à Propheta Natam intellexerat, nefaria sibi scelera à Deo esse cōdonata, misericordiam multis lacrymis deprecaretur. Totum enim egregium il-

Mat. 19.

Num. c. 12.

lud quinquagesimum Psalmum in petēda scelerum, quæ sibi condonata esse certò sciebat, uenia, positum est. quippe qui intelligebat, iustam scelerum pœnam illos solùm posse euadere, qui lacrymis, eleemosynis, alijsq; officijs illam persoluerint. Quo exemplo prouocati quamplurimi uiri, sanctitate, & diuinarum rerum cognitione illustrissimi, uniuersam ferè ætatem in acerbissima pœnitentia insumpserunt; non quidem, quòd tanto labore opus esse existimarent, ut in gratiam cum Deo uenire aliquando possent, aut quòd illis se laboribus iustitiam, quam gratis à Deo conferri satis sciebant, promereri posse sperarent, sed partim, ut lasciuiētis carnis impetus coercerent, & comprimerent; partim uerò, ut debitas sceleribus pœnas darent, nec quidquam post hanc uitam illorum felicitatem retardare posset.

QVO'D si sanctorum patrum monimenta euoluas, nihil profectò frequentius reperies, quàm omnium studia ab illis ad supplicia sceleribus debita, persoluenda incitari. Neque enim quidquam est, quod maiori patrum consensu, illustrioribus sanctorum omnium testimonijs, firmioribusq; totius antiquitatis præsidijs firmatum, atq; fulcitum sit; adeò, ut omnes ad id unum constituendū & stabiliendum de industria conspirasse uideātur. Publicas illas pœnitentias taceo, cùm scilicet ij, qui nefaria publicaq; scelera susceperant, proni sese in terram abijciebant, Ecclesiæq; pauimentum lacrymis respergebant, unaq; Episcopus, ac uniuersa plebs multis lacrymis ueniam pro illis deprecabatur; quam tamen non prius intelligebant se esse consecutos, quàm inedia,

Sozomenus histo. eccl. lib. 7 c. 16.

elee-

eleemosynis, deliciarumq; omnium abstinentia corpus quandiutissimè affecissent. Quorsum sanè spectat, quod à sexaginta Episcopis, & pluribus presbyteris in Romana Synodo cõtra Nouatum coacta sancitum est; Fratres, scilicet, tempore calamitatis lapsos resipiscentiæ pharmacis curandos & sanandos esse; ut auctor est Dionysius Alexandr. apud Eusebium. *Euseb. hist. eccle. lib. 6. ca. 43.*

QVÒD si Originem, quem uniuersa antiquitas meritò suspexit, & admirata est, perlegas, uidebis sanè, non modò satisfactionem necessariam esse, sed tandiu quempiam pœnitentiæ uacare debere, quandiu se se corporis uoluptatibus dedit, ut sicut fecimus membra nostra seruire immunditiæ & iniquitati, ita eadem faciamus seruire iustitiæ in sanctificationem. neque ueretur appellare lacrymas & bona opera precium, quo peccata redimuntur. cuius tamen uerba diligenter, quæso Kemnici, ausculta; Est dura & laboriosa uia per pœnitentiam remissio peccatorum, cùm lauat peccator in lacrymis statum suum, & sunt ei lacrymæ penès die ac nocte, & cum non erubescit, sacerdoti Domini indicare peccatum suum. D. item martyr Cyprianus non semel asserit, peccata ablui & extingui satisfactionibus; pœnitentiam uerò his uerbis describit, Pœnitentiam ille agit, qui diuinis præceptis mitis, & patiens, & sacerdotibus Dei obtemperans, obsequijs suis, & operibus iustis dominum promeretur. Ex qua sanctissimi martyris sententia satis constat, tum non in solis diuinæ legis officijs satisfactionem positam esse, tum uerò sacerdotis munus esse, ea pœnitenti præcipere, quibus maximè satisfacere illum posse iudicauerit. Quorsum *Orig. homil. 3. in lib. Iudicum. Orig. homil. 15. in Leuit. Orig. homil. 2. in Leuit. Cyp. lib. 3. epi. 18*

ſum uerò funeſtiſſimi iſti Lutheri, Kemnicij aliorūq; ſimilium conatus euadant, præclarè ſanè egregius idem martyr Cyprianus præuidit: elegantiſſimeq; his uerbis explicauit, Hæc, qui ſubtrahunt fratribus noſtris (pœnas ſcilicet, peccatis debitas ſponte ſua luere) decipiūt miſeros, ut qui poſſunt agentes pœnitentiam ueram Deo Patri ad miſericordiam precibus & operibus ſuis ſatisfacere, ſeducuntur, ut magis pereant; & qui erigere ſe poſſunt, plus cadant.

Cyp. lib. 3. epi. 14

Perlege, quæſo, quæ D. Ambroſius ad uirginem quandam, quæ nefaria ſe libidine fœdauerat, ſcripſit; & uide quibus uerbis ſatisfactionis neceſſitatē exaggeret. multis enim probat, magnum ſcelus, non niſi magna ſatisfactione poſſe expiari. D. item Auguſtinus admonet, ne ſibi quis perſuadeat, nefanda illa crimina, quæ qui agunt, regnū Dei non poſſidebunt, quotidie perpetranda eſſe, & quotidie etiam eleemoſynis redimenda; ſed, inquit, in melius eſt uita mutanda, & per eleemoſynas eſt propitiandus Deus, nō ad hoc emendus quodam modo, ut ea ſemper liceat impunè committere. nemini enim dedit laxamentum peccandi, quanuis miſerando deleat iam facta peccata, ſi non ſatisfactio congrua negligatur. & Auguſt. Non ſecurus ſis cùm confeſſus fueris peccatum tanquàm ſemper paratus ad confitendum, & committendum peccatum, ſic pronuncia iniquitatem tuam, ut curam geras pro peccato tuo. Quid eſt curam gerere pro peccato tuo? curam gerere pro uulnere tuo? ſi diceres curam gerant pro uulnere meo, quid intelligeretur, niſi dabo operam, ut ſanetur? hoc eſt, curam gerere, pro delicto ſemper niti, ſemper

Ambro. epiſto. ad uirginem lapſam.

Augu. in pſal. 37.

per intendere, ſemper ſtudioſè & ſedulò agere, ut ſanes peccatum. Ecce de die in diem plangis peccatũ, ſed fortè lacrymæ currunt, & manus ceſſant, fiant eleemoſynæ, redimantur peccata, gaudeat indigens de dato tuo, ut tu gaudeas de dato Dei; eget ille, eges & tu; eget ille ad te, eges & tu ad Deum; tu contemnis egentem tui, Deus non contemnit egentem ſui. Ergo impleto tu egentis inopiam, ut impleat Deus interiora tua; Hoc eſt, curã geram pro peccato meo, faciam omnia quæcunque facienda ſunt, ad abluendum, & ſanandum peccatum meum. Quæ ſancti Patres maiores noſtri, Apoſtoliq; ipſi non uerbis modò ſed factis etiam apertè declararunt. notum enim, ac peruulgatum eſt, quod de D. Ioanne Euangeliſta narrat Clemens Alexandrinus apud Euſebium; qui cùm iuuenem quendam Aſiaticum, qui ex pio ac religioſo, latronum ac ſicariorum princeps factus fuerat, ad pietatem officiumq; colendum multis precibus ac lacrymis alliceret & excitaret, eiq; prolixè pro mitteret, ſe à Chriſto eſſe ſcelerum illius ueniam im petraturum; non aliter datam fidem ſe liberare poſſe, eſt arbitratus, quàm ſi aſſiduè ad Deum pro illo preces funderet, ieiunijsq; ſeſe, inedia, atque uigilijs, dies, noctesq; cruciaret. qua pœnitentia peracta, eum tanquàm criminis omnis expertem Eccleſiæ reſtituit. Quare, Kemnici, ſi horrendam ducis blaſphemiam affirmare, ſatisfactionem pœnitentium, non in ſola fide, quæ appræhendit, Chriſtum pro eis ſatisfeciſſe, conſiſtere; Ioannem profectò illum, qui Domino præ cæteris charus erat, Auguſtinum, Ambroſium, Cyprianum, omnesq; ſanctos Patres blaſphemos

Euſeb. hiſto. eccle. lib. 3. ca. 22.

ſphemos

ſphemos dicas, neceſſe eſt; qui ſacrarum literarum oraculis admoniti, eleemoſynas, ieiunia, precationes, cæteraq; charitatis ac pietatis officia, ad peccatorum expiationem neceſſaria ſemper iudicarunt; niſi fortè ipſum ueritatis ſpiritum, improbiſſimum aliquem planum, atque impoſtorem eſſe exiſtimas, qui ut miſeros homines deciperet, in ſacris literis pœnitentiæ opera, charitatisq; officia, tanquàm remedia ad peccatorum expiationem ſalutaria, maximopere commendauit. Quæ cùm impiũ ſit cogitare, nihil nos ſanè, Kemnici, ſatisfactioni Chriſti diffidimus, nihil'ue detrahimus, cũ noſtras eſſe neceſſarias arbitramur; quippe qui certò ſcimus, oẽm noſtrorum operum efficacitatẽ, ex illa una prouenire, nihilq; in nobis eſſe boni, quod ipſi nõ debeamus referre acceptum, ut abundè, cum de fide egimus, explicauimus. Quod quidẽ, ut ſancti Patres maiores noſtri ſignificarẽt, prudentiſſimè ſanè ſtatuerunt, ut pœnitentes, qui ex Eccleſia expulſi, atq; eiecti erant, eo die, quo ultima Chriſti cœna anniuerſaria celebritate colitur, ad Eccleſiam admitterẽtur. quippe, quia eam tunc mortem in memoriam reducimus, unde omnis ad nos miſericordia profluxit, & unde noſtra pœnitentia uirtutem, & efficacitatem hauſit, ut auctor D. Cyprianus. Quare, cùm noſtra opera neceſſaria eſſe dicimus, nihil Chriſti ſatisfactionibus derogamus, ſed cum ſanctis Patribus, cum uniuerſa Eccleſia, immo cũ diuino ipſo ſpiritu affirmamus, inexhauſta Chriſti merita, ſanguinisq; eius infinitam uirtutem, nequaquàm in nos ſine ſacramentorum opera ac miniſterio, aut certè ſine fidei, charitatisq; operibus, diffundi

Cypr. ſermone de unctione chriſmatis.

fundi & dimanare. neque enim Christus temerè nobis suas satisfactiones imputauit, ut uos falsò existimatis, sed tantùm quenque ex infinito illo, cœlestiq; thesauro habere uoluit, quantum sibi sacramentis, & charitatis officijs applicaret. Nā si sola fides Christum complectens, efficeret, ut nobis omnia Christi opera perinde imputarentur, ac si edita à nobis essent; minimè sanè alius alium sanctitate, meritis, uirtuteq; excellere unquàm posset, nemoq; tam perditis ac corruptis moribus excogitari posset, quem sola fides minimo momento non efficeret Deiparæ Virgini, Ioanni Baptistæ, cæterisq; sanctissimis Heroibus sanctitatis gloria, & splendore parem. nam cùm nulla tanta sint merita, nullaq; tam cumulata satisfactio, quæ cum Christi meritis ac satisfactionibus possit conferri, tantaq; sit fidei uis, ut ea nobis peculiaria ac maximè propria efficiat, colligitur sanè, eos qui sola fide sunt exornati, sanctissimis uiris, & qui in uirtutum omnium studijs semper excelluerunt, æquari conferriq; debere. quod non modò Euangelium pietatis, modestiæ, integritatis, sanctitatisque fontem euertit, sed naturæ ipsius iura uiolat, ad omneq; improbitatis genus fores aperit. Quare, Kemnici, noli, quæso, tuis Braunsuicensibus Propheta esse mendax, qui fallacis cuiusdam securitatis, contra Domini spiritum confictæ, pollicitatione, miseros eludas: noli ibi polliceri pacem, ubi pax reperiri non potest: noli dum eos à suauissimis pœnitentiæ uinculis exoluere cogitas, in sempiternos illos, nefandosq; Inferni laqueos induere. consule potius, ut cum Dauide per singulas noctes stratum suum lacry

mis reſpergant, quibus peccatorum ſordes facilè eluuntur, ut peccata eleemoſynis redimant, ut ieiunijs, alijsq; officijs debitas pro ſcelerib. pœnas luant, ne tandem incidant in manus Dei uiuentis. qui.n. dum uiuunt diuini numinis miſericordia abutuntur, cum ſanè è uiuis exceſſerint, illius iram & indignationem, non ſinè ſummo dolore, experientur. Qui enim nunc ſeſe nobis indulgentiſſimum patrem præbet, poſt mortem acerbum, ſeuerum, æquiſſimumq; iudicem præſtabit. æquitatis uerò ratio poſtulat, ut omnes ſuſceptorum criminum meritas, debitasq; pœnas perſoluant. unde eſt, ut eos, qui hîc ſatisfacere recuſant, certiſſima poſt mortẽ ſupplicia maneant; niſi fortè omnem tu iuſtitiæ memoriã Deum abieciſſe arbitraris. Quare ſancti Patres maiores noſtri perſuaſi ſemper fuerunt, locum eſſe unum poſt hanc uitã illis deſtinatum, qui etſi nullis ſint nefarijs ſceleribus inquinati, non tamen cumulatè dum uitam degerent, pœnas ſceleribus debitas perſoluerunt; quem ideò Purgatorium uocarunt, quia mentes ab illis ſordibus ibi perpurgantur, quæ illarum felicitatem retardant, cœleſtisq; illius Hieruſalem, in quam nihil inquinatum ingreditur, fores aliquandiu occludunt. Quæ ſanctorum Patrum certa, & minimè dubia fides quàm ſceleratè à te contemnatur, & exibiletur, apertiſſimis ſanè ſacrarum literarum teſtimonijs, apertaq; traditione nunc demonſtraſſem, niſi eam contra alium tuæ perfidiæ ſocium, diſputationem ſuſcepiſſem, quam etiam breui peruulgatam iri ſpero. interea tamen hæc, quæſo, Auguſtini uerba diligenter expende, Non ſim Domine inter illos,

Purgatorium aſtruitur.

Aug. in Pſal. 37.

quibus

quibus dicturus es, Ite in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & angelis eius. Neque in ira tua emendes me, ut hac uita purges me, & talem me reddas, cui iam emendatorio igne non opus sit, propter illos, qui salui erunt, sic tamen quasi per ignem. Quare nisi quia hîc ædificant supra fundamentum ligna, fœnum, stipulam? si ædificarent autem aurum, argentum, lapides preciosos, & de utroque igne securi essent, non solùm de illo æterno, qui in æternũ cruciaturus est impios, sed etiam de illo, qui emendabit eos, qui per ignem salui erunt. Dicitur enim, Ipse autem saluus erit, sic tamen quasi per ignem. & quia dicitur, saluus erit, contemnitur ille ignis. Ita planè quanuis salui per ignem, grauior tamen erit ille ignis, quàm quidquid potest homo pati in hac uita. Hactenus Augustinus.

SED quoniam tu Græcorum nobis errores & deliramenta obijcis, memineris, illorum uos insaniam quàm longissimè superare. illi enim, non quidem de Purgatorio, sed de illius igne ac cruciatibus dubitãt, ut ex Apologia, quam Concilij Basileensis Patribus obtulerunt, satis constat. Nam & in liturgijs pro ijs, qui è uita iam excesserunt, ad Deum publicas preces fundunt, & cum sanctis omnibus Patribus confitentur, mortuos uiuorum precibus plurimùm adiuuari. Qua de re Cyrilli Hierosolymitani dilucidam, præclaramq; sententiam diligenter aduerte, Deinde offerimus pro defunctis Patribus & Episcopis, deniq; pro omnibus, qui inter nos uita functi sunt, maximum esse credentes animarum iuuamẽ, pro quibus offertur precatio, sancti illius & tremendi, quod in *Cyrill. Hier. catech. mystagog. 5*

altare positum est, sacrificij: quod exemplo uobis demonstrare uolumus. Scio enim multos dicere, iuuari animas, si earum in adhibendis precibus memineritis: siue cum peccatis, siue absque peccatis à uita recesserint. An enim si Rex aliquis eos, à quibus offensus est, in exilium pepulerit, postea uerò illorum propinqui, coronam aliquam conficientes, pro his, qui sunt in supplicio, exulibus, eidem offerrent, non'ne condonationem aliquam suppliciorum ipsis daret? Ad eundem modum, & nos pro defunctis precationes adhibentes, quamuis sint peccatores, nō quidem coronam plectimus, sed Christum pro peccatis mactatum offerimus, ut & nobis, & illis, eum, qui est benignissimus, propitium reddamus. Et D. Ioannes Chrysostomus de mortuis agens, Opitulemur (inquit) his fratres, memoriam pro ipsis faciamus. Nam si Iob illius liberos patris uictima purgauit, quid dubites à nobis quoq;, si pro dormientibus offeramus, solatij quiddam illis accessurum? Et paulò inferius, Inter martyres, inter confessores, inter sacerdotes, mortuos recensemus. Vnum enim corpus omnes sumus, sint membra licèt alia alijs illustriora: undique ueniam ipsis impetrare licet, precibus pro ipsis effusis, muneribus datis, consortio eorum, inter quos uelut commune corpus referuntur. Quid igitur doles? quid lacrymaris? cùm impetrandæ mortuo ueniæ tot extent rationes. Quare Kemnici, si Ecclesiæ Græcæ plus quàm Latinæ fides, si illius te sola auctoritas mouæt, magis quidem sanctis hisce Patribus, qui illius duces & quasi primipili extiterunt, credere, quàm barbaris quibusdam, ignarisq; hominibus,

Chrysost. in prim. epist. ad Corint. homil. 41.

qui

qui à suo illo antiquo splendore tantopere degenerarunt, deberes. quorum tamen si sensum sequi malueris, etsi ad ueram & integram de Purgatorio, fidem non omnino penetres, at certè confiteberis, eos, qui dum uiuerent, non persoluerunt pœnas suis sceleribus debitas, post mortem à diuino conspectu aliquandiu retardari, atque uiuentium precibus illo luctu & squalore leuari.

De Confirmatione.

QVANTVM Christi in nos beneficia non solùm nostra in illum merita, sed cogitationem etiam antecellant, uel inde sanè constare potest, quòd nunquam perditi & insani homines defuerunt, qui illorum ui atq; magnitudine obruti, magnam ipsorum partem obscurare, tenebrisq; offundere conarentur. Cùm enim diuinæ sapientiæ leges imponere, infinitam ipsius bonitatem certis quibusdam terminis circunscribere, abditissima illius consilia suo iudicio tanquàm norma quadam metiri uolunt, fit, ut ea solùm Christo beneficia accepta referant, quæ sibi necessaria fuisse arbitrantur; quæ uerò non percipiunt, nefariè abiiciant, aspernentur, cõculcent. Quod quidem in cœlesti hoc planeq; diuino confirmationis sacramento apertè cernitur. Nam cùm salutis nostræ principium atque fundamentum in fide, Christique cognitione ponatur, quæ & ad felicitatem nobis à Christo promissam aditum aperit, & ad omne officii genus ueluti stimulis quibusdam excitat; tantaque

ſit humanæ naturæ infirmitas,ut præſentis mortis me tus nos facilè de fide deiicere, atque deturbare poſſit Chriſtus Ieſus,qui humani generis neceſſitatibus prouidentiſſimè inuigilauit,& ſuos tãquàm oues inter lupos conſtituit,diuinum hoc ſacramentum inſtituit, illiq; ſanguinis ſui uim & potentiam impreſſit, ut fidem nobis in ſacro lauacro collatã firmaret,perficeret, atq; ueluti altiſſimis radicibus defigeret, quò mentes tanta hac Spiritus ſancti uirtute confirmatas & roboratas,neque periculi tempeſtas,neque honoris aura poſſet à fidei curſu ſpe,aut metu dimouere. Quare excellentiſſimum hoc ſacramentum,confirmatio appellatur. Et quemadmodum Spiritus ſanctus in ſacris literis olei nomine diuinas opes, ſpiritualium bonorum affluentiam,atque cœleſtium ornamentorum abundãtiam ſignificare ſolet,ita Chriſtus Ieſus oleum ipſum in cœleſti hoc ſacramento uſurpare uoluit,ut Spiritus ſancti dona,quibusq́ confirmatorum mentes locupletantur, planè & apertè repræſentaret. Quod ſi aduertas, non minorem ſignificandi uim rebus ipſis,quàm uerbis ineſſe,ſatis intelliges,eundem ſpiritum,qui olei notione, cœleſtium donorum copiam deſignauit, ſacramenti huius auctorem extitiſſe, atque eaſdem Spiritus ſancti opes oleo ipſo ſignificare & efficere uoluiſſe. Nam quanuis cum oleo balſamum commiſtũ eſſe debeat,quod ſuauiſſimum iucundiſſimumq́ue odorem in ſacris literis ſæpius deſignat,quem ij ſanè omnes afflãt, qui nulla ui à uera fide abduci poſſunt,nõ deſunt tamen eruditiſſimi magniq; nominis Theologi, qui exiſtiment, illud magis quidem ad ſacramenti huius ornatum

Caiet. 3. p. q. 72. art. 1. et Dominicus Sotus 4. ſent. diſt. 7. q. 1. art. 2.

natum,quàm ad essentiam pertinere; atq; adeò quanuis nefarium scelus is antistes suscipiat,qui cõtra diuinam ordinationem in confirmatione oleum balsamo destitutum usurpauerit,uerum nihilo secius sacramentum illum administrasse arbitrantur. Quam sententiam non obscurè sanè approbat doctissimus Innocentius III. Pontifex Maximus, qui interrogatus, an sacramentum confirmationis nouandum atque iterandum esset, si confirmatus non chrismate, sed oleo perungeretur, respondet, nihil iterandum esse,sed cautè supplendum,quod incautè fuerat prætermissum. quòd si chrisma ex oleo & balsamo permistũ necessaria esset huius sacramenti materia,non secus quidem eo interueniente casu, confirmatio nouanda,& redintegranda foret, quàm baptismus si uera aqua defuisset. Cùm uerò Concilium Florentinum ait, huius sacramenti materiam esse chrisma ex oleo & balsamo confectum,putant uiri isti egregij & eruditissimi, describi magis materiam præceptam, quàm necessariam. multa enim in sacramentis usurpantur, quæ quanquam ad sacramentorum essentiã non pertineant, necessaria tamen sunt, si legem respicias,quæ administrandi sacramenta modum ac rationem præscribit: quemadmodum azimus panis, qui quanuis materia sit sacramenti eucharistiæ, si legem respicias: at si ad solam sacramẽti rationem animum aduertas, parum refert azimus'ne, an fermento permistus panis sit. Diuinus igitur ille Spiritus, qui mentem omni scelere liberat, cùm corpus aqua perfunditur, qui panis substantiam in Christi corpus transmutat, cùm quatuor illa uerba sacerdotis ore

C.Pastoral. de sacramen. nõ iterandis.

ore proferuntur, qui deniq; diuina opera edit, cùm aliorum sacramentorum signa adhibentur, animam diuinis charismatibus perfundit, fidemq́ue corroborat & cõfirmat, cum corpus sanctissimo chrismate ab episcopo oblinitur. quam ueram & minimè dubiam doctrinam omnium sanctorum Patrum testimonijs, Conciliorum auctoritate, totiusq; ecclesiæ consensu satis firmatam, quia conuellere, & labefactare non posse Kemnicius uidit, scurram magis quàm Theologum agere, irrisionibusq; diuinum hoc sacramentum incessere callidè & ueteratoriè instituit. ut quos ueritate non posset, salibus certè ab ecclesiæ sensu abduceret. *Iesuitæ* (inquit) *qui in Purgatorio nuper erant calefactores, iam in confirmatione facti sunt pharmacopei; docent enim compositionem chrismatis ex balsamo & oleo, & quæ sint simplicium illorum qualitates disputant. Cuius chrismatis usum non modò diuina sed humana etiam* (inquit) *quæ aliquid ponderis habeat, auctoritate carere.* Ne uerò illi sanctissimi Fabiani Pontificis & martyris illustre testimonium quis obijciat, qui affirmat, sanctissimum hoc sacramentum à Christo fuisse in ultima cœna institutum, illius epistolas tanquàm fabulas Lucianiq; narrationes contemnit. Sed agedum uideamus, an Conciliorum etiam decreta, Luciani fabulas esse existimes, atque sanctorum Patrũ testimonia, aliquid ponderis habere ducas. Meministi, Kemnici, quàm diligenter caueat Conciliũ Tarraconense, ne quis bis baptizetur, aut confirmetur, usque adeò, ut qui alterum ex hisce sacramentis bis acceperit, monachorum aut clericorum uiuendi generi ui addictum esse perpetuo uelit. In Concilio uerò Laodiceno, quod magnæ illi Nicenæ Synodo proximum

de consl. dist. 5. c. dictum.

Cõc. Laodicenum Can. 48.

ximum fuit, quàm apertè definitum est; oportere baptizatos post baptismum, sacratissimũ chrisma percipere, & regni cœlestis participes fieri? In concilio item Aureliensi quàm religiosè cauetur, ne quis ad confirmationis mysteria ueniat, nisi ieiunus, utque moneantur integræ ætatis homines, omnia prius peccata confiteri, quàm cœleste hoc sacramentum accipiant? Vt (inquit) mundi donum Spiritus sancti ualeant accipere, & quia nunquàm erit Christianus, nisi in confirmatione episcopali fuerit firmatus. Nam cùm fides, hoĩes Christianos reddat, tunc sanè integrè Christiani quodãmodo cẽsendi sumus, cùm fides perficitur atq; firmatur. Conciliũ uerò Meldẽse uoluit, ut etiam Episcopi ieiuni per manus impositionem Spiritum sanctum darent. Sicut (inquit) duobus temporibus, Pascha uidelicet, & Penthecostes à ieiunis celebrari debet baptisma, ita etiam traditionem Spiritus sancti à ieiunis Pontificibus conuenit celebrari. D. uerò Gregorius Pontifex ad Ianuarium Episcopum Caralitanũ scribens, lege cauet, ne quis presbyter audeat pueros chrismate in frontibus signare, quippe quia proprium sit Episcopi munus in frontibus confirmare. Quòd si eorundem Conciliorum decreta diligenter expendas, apertè sanè uidebis, sanctum chrisma in tanto precio apud ueteres, sanctissimosq; Patres semper fuisse, ut magnum aliquod, diuinumq; mysterium illo cõtineri, satis significarent. In Concilio enim secundo ac tertio Carthaginensi, diligenter cauetur & sancitur, ne quis presbyter chrisma conficere audeat, quippe quod Episcopi sit proprium munus. In Concilio uerò Turonensi

de const. d. 5. c. ut ieiuni.

de Const. dist. 5. c. ut Episcopi.

de Const. dist. 3. c. presbyteri.

2. Carth. c. 3.
3. Carthagi. c. 34.

nensi præcipitur, ut sacrum chrisma & oleum consecratum, diligenter, & circunspectè custodiatur, Ne (inquit) illud, unde Christo incorporamur, & unde omnes fideles sanctificamur, unde Reges & sacerdotes inunguntur aliquis infidelis, aut immundus tangat, aut aliquis perfidus ad Dei iudicium subuertendum subripiat. Patres item Concilij Cabillonensis ut chrismatis sanctitatem apud omnium animos testatam relinquerent, diligentissimè cauerunt, ne episcopi quidquam precij aut exigerent, aut acciperent pro balsamo, conficiendo chrismati necessario. Concilij uerò Triburiensis, cui Arnolphus Imperator interfuit, patres, anathemate eos percusserunt, simonia cæq; hæresis damnarunt, qui pro ordinatione, chrismate, baptismo, balsamo, sepultura uel communione quidquam exigerent, Sed gratis (inquiunt) dona Christi gratuita dispensatione donentur. Quòd si sanctos Patres consulas, apertè sanè uidebis, non aliter quidem eos de hoc sacramento, quàm de baptismo sermonem fecisse. inter cæteros uerò Cyrillum Hierosolymitanum patienter quæso ausculta. Cùm enim multis demõstrasset, sanctum hoc chrisma imaginē gerere diuini illius Spiritus, quo Christus perunctus est, cùm à Patre euangelizare pauperibus missus est, ait; Vide ne illud (chrisma scilicet) putes esse unguentum tantùm. Quemadmodum enim panis Eucharistiæ post sancti Spiritus inuocationem, non amplius est panis communis, sed corpus Christi, sic & sanctum hoc unguentum non amplius est unguentum nudum, neque (si quis ita appellare malit) commune, postquàm iam consecratum est, sed est chrisma,

1.q.1.c. statuimus.

191.c. dictum est. & Iuo decretorũ 1. parte. c.195.

Cyril. Hie. cat. mysta. 3.

ma, quod Christi & Spiritus sancti, id est, diuinitatis eius præsentiam efficit. Quod uerò cœleste hoc mysterium, Dei nobis gratiam cóciliet, mox docet, Quo (inquit) unguento frons & alij sensus corporis tui symbolicè inunguntur, & corpus quidem isto uisibili unguento perungitur; anima uerò sancto uiuificoq; spiritu sanctificatur. & paulò inferius, Vt enim Saluator post baptismum, & illud sancti spiritus aduentum egressus in prælium, deuicit aduersarium, sic & uos post sacrum baptisma & chrisma mysticũ, induti armis sancti spiritus, aduersus oppositam uobis potestatem consistitis, & præliamini dicẽtes, Omnia possum in eo, qui me confortat. multisq; deinde demonstrat, hoc cœlesti sacramento Christianos homines perfici; quippe quod à Christo institutum est, ad protegendum corpus spiritualiter & ad salutem animæ. Cornelius uerò summus Pont. Fabiano Antiochiæ episcopo de Nouatio scribens inquit, fieri non potuisse ut Nouatius Spiritum sanctum consequeretur, cùm nunquàm ab episcopo fuerit confirmatus. D. uerò Augustinus cùm interpretatur, uerba illa Dauidis, Sicut unguentũ in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron. sibi à Petiliano Donatista obiecta, ait, Et in hoc unguento sacramentum chrismatis uult interpretari, quod quidẽ in genere uisibilium signorum sacrosanctum est, sicut ipse baptismus, sed potest esse in hominibus pessimis, in operibus carnis uitam consummantibus, & regnum cœlorum non possessuris, & ideò neque ad barbam Aaron, neque ad oram uestimenti eius, nec ad ullam contextionem uestis sacerdotalis pertinentibus, cu-

Euseb. histo. Eccl. lib. 6. ca. 43.

Aug. cótra lit. Petiliani lib. 3. ca. 104.

psal. 132

ius ſacramenti uim ac numen prodigijs etiam Deus declarauit. Malachias enim epiſcopus ſanctiſſimus, Diuoq; Bernardo auctore, cùm puerum mẽte captum confirmandum ſuſcepiſſet, ſanctiſſimi huius chriſma tis uirtute illi mentem integrè reſtituit. Iam igitur uide, Kemnici, an cœleſte hoc ſacramentum omni auctoritate, quæ aliquid põderis habeat, prorſus deſtituatur; & quàm temere & petulanter ſanctiſſimo Fabiano, Melchiádi, Euſebio, cæteriſq; ſanctiſſimis Pontificibus, qui illud à Chriſto eſſe inſtitutum affirmarunt, ſummiſq; ipſum laudibus extulerunt, ſuccẽſeas. Niſi fortè unius Lutheri auctoritatem omnium tu Conciliorum maieſtati, ſanctorum Patrum teſtimonijs, totiuſq; Eccleſiæ iudicio anteferendam eſſe exiſtimas, eaq; ſolùm plurimùm apud te momẽti habent, quæ illius ſunt calculo comprobata. Quare nihil eſt, quòd à nobis iam diuina oracula aut communem Eccleſiæ fidem poſtules, quæ ſi aliquid apud te ponderis momentiq; habuiſſet, nunquàm profectò, unius tu perduellis religioniſq; deſertoris auctoritatem illi antetuliſſes.

De extrema vnctione.

De extremæ unctionis ſacramento nihil modeſtius agit Kemnicius, illudque irridet magis quàm oppugnat: neque enim aliã putat unctionem ægrotis adhibendam eſſe, *quàm illos uerbo Dei conſolari, & eo laborantium animos erigere, & unà cum Eccleſia pro ſalute ipſorum & corporis & animi orare*. Neque tamen meminit Iaco- *Epiſt. Iacobi. c. 5.*

bum

bum præcipere, ut si quis infirmatur, inducat presbyteros Ecclesiæ & orent super eum, ungentes cum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum & alleuiabit eum Dominus. & si in peccatis sit, remittentur ei. Cum uerò sancto illo oleo cum oratione coniuncto, tantam uirtutem tribuat, ut peccata remittere possit, apertè sanè declarauit, illum perungendi ægrotos ritum sacramentis fore annumerãdum; quorum proprium est, externis quibusdam signis mentem sanctificare. Diuino enim spiritu afflatus Iacobus, neque oleo, neque orationi solùm tantam illam uirtutem ascripsit, sed utrunque prudenter coniunxit, ut sacramenti materiam, ac formam, quæ tota in precibus posita est, significaret. quare & orationem fidei illam appellauit, quippe quæ egregiam quandam ægroti fidem declarat, qui fide magis, quàm sensibus ductus, omnibus iam humanis medicamentis diffidens, in cœlesti illo oleo totã spem collocat, diuinamq; uirtutem ad peccatorum reliquias depellendas in eo inclusam esse, constanter credit. Quocirca sancta Dei Ecclesia, non solùm sermone sanctam hanc unctionem semper commendauit, sed opere usurpauit atque cõprobauit. Vnde in Concilio Meldensi sancitum est, ut presbyter in cœna Domini ampullas tres secum deferat, unam ad chrisma, alteram ad oleum ad catechumenos inungendos, tertiam ad infirmos, iuxta sententiam Apostolicam, ut quando quis infirmatur, inducat presbyteros Ecclesiæ. Innocentius etiam primus, qui floruit anno à Christo nato 408. cùm docet, non presbyterorum modò, sed Episcoporum etiã esse, ægrotos

Cõc. Meldẽse canon 1.

Innoc. I. ad Decentium Eugubinum Epis. can. 8.

tos chrismate perungere, Pœnitentibus (inquit) externam hanc unctionem infundi non posse; quippe quia genus est sacramenti. Nam quibus reliqua sacramenta negantur, quomodo unum genus putatur posse concedi? Quare præclarè admodum sacrosanctum Tridentinum Concilium (ut Florentinum omittam) eos omnes Anathemate percellit, qui negarent, extremam unctionem uerè sacramentum esse à Christo institutum, & gratiam conferre, ut D. Iacobi aperto testimonio, & Ecclesiæ constanti & perpetua firmaq; traditione constat. Quocirca non quidem improbamus, Kemnici, illorum humanitatem, qui ægros Dei uerbo consolantur, & pro eorum salute Deum precantur: quinimmo plurimorũ Conciliorum decretis sancitum est, ut à presbyteris præstantissimum charitatis officium ægris hominibus tribuatur. at cùm uerbum Dei neque unctio dici, neque sacramentis annumerari possit, præter hoc consolationis genus moribundos sancto chrismate perungendos esse, ut si in peccatis fuerint cœlestis sacramenti uirtute remittantur eis, cum Diuo Iacobo, & Ecclesiæ consensu affirmamus. Mirum autem esse non debet, si Lutherus quibus fidei integritatem, uerum sacramentorum usum, felicitatisq; aditum dum uiuerent eripuerit, morientibus etiam cœlestia hæc diuinaq; præsidia inuideret.

Conc. Tri dent. sub Iulio 3. sess. 4.

DIEGHI PAYVA ANDRADII, LVSITANI, ORTHODOXARVM EXPLICATIONVM LIBER NONVS.

De Inuocatione sanctorum.



CVM plurimis in rebus cernere liceat, nihil sub sole nouum esse, nec posse quenquã dicere, Ecce hoc recens est; tum maximè in hac hæresum uarietate, quibus Dei Ecclesia infelici hoc *Eccl.c.1.* sæculo distrahitur, & exagitatur. Nã si uetera memoria repetamus, facilè quidem uidebimus, nihil ab hæreticis nunc inuehi non inueteratum, & putidum, nihil non antiquatum & obsoletũ, nihil non multò antea à perditissimis hominibus excogitatum, nihil, quod iam dudum non fuerit ueritatis ui & potentia compressum. Tantus enim est ueritatis splendor, ut quanquàm aliquandiu mendaciorum tenebris obnubilari, minimè tamen obrui aut extingui possit. Quocirca cùm Dæmon omnes uires semper comparasset, ut clarissimam fidei lucem mortalibus eriperet, & satellites ac ministros, quibus perpetuò abundauit, uario mendaciorum apparatu, multiplicíq; simulationũ genere ad mortalium exitium instruxisset, effecit quidem sæpe, ut plurimi pura illa atque sinçera ueritatis luce minimè fruerentur.

tur. Facere tamen non potuit, quin impietas sub quibusdam pietatis inuolucris tecta & obuoluta tãdem internosceretur, omnes reserarentur fallaciæ atque figmenta ueluti tenui nebula ad illustris atque ardentis solis aspectum euanescerent. Cùm igitur Martinus Lutherus, & qui illius exemplum imitati, à uera Ecclesia defecerunt, omnem operam in sepultis iam hæresibus ab Orco reuocandis contulerint, nihilq; fuerit peruersorum dogmatum tam exoletum & putidum, cuius non susceperint patrocinium, nihil est quòd sibi quisquam persuadeat, nunc demũ figmenta illa firmiora, ueritatis autem uires magis debiles, infirmas & protritas euasisse, nisi aut ueritatem mutatam, aut Deum Ecclesiæ suæ curam abiecisse arbitremur. Quid enim, quæso, isti Satanæ emissarij Sataniciq; Euangelij instauratores de humani arbitrij libertate diuersum ab impurissimis Manichæis sentiunt? in quo de peccato originali à Pelagianis tam strenuè à D. Augustino profligatis, dissentiunt? Aquæ Baptismatis infirmitatem an non Lutherus à Massilianis hausit? Eiusdem sceleratissimum contemptum, à quibus Caluinus, si nõ à Seleucis & Herminis didicit? Quot Lutherus, Zuinglius, Caluinus & reliqui huius factionis homines commenta portentosasq; opiniones excogitarunt de augustissimo Eucharistiæ sacramento, an non à Nestorio & Berengario acceperunt? Impiam illam insolentiam, qua sacramenta omnia Lutherus conculcat, humanaq; figmenta appellat, atque diuina uirtute spoliat, quibus nisi stolidissimis Armenis, & impurissimis Catharis debet referre acceptam? Nisi infinitum

esset

esset; & minimè necessariũ singula istorum hominũ deliramenta, uniuersasq; insanias connumerare, facilè esset fontes indicare, à quibus hoc suum Euangelium hauserunt; quos habeant suæ fidei duces, & Apostolos, quos auctores atque præceptores. Qui etsi maxima olim eloquentiæ ubertate, adumbratæque eruditionis summa ostentatione, contentione, importunitate, & incredibili audacia contenderint, eas ipsas opiniones Ecclesiæ insinuare, fuerunt tamen diuina in primis uirtute, communi deinde piorum hominum consensu, Sanctorum patrum maiorum nostrorum industria, fide, pietate, & singulari eruditione profligati, & cõtriti. Vt enim diuinis consilijs & uoluntati nemo potest repugnare, ita illa perpetuò consistant necesse est, quæ diuino nutu atque uoluntate constant, diuinisq; sunt oraculis confirmata. atque adeò humana consilia atque conatus contra diuinam legem comparati, labi, ac ruere oportet, ut egregius ille Gamaliel, grauissimis exemplis ab antiquitate petitis, illustrauit, & confirmauit. Cum igitur figmenta omnia, quibus nunc miserorum mentes decipiuntur, sæpe olim ..citata interierint, magna ui erecta, multò maiori impetu corruerint, eximia quadam atq; incredibili multorum contentione & pertinacia, eloquentiæ fluminibus, rationibus summo ingenio excogitatis, summorum Regum auctoritate, clarissimorum Imperatorum potentia, totius ferè Orbis conspiratione munita, tandem non modò intermortua, sed planè fuerint extincta; quis ita erit cæcus, qui non uideat, illa esse diuinis consilijs atque placitis aduersa? si præsertim in-

act. ca. 5.

tueatur, solam inermen ueritatem potuisse tantas copias euertere, atque de tam ferocibus & immanibus perduellibus triumphare. Si modò inermis illa dicē da est, quæ etsi omnibus sit humanis auxilijs destituta, diuino tamen præsidio & consilijs fota, atque tutata, cœlestibus armis pugnat, aut quis existimare poterit, diuersum exitum illa esse habitura, quorum est una sententia? Ne uerò ueteribus hæreticis aliqua in re concessisse Lutherus, Caluinus Zuinglius, Oecolampadius, Buccrus, Kemnicius, Osiander, ac reliqui eiusdem factionis homines uiderentur, Caianorum, Vigilantij, Eunomij, Catharorum, perfugæq; Iuliani exemplo prouocati, Sanctorum sacrilegam contemptionem, & despicentiam nunc demum post tot sæcula, ab Herebi sedibus reuocarūt, ut scilicet quibus sempiternam fœlicitatem extorquere nō poterant, honorem saltem atque uenerationem quo ad eius fieri posset, eriperent. Caianos enim primos fuisse, qui præcipiti quodam & immani furore concitati, Sanctis nullum esse cultum uenerationemq; deferendam dictitarunt, D. Hieronymus contra Vigilātium disserens auctor est. Quorum conatus Tertullianus, uir eximia quadam eruditione illustris, in ipsis quasi faucibus compressit. Neque mirum uideri debet, quòd diuorū ij capitales hostes fuerīt, qui fratricidam Cainum, Christiq; proditorē Iudā perfidos & sacrilegos homines in summa ueneratione habēdos esse, existimarunt unde & Caiani dicti sunt. Illā uerò tantam dementiam sanctorumq; tam sacrilegam ac nephariam contemptionem, Cathari, & eos aliquot post sæculis imitati Eunomius atque Vigilantius

rursus

rursus excitarunt. quæ à sanctissimis illius ætatis uiris, & in primis D. Hieronymo ita oppugnata est, atque profligata, ut ipsius neque uestigium quidem ante Lutherum extare uideretur; eam tamen is ita suorum animis impressit, ut qui cæteris in rebus delirare, in hac certè insanire atque furere uideantur. Quæ quidem facilè declarant, quantopere Satan, qui istorum hominum mentes ac linguas moderatur, sanctorum preces, quarum uim atque potentiam sæpius expertus est, uereatur. Neque mirum, si quorum uirtutem uitæ huius periculis oppressam & implicatam ferre nullo modo potuit, sempiternæ felicitatis dotibus auctam, atque exaggeratam, summopere reformidet. Quocirca omnes uires comparat, ut illis nostrum cultum atque uenerationem, nobis uerò ipsorum auxilia atque patrocina eripiat. Cui strenuam sanè operam nauat Kemnicius, eisdemq; nos armis oppugnat, quibus olim Christianam religionem, & pietatem apud Cyrillum oppugnabat Iulianus, qui ἀποστάτης hoc est, transfuga, religionisq; desertor dictus est. cultum enim atque honorem, quem Sanctis Ecclesia deferre solet, his uerbis calumniabatur, Si Hebræorum quidē sermones attendissetis, non omnibus modis tam infeliciter ageretis, sed peius nunc habetis, quam si adhuc nobiscum essetis, leuia autē quasi essetis & tolerabilia, unum.n. pro multis dijs coluissetis. non hominem, immo non multos homines, miseros, usos lege dura quadam, & aspera, agrestemq́, barbariem inspirante. Et libro decimo, eadem rursus in hunc modum exprobrat, Sed hoc quidem malum (quòd scilicet Christus habeatur Deus) acce-

Cyril. lib. 6. cont. Iulianū.

Cyrillus lib. 10. cō tra Iulianum.

pit à Ioanne principium, quæ autem uos deinde ad inueneritis, addentes ad antiquum illum mortuum multos recens mortuos, quis pro dignitate abominetur? Neque dissimili procacitate Maximus Madaurēsis Idololatra honorem, quē martyribus habemus, Augustino, per summam irrisionem obijcit, Quis (inquit) ferat Ioui fulmina uibranti præferri Mygdonē? Iunoni, Mineruæ, Veneri, uestæq; Sananem & cunctis proh nefas, Dijs immortalibus, archimartyrem Namplanionem? inter quos Lucitas etiam haud minori cultu suscipitur, atque alij interminato numero, Dijs hominibusq; odiosa nomina, qui conscientia nefandorum facinorum, specie gloriosæ mortis scelera sua sceleribus cumulantes, dignum moribus factisq; suis exitum maculati receperunt. Faustus item Manichæus, pari impudentia Christi Ecclesiæ exprobrabat, quòd idolatrarum sacrificia uerteret in Agapæs, idola uerò in martyres, quos similibus uotis coleret. Quòd si ex inimicis salutem petere, integrum est, eorumq; testimonia momenti quidquam habere possunt, satis hæc quidem indicant, quantos honores sanctis martyribus Christi Ecclesia semper edtulerit. Qui nisi eximij ac singulares fuissent, nunquam profectò calumniandi tantam occasionem offerre Christi hostibus potuissent. Quibus cùm se socium atq; commilitonem adiungit Kemnicius, idololatriæ nos insimulat, quòd sanctos diuinis honoribus afficiamus, atq; nō aliter quàm Deū ipsum adorādos esse, arbitremur. Atque ita cum in diuos esse uolumus admodum superstitiosi, fit ut in Deum ipsum iniuriosi simus, & contumeliosi. Sed quando, Kemnici,

inter ep. Aug. ep. 43.

Aug. lib. 2. contra Faustum. c. 6.

nici, Iuliani nunc mauis, quàm Christiani personam sustinere, æquum est, ut Cyrillum respondentem audias, Sanctos martyres neque Deos esse dicimus, neque adorare consueuimus, laudamus autem eos potius summis honoribus, quòd pro ueritate strenuè certarunt, & fidei sinceritatem seruarunt, ita ut & suã animam contempserint, & mortis terroribus uale dicentes, præualuerint in summis periculis, tantæque fuerint fortitudinis, quasi statuas sibi suæ uitæ excitaturi. Proinde non est indignum, immo etiam necessarium, eos, qui tam claris operibus gloriosi sunt, perpetuis honorare laudibus. Neque aliter Augustinus Fausti commilitonis tui impietates, his uerbis, quæ rem multo magis aperiunt & illustrant, refutat, Populus (inquit) Christianus memorias martyrum religiosa solennitate celebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur, ita tamẽ ut nulli martyrũ, sed ipsi Deo martyrum quanuis in memoria martyrum constituamus altaria. Quis enim astantium in locis sanctorum corporum assistens altari aliquãdo dixit, Offerimus tibi Petre, aut Paule, aut Cypriane? sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronauit, apud memorias eorum, quos coronauit, ut ex ipsorum locorum admonitione maior affectus exurgat ad acuẽdam charitatem, & in illos, quos imitari possumus, & in illum, quo adiuuante possumus. Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis, societatis, quo & in hac uita coluntur sancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Euangelica ueritate passionem paratum esse sentimus. sed illos tãto deuotius, quanto

Cyril. lib. 6. contra Iulianum.

August. lib. 20. contra Faust. Manich. c. 21.

tò securius post incerta omnia superata, quanto etiã fidentiore laude prædicamus iam in uita feliciore uictores, quàm in ista adhuc usque pugnantes. At illo cultu, qui Græcè latria dicitur, Latinè uno uerbo dici non potest, cùm sit quædam propriæ diuinitati debita seruitus, nec colimus, nec colendum docemus, nisi unum Deum. Hactenus Augustinus. Quæ ipsa non semel inculcat Theodoretus contra Græcorum deliramenta agens, Nos, inquit, ò Græci homines, non hostias martyribus, nec libamina ulla deferimus, sed ut sanctos homines Deiq; amicissimos honoramus. Tanto enim amore creatorem Deum, generisq; humani uindicem prosecuti sunt, ut amabile illis fuerit pro accepta semel religione iugulum percussori porrigere. Quam sententiam sancta Romana Ecclesia tam constanter semper retinuit, & conseruauit, ut nulla impiorum hominum importunitate ab illa abduci unquam potuerit. Cũ enim sanctos Deo charissimos esse intelligat, illos religiosè obseruat, suspicit, ueneratur, non tamen ut Deos colit, aut diuinis honoribus afficiendos esse existimat, nisi fortè non contumelijs illos uestro more insequi, non incessere opprobrijs, non prosequi blasphemijs, non lacessere iniurijs, diuinum uos cultum existimatis, aut certè tam ambitiosum Deum fingitis, ut omnem Sanctis suis honorem habitum, sibi prærreptum esse iudicet. At inquis, Diuus Antonius non infimus, neque ineruditus auctor, apertè asserit, Sanctos nobis à summo Pontifice adorandos proponi, qui soli Deo cultus ac ueneratio debetur. Sed quale illud sit adorationis genus, mox explicat, cùm ait, Sanctos

Theodoretus. lib. 8. de græcorũ affectionibus.

adorandos

adorandos esse, ut fidei, & sanctitatis exemplaria. Cùm enim adorandi uerbum, uariè in sacris literis usurpetur, neque semel honorem illum designet, quo principes,& qui dignitatis gradu in Rep. antecellunt, afficiuntur; plurimi sanctorum patrum eodem uocabulo cultum illum significarunt, qui uiris sanctitate clarissimis, Ecclesiæq; primarijs defertur. Quis enim cùm Loth tres angelos adorasse intelligit, cùm religiosissimum Abraham, filios Het adorantem, atque filio suo Iacob, ut ab omnibus tribubus adoraretur, præcantem intuetur; cùm Ioseph à fratribus fuisse adoratum legit, cùm Mephiboset Ionathæ filium, ad sanctissimi Dauidis pedes abiectum & prouolutum ipsiusq; uestigia adorantem intuetur, existimare poterit, integerrimos hosce uiros fidem religionemq; prodidisse, atque diuinum cultum & uenerationem mortalibus hominibus summa cum impietate detulisse? Quòd si adorandi uerbum in sacris literis singularem quẽdam atque eximium honorem quàm frequentissimè significat, qui egregijs ac primoribus uiris iustè honesteque tribuitur, quid est, quòd tam audacter illos reprehendendos arripias, qui eadem uoce honorem Sanctis debitum significarunt? Quid illos Idololatras appellas, qui scripturæ uocem usurpare sibi licere existimarunt? Aut igitur Spiritum sanctum, qui non res ipsas modò sacris literis consignatas, sed uoces etiam diuinis illis scriptoribus suppeditauit, uituperes, aut eorum certè studium commendes necesse est, qui scripturæ sacræ dicendi formam imitati, honorem sanctis debitum, adorationem appellarunt. Nisi fortè miseros ac mortales

Genes. 19. 23. 49. 50.

2. Reg. c. 9.

tales homines, & qui à iustitiæ splendore quandoq; plurimùm absunt, diuis esse præferendos arbitraris. Cùm igitur Colonienses negãt, sanctos à nobis adorari, non quidem Ecclesiasticos scriptores uituperãt, sed de illo adorationis genere sermonem faciunt, quòd Græci λατρείαν uocant, ut satis ipsi explicarunt. Quæ cùm propria sit diuinitati debita seruitus, ut D. Augustinus ait, illi sanè deferri solùm potest, quẽ Deum esse credimus.

NON tamen inficiamur, hac nos latriæ adoratione Christi præclarissimam crucem colere, & uenerari: quod tu nobis tanquàm summam impietatem obijcis. Nam cùm Christum Dei filium, qui chirographum decreti nobis contrariũ cruci affigens, deleuit, illa referat, & repræsentet; eadem certè pietate, cultu & religione ipsam, qua & Christum ipsum, prosequi necesse est; quam cum intuemur, Christum nos cernere arbitramur, illumq; pio atque religioso animi affectu complectimur. Quare qui idololatriæ illos condemnant, qui τῆς λατρείας augustissimũ cultum Christi cruci deferunt, pari certè crimine eos condemnent oportet, qui eodem cultu Christum Dei unigenitum filium, atque Deum uerum de Deo uero prosequuntur, quem nobis diuina crux quasi præsentem exibere uidetur. Vnde est, quòd D. Paulus cruci ea accommodat, quæ in solum Christum conuenire possunt. Potissimum enim Christiani hominis officium esse arbitratur, nullam aliam gloriam sitienter appetere quàm eã, quæ in cruce domini nostri Iesu Christi posita est. Atque ideò impios & sceleratos homines, crucis Christi inimicos appellat.

2. ad Coloss. c. 4.

Galat. c. 6.

Philip. c. 3.

Ipsam

ipſam uerò crucem pereuntibus quidem ſtultitiam eſſe, ij s autem, qui ſalui fiunt, diuinam uirtutem continere, teſtatur. Crucis uerò uocabulo nihil quàm Chriſtum ipſum cruci affixum denotare, ſatis idem Paulus docuit. Quia in ea ipſa priori epiſtola ad Corinthios, quæ de cruce obſcurius dixerat, Chriſto dilucidè accommodat, Nos (inquit) prædicamus Chriſtum Ieſum, & hunc crucifixum, Iudæis quidem ſcandalum, gentibus autem ſtultitiam. Ipſis autem uocatis Iudæis, ac Græcis Chriſtum Dei uirtutem & Dei ſapientiam. Nã poſtquàm Chriſtus Ieſus hoc mortis genere humani generis peccata expiauit, nihil quidem aliud crucis ſanctiſſimum nomen ſignificare, aut forma repræſentare poteſt, quàm Chriſtũ Ieſum, & hunc crucifixum. Vnde etiam eſt, ut pij & Chriſtiani homines, qui in ſpiritu & ueritate adorare ſolent, non externã crucis materiam ſub aſpectum ſubiectam, ſed Chriſtum, quem in cruce pendẽtem mentis oculis intuentur, adorent & uenerentur, in illumque omnem crucis gloriam, & ſplendorem, omneſq; laudes redundare arbitrentur. Quæ D. Ioannes Damaſcenus libro quarto de fide Orthodoxa ijs uerbis docuit, Adoramus figuram precioſæ & uiuificæ crucis, tametſi ex quauis materia facta ſit, non materiam uenerantes (abſit enim) ſed figuram tanquàm Chriſti ſignum. Et paulò pòſt, Adorandum eſt igitur ſignum Chriſti. ubi enim fuerit ſignum eius, illic & ipſe erit. Quod ſi Iacob cùm fide incitatus adorauit faſtigium uirgæ Ioſeph, non quidem filij perſonã aut ditionem, ſed Chriſti, quem Ioſephus præfigurabat, ſummum imperium uenerabatur. quippe cui à

Matth. c.28. patre tradita est omnis potestas in cœlo & in terra. mirari certè non debes, Kemnici, si nos pari fide informati, eodemq; cœlesti spiritu ducti, augustissimā crucis effigiem, hoc est, uirgam illam, qua inferni ualuas Christus confregit, uenerantes, Christo potissimè cultum, atque honorem deferre uideamur. Non me latet quàm sint hæc Pauli uerba ab hisce diuersa, quæ in Genesis uulgata translatione habentur, *Genes. c. 47.* quæ hæc sunt, Adorauit Israel Dominum conuersus ad lectuli caput. Sed cùm Hebræa sublatis punctorum notulis, reddere utrunq; sensum facilè possint, non uideò quare nō eum sensum amplectemur, qui D. Pauli est auctoritate confirmatus, præsertim cùm Hebræis scribat, quibus sensus ab Hebræis uerbis alienus placere nullo modo potuisset. Hebræa autem uerba habent וַיִּשְׁתַּחוּ יִשְׂרָאֵל עַל רֹאשׁ הַמִּטָּה ubi principiò uerbum illud, Dominum, minimè reperitur, sed ab interprete additum fuisse uidetur, ut quem animo conceperat sensum, redderet explicatiùs. Nomē uerò מִטָּה quod lectum significare fateor, demptis pūctis legi & מַטֶּה quod uirgam, ceu baculum significat, accommodatissimè potest. Cum uerò punctorum hasce notas Rabinorum inuentum fuisse, inter omnes doctos constet, qui cùm uerba erant ambigua, & dubia, interpretum etiam munere functi sunt, facilè quidem fuit, pro Mateh. legere Mithah. hoc est pro baculo, lectum. Quòd uerò Iacob in filij uirga magnificū aliquid, atque diuinum corporeis oculis caligantibus, mentis clarissimis luminibus intueretur, quod tanta religione uenerabatur, satis D. Paulus docuit, cùm fide, quæ circa diuinas res potissimùm uersatur, incita-

incitatum, illum fuisse ait, ut uirgam filij sui adoraret, hoc est, Christo infinitam potentiam, & latissimè patens imperium, quod in magna illa Iosephi potentia præfiguratum fuisse, sancti patres semper existimarunt. Nō igitur est, Kemnici, quòd D. Gregorium, ac cæteros sanctissimos uiros tam acriter, & petulanter reprehendas, quòd Christianos omnes ad crucis cultum uenerationemq; inuitent, & allectent; quam antiqua Ecclesia fidei religionisq; notam appellare, non fuit uerita, atque adeò in publicis templis uniuersæ plebi adorādam exponere. quippe quia Christi crucifixi memoriam reuocare, atque quodammodo præsentem exhibere uidetur. quod apertè explicauit Leontius Neapoleos Cypri episcopus, Ego (inquit) quatenus duo ligna crucis colligata sunt, typūm quidem adoro, propter Christum, qui in ea crucifixus est. Cum uerò fuerint dissoluta à se, abijcio, & ea exuro quoque. Et quemadmodum qui mandatum Imperatoris suscipit, illius sigillum osculando, non ipsam cæram, aut characterem, aut plumbum ueneratur, uerum Imperatori ipsi adorationem, & cultum exhibet, ita quoq; Christianorum filij, typū crucis adorantes, non naturam ligni adoramus, Sed per sigillum, & anulum, & characterem, Christum ipsum aspicientes, per hoc eum, qui in illo crucifixus est, salutamus, & adoramus. Et cùm id ipsum multis atque egregijs exemplis illustrasset, addit, Ego igitur imaginē Christi adorans, non lignorum aut colorum naturam adoro (absit) sed inanimatum characterem Christi. hunc enim cùm habeam, ipsum Christum me tenere, & adorare mihi uideor.

lib. 5. Apolog. contra Iudæos pro Christianis.

Ad quem inanimatum characterem, ut Leontij uerbo, utar, cùm sanctus Ephrem Syrus animum aduertit, miris atque diuinis laudibus crucem extulit, Mortis enim uictricem, fidelium spem, lucem orbis terrarum, paradisi reseratricem, hæresum profligatricem, dæmonum expultricem, monachorum adminiculum, fidei firmamentum, magnam salutaremq; custodiam, atque perpetuam orthodoxorum omnium gloriam, illam appellauit. libro uerò de armatura spirituali, Crucem ualidissimam armaturam uocat, ad omnes Dæmonum impetus facilè propulsandos.

Ephrem Syrus li. de pæn.

Quod quidem Deus op. Max. ut sæpius aliàs, tum maximè Iuliano imperante, re ipsa declarauit. cùm enim nefarius Imperator à Christiana religione, in qua natus & honestè institutus fuerat, iam defecisset; atque sese ad inanem & exitiosum Dæmonũ cultũ totum conuertisset, in secretiorem celeberrimi cuiusdam templi partem, quam Græci ἄδυτον uocant, diuinandi gratia, cum paucis quibusdam sacrilegis sacerdotibus, fortè secessit, & ecce horrenda sese quædam spectra ingerunt, quorum aspectu consternatus Iulianus, atque eius rei, propter quàm illò se contulerat, oblitus, crucis signo se obsignauit, non tam sponte, quàm casu, atque consuetudine, quam simul cum lacte suxerat, & haud multò antea, impiè abiecerat, inductus. Cuius sanctissimi signi uim Dæmones non ferentes, eamq; per summam Dei prouidentiam apertè declarantes, cõfestim euanuerunt. quare peragere scelerata & impia sacra nefarius Imperator non potuit. Omitto crucis sanctissimæ insigne, Chosra rerum summa apud Persas potiente, in tanta

Niceph. lib.10. c.3.

Niceph. lib.18. c.20.

ueneratione

ueneratione apud Thurcas, qui eius mysteria minimè nouerant, fuisse, ut in fronte illud perpetuò gestarēt, eo quòd eius uirtutē fuissent experti, cùm uniuersa Persis à grauissimo pestilentiæ morbo illius fuit beneficio liberata, non sine magna Christiani nominis augustissimæq; crucis gloria & admiratione. Cui quantus sit honor à Christianis hominibus habendus, his uerbis explicauit sexta Synodus, Cùm crux uiuifica illud salutare nobis ostenderit, nos omne studium adhibere oportet, vt ei, per quā ab antiquo lapsu saluati sumus, eum, qui par est, honorem habeamus. vnde & mente & sermone & sensu adorationem ei tribuentes, crucis figuras, quæ à nonnullis in solo ac pauimento fiunt, omnino deleri iubemus, ne incedentium calcatione uictoriæ nobis trophæum iniuria afficiatur. qui secus fecerit, ex communicari decernimus. Quod ipsum Theodosius Imperator Eudoxio P. P. scribens, his uerbis statuit, Cùm sit nobis cura diligens per omnia superni numinis religionem tueri; signum Saluatoris Christi nemini licere uel in solo, uel in silice, uel in marmoribus humi positis insculpere, uel pingere, sed quodcunque reperitur, tolli: grauissima pœna multando eo, qui contrarium statutis nostris tentauerit, specialiter imperamus. Nō est igitur, Kemnici, quòd nobis succenseas, quòd eum cultum uenerationēq; sanctissimæ cruci deferamus, quem Ecclesiæ iudicio, sanctorum patrum auctoritate, cœlestibus prodigijs, plurimisq; diuinæ uoluntatis documentis confirmatum esse scimus. Quinimmo si pietatis, & religionis

Sexta Synod. can. 73.

Codicis Iustiniani lib. 1. tit. 8.

Epiph. Episcop. Tyrii ep. ad sanctã synodũ.

aliquem sensum habes, tuis potius succensere, tuis irasci, in tuos inuehi, uehementer debuisses, quòd Seueri Nestorianæ impietatis complicis proteruitatem & dementissimam petulantiam imitati, salutare hoc signum, passionis Christi monimentum, sempiternùm lacerant, proscidunt, innumerisq; probris, & contumelijs afficiunt, quæ neque Christiani animi sine mœrore cogitare, neque oculi sine lacrymis intueri possunt.

SED iam ad eam, quam instituimus, de sanctorum cultu & inuocatione disputationem, reuertamur, quos non ut Deos, sed ut Dei amicos colimus & ueneramur, & quorum opem & patrocinium non eò quidem studiosè imploramus, quòd bonorum, quæ expetimus, dominos illos esse arbitremur, sed quòd tantùm gratia, atque auctoritate apud Deum, à quo bona omnia speramus, ualere credimus, ut facilè impetrare ab illo quiduis possint. Quo sanè modo illæ sunt fidelium preces interpretandæ, quibus à Deipara uirgine ceterisq, Diuis gratiam, iustitiam, scelerum ueniam, salutem, animiq; ornamenta postulant; vt scilicet à diuina misericordia, qua summa cũ uoluptate fruuntur, ea nobis impetrent. Quod satis Ecclesia explicauit, cùm uota ac precationes, quas ad Deiparam uirginem instituere solet, in hunc modum inchoat, Ora pro nobis Sancta Dei genitrix, ut digni efficiamur promissionibus Christi. Quæ sanè uerba satis demonstrant, nos Christi potissimùm meritis ac promissionibus fidere; Deiparam uerò uirginem cæterosq; Sanctos omnes, aduocatos adhibere. Qui cùm sint nobiscum arctissimo societatis ac com-

communionis uinculo constricti, fieri certè non potest, quin & ardentissima sint charitate conglutinati, nostramque salutem auidissimè procurent. Vnicam nanque esse sanctam Ecclesiam catholicam, in qua Sanctorum est indiuidua communio, tam illis, qui in cœlis conscripti iam sunt, quàm ijs, qui à Domino adhuc peregrinamur, constantem, certa, ac minimè dubia fides semper docuit. cuius cùm unicum sit caput Christus Iesus, qui mortuus est, ut uiuorum & mortuorum dominetur, mutua sanè, eiusdemq; corporis membra omnes simus, atque mutua nobis officia impendamus, necesse est. Quare prudēter admodum D. Augustinus Angelos etiam ipsos, in proximorum numero habendos ardentiq; charitate à nobis diligendos esse existimauit. quæ cum languere, atque ociosa esse nequaquam possit, ij certè, qui aut mortales à debitis sanctis officijs ueneratione q; auocant, aut illos uiuorum curam gerere, causamq; apud Deum omnipotentem nostram agere, pernegant, hanc Christi unicam Ecclesiam, quoad eius fieri potest, lacerant, & dirumpunt. Eos nanque solos proximos appellat Aug. quib. uel præbendum est, uel à quib. nobis præbendum est, officium misericordiæ. Quod in precationibus, quas pro nobis ad Deum fundunt, maximè cerni testatur, cum ait, Dominus noster Iesus Christus adhuc interpellat pro nobis. Omnes martyres adhuc interpellant pro nobis, non transeunt interpellationes eorum, nisi cum transierit gemitus noster. D. uerò Ambrosius in potissimis, quæ uiduæ Christianæ consolationem afferre possunt, numerat, quòd tot habeant in cœlis

Ro. c. 4.

Aug. lib. 1. de doc. Christ. c. 30.

Aug. li. 1. de doc. Christ. c. 30.

Ambro. lib. de uiduis.

proxi-

proximos, qui illius miseriam & calamitates precationibus leuare possint, habes (inquit) proximos, qui pro te supplicent; habes Apostolos proximos; habes martyres proximos, si ipsa martyribus deuotionis societate, misericordiæ quoque muneribus appropinques. proximus est enim, qui misericordiam facit: fac & tu misericordiam, & eris Petro proxima. Non sanguinis necessitudo, sed uirtutis cognatio facit proximos, quia non in carne ambulamus, sed in spiritu. Ama ergo propinquitatem Petri, affinitatem Andreæ, ut pro te rogent, & recedãt cupiditates tuæ uerbo Dei pulsæ. Et paulò inferius, Petrus, & Andreas frater eius, tunc pro affinitate poterant, nunc iam possunt pro nobis & pro omnibus impetrare. Hactenus Ambrosius. Cùm enim felicissimus ille beatorum cætus omni sit molestia, animiq; ægritudine uacuus, non quidem summum erga nos amorem simul cum corpore abiecit, sed illius omnes numeros, ut felicius, ita facilius & cumulatius explet. Charitas enim, Paulo auctore, nunquàm excidit, sed cum sempiternæ illius felicitatis dotibus magis ac magis augetur, atque perficitur. Vnde est quòd sacræ literæ Ieremiam Prophetam uita iam functum, fratrum amatorem uocant, multumq; orare testantur pro populo, & uniuersa sancta ciuitate. Quem unà cum Onia summo sacerdote, strenuus atque sanctissimus Iudæorum dux, Machabæus conspexit, diuinum numẽ deprecantem, ut infinitis populi sui malis atque calamitatibus contentus, illi iam tandem opem ferret. Neque uerò sine summa impietate id uocare somnianris deliramenta, quis poterit, quod fide dignissimum

2. Mach. c. 15.

gnissimum somnium sacra scriptura uocat? Quòd si nefarius ille & inhumanus Epulo patrem Abrahamum orabat, ut Lazarum beatissimum mendicũ ad fratres eius delegaret, quò eos ad uirtutum studia alliceret, tantorum cruciatuum commemoratione excitaret, quis dubitare poterit, beatos ardenti in fratres charitate impulsos, easdem preces adhibituros, quas infelix ille cruciatuum ui atq; terrore, pro uocatus fundebat? Omitto innumera sacrarum literarum testimonia, ex quibus apertè constat, Angelos, qui minori sunt nobiscum naturæ, atque necessitudinis uinculo copulati, hominum causam apud Deum agere, humanisq́;rebus tantopere affici, ut ob sceleratorum hominum pœnitentiam summo gaudio perfundantur. video enim Ioannem Caluinum impietatum omnium patronum, quod sanctis denegat, angelis tribuere. quippe quia administratorij (inquit) sunt spiritus, quibus delegatum est ministerium curandæ salutis, quibus demandata est prouincia custodiendi nos in omnibus uijs nostris, qui nos circumeunt, qui monent & consolantur, qui pro nobis excubias agunt.

Luc. c. 16

Calu. institut. c. 15 num. 17

QVÒD si sanctorum omnium patrum, qui in Ecclesia semper & ubique floruerunt, monimenta euoluamus, facilè uidebimus, hanc persuasionem ita in omnium animis penitus insedisse, ut posteritati nullum dubitandi locum reliquum fecerint. Anacletus summus Pontifex, qui accepit à beato Petro discipli nam, inquit, pro omnibus assiduam apud Deum, omnium sanctorum effundi orationem. Irenæus, qui Apostolorum temporibus uixit, Deiparam uirginẽ

Anacle. epist. 3.

Irenæus lib. 5.

Mariam cum Heua conferens ait, quòd sicut illa Heua seducta fuit ut effugeret Deum, sic hæc Maria sua sa est obedire Deo, utì uirginis Heuæ uirgo Maria

Origen. fuerit aduocata, Origenes, qui imperante Seuero, hoc est, anno à Christi sanctissima morte 168. floruit, ad sanctorum omnium quasi pedes prouolutus, & abiectus, eos precatur, ut sibi scelerum conscientiam conuicto, neque audenti oculos ad cœlum erigere, opem ferant, sibiq; à Deo, peccatorum ueniam impetrent, illosq; ita alloquitur, O` sancti Dei, uos lacrymis & fletu, pleno dolore deprecor, ut procidatis misericordijs eius pro me misero. Heu mihi, pater Abraham, deprecare pro me, ne de finibus tuis alіener, quos ualde concupiui, nec condignè quidem,

In diuer. hom. 3. propter ingens peccatum meum. Hanc uerò deprecandi Diuos rationem, non fuisse à se, proprio (ut dicitur) marte in Ecclesiam inuectam, sed maiorum esse iudicio & auctoritate firmatam, hisce uerbis docuit, Bene & secundum uoluntatem Dei Innocentiũ memoriam sancti patres celebrari mandauerunt sempiternam in Ecclesiis, ueluti pro Domino morientium, ueluti pro Iudæis, & gentibus credituris, uel etiam pro ipsis parentibus, quorum parẽtes præ nimio dolore (ut diximus) percutiebantur, ut eis intercessio filiorum plurimùm profuisset. Prætermitto eundem affirmantem, sanctos Martyres pugnare nobiscum, & nos suis precationibus adiuuare, idq; senioris testimonio cuiusdam magnæq; auctoritatis

Euse. hist. Eccl. lib. 6. c. 5. magistri cõprobantem. Neq; latêre quempiã potest Basilidem Martyrem inuictissimum, qui sub eodem Seuero Imperatore stipendia merebat, Potamianæ uir-

uirginis iam uita functæ precibus nō solùm ad Christianam fidem, atq; religionem adductū, sed martyrij etiam palmam fuisse consecutum, ut Euseb. Cæsar auctor est. Iam uerò Cyprianus, qui Valeriani iniquissimi Imperatoris temporibus, hoc est, anno post Origenem 45. martyrij triumpho decoratus est, Cornelium per literas hortatur, ut qui eorum prior ab hac uita diuino beneficio discederet, charitatem nō abijceret, sed Dei patris misericordiam pro fratribus & sororibus continenter deprecaretur. Ex cuius etiā sanctissimi martyris epistolis constat, eos, qui lapsi fuerant, & publicè de more Ecclesiæ pœnitentiam agebant, martyres, hoc est, eos, qui in carceres ob fidei confessionem erant coniecti, adire solitos fuisse, ut ueniam deprecarentur: quam si editis ueræ pœnitentiæ documentis impetrabant, id martyres per literas Episcopo, aut presbyteris significabant, quas libellos appellare soliti erant, quibus acceptis ad communionem constituto tempore recipiebantur. Erant enim sancti patres maiores nostri persuasi, ut idem Cyprianus ait, tantùm apud Deum sanctorum martyrum preces, atque merita ualere, ut ab illo facilè possent, lapsis, quibus pacem promittebant, delictorum ueniam impetrare. Magnus ille ac illustris Athasius, quem antiqua Ecclesia præcipuum habuit fidei & pietatis propugnatorem, ac uindicem, multis in locis apertè docuit, quanti sanctorum, qui sempiterna iam felicitate fruuntur, patrocinia, ac preces faciendæ essent. Ita enim Deiparam Virginem alloquitur, Et iam scilicet audi filia Dauidis, & Abrahæ, & inclina aurem tuā in preces nostras

Cyprian. epist. 1.

Cypr. lib. 3. ep. 18.

Athana. in Euāg. de sanctissima Maria Virg.

et ne obliuiſcaris populi tui, neq; noſtri, qui ſumus de familia & domo patris tui. parentes enim tui ſumus ſecundum generis proſapiæq; rationem, noſtraque filia es, quia ex nobis genita es. & paulò inferius, Ad te clamamus, recordare noſtri, ſanctiſſima uirgo, quæ etiam à partu uirgo permanſiſti, & retribue nobis pro exiguis iſtis eloquiis magna dona ex diuitiis tuarum gratiarum, tu, quæ gratia plena es. & ſic tandem orationem concludit, Aue gratioſa, Dominus tecum, intercede hera, & Domina, & Regina, mater Dei pro nobis, quoniam ex nobis tu oriunda es, & is, qui editus eſt ex te carnigerus, Deus noſter eſt. Et de interpretatione pſalmorum agẽs, inquit, cauendum eſſe, ne quis eos ſæcularibus ad eloquẽtiam uerbis ornet, ne'ue conetur dictiones immutare, aut omnino aliud pro alio ſubſtituere, ſed ſimpliciter ut ſcripta ſunt, recitet, & pſallat quemadmodum dictum eſt. ut ſancti, qui iſta uerba ſuppeditarunt, ſua eſſe agnoſcentes, comprecentur nobiſcum. Ephrem Syrus Diuo Athanaſio coætaneus, qui ſanctitate atq; eruditione, ut Hieronymus auctor eſt, uſq; adeò claruit, ut eius monimenta in plurimis Eccleſiis publicè poſt diuinarum ſcripturarum lectionem recitarentur, ita Deum alloquitur, Grex tuus electus, monachorum quoque conuentus, & omnium ſanctorum, qui placuerunt ante te, qui nunc in paradiſo exultant, iam deprecantur pro me & obſecrant te ſolum amatorem hominum. Exaudies quoque eos, & ſalua bis me obſecrationibus eorum, ego uerò per eos tibi gloriam & laudem offeram, qui exaudiſti orationes eorum, quæ pro ſalute animæ meæ profuſæ ſunt.

Athana. de interpre. Pſalmorũ ad Marcel.

D. Hiero. de ſcriptoribus Eccleſiaſt.

Ephrem, lib. de cõpunctione cord.

Gre-

Gregorius uero Niss. Episcopus, Basilij magni frater, orationem, qua sanctissimi huius Ephrem laudes & res gestas complectitur, ad hunc modum claudit; Tu uerò diuino assistens altari, uitæq; participi, ac sacrosanctæ, unà cum Angelis sacrificans Trinitati, omnium nostrorum recordare, nobisq; peccatorum ueniam impetra, ut sempiterna regni cœlestis beatitudine perfruamur. Quid referam Theodosii religiosissimi Imperatoris egregiam erga sanctos pietatem, fidem, religionem? cuius cùm præclara aliàs edidit documenta, tum maximè cùm bellum contra Eugenium impijssimum tyrannum suscipere cogitauit. nam ut se magis sanctorum auxilijs, quàm Barbarorum copijs confidere significaret, circumibat (Ruffino auctore) cum sacerdotibus & populo omnia orationum loca, ante Martyrum & Apostolorum techas iacebat, cilicio prostratus, & auxilia sibi fida sanctorum intercessione poscebat. Quam illustrem pietatem non uulgaris aliqua, & consueta, sed insolens & portentosa uictoria est subsecuta. nam Barbaro milite, in quo Thedosii exercitus uis potissima posita erat, diuina prouidentia fugato, atque profligato, ne illius robori magis quã cœlestibus copijs uictoria ascriberetur, desperatisq; iam religiosissimi Imperatoris rebus, Ecce tam uehemens uentus atque tam immodica tempestas incidit, ut telis in eos, qui iecerant, retortis, hostes proprijs iaculis interirent. Qui uentus tamdiu perstitit, ut profligatis diuina uirtute Eugenij copijs, uinctis post terga manibus ad Theodosium is adduceretur, ubi nefariæ impietatis, & audaciæ penas luit. Sed tam Leonem sanctissimum pontificem

Gregor. Nissenus

Ruffin. li. 2. c. 33.

Leo. Pont. sermo. de nati. Petri, & Pauli.

tificem hac de re loquentē audiamus, Sicut (inquit) nos experti ſumus, & noſtri probauere maiores, credimus, atque confidimus, inter omnes labores iſtius uitæ ad obtinendam miſericordiam Dei, ſemper nos ſpecialium patronorum orationibus adiuuandos, ut quãtum proprijs peccatis deprimimur, tantum Apoſtolicis meritis erigamur. Et alibi, Cõfirmate, inquit, amicitias cum ſanctis Angelis, intrate in ciuitatem Dei, cuius nobis ſpõdetur habitatio, & Patriarchis, Prophetis, Apoſtolis, martyribus ſociamini, unde illi gaudent, gaudete, horum diuitias concupiſcite, & per bonam æmulationem ipſorum ambite. ſuffragia cum quibus enim fuerit, uobis conſortium deuotionis, erit & communio dignitatis. & alibi, Sabbato apud beatiſſimum Petrum Apoſtolum uigilias celebramus, qui & orationes & ieiunia, & eleemoſynas noſtras precibus dignabitur adiuuare. Omitto Theodoretum, qui in libris, quos de martyribus ſcripſit, quam ſæpiſſimè illos hominum duces appellat, principes, propugnatores, cuſtodes, medicos, auxiliares, per quos à nobis infortunia auertuntur, proculq; arcentur omnia, quæ à Dæmonibus inferũtur mala. D. uerò Chryſoſt. quem ex aduerſarijs plurimi ĩpietatis ſuæ patronũ ſceleratè aſciſcũt, ſatis aperuit, quid hac in re ſentiat, cũ uerba illa prioris epiſtolæ, quam Paulus ad Theſſalonicenſes ſcripſit, Gratias agimus Deo pro omnibus uobis, ſemper memoriam ueſtri facientes in orationibus noſtris. explicans, deq; ſanctis, qui iam ſempiterna felicitate fruuntur, uerba faciens, ait, His itaq; cognitis, nec ſanctorum preces contemnamus, neque totum in illas proiiciamus,

Leo. ſermo. 5. de Epipha.

Leo ſermo. in de ieiu. decimi menſ.

Theodo.

Chryſoſt. hom. 1. in 1. c. prioris epiſt. ad Theſ.

ciamus, hoc quidē ne temere insidiis opprimamur, illud uerò, ne extra multum lucrum, & profectum excidamus, sed oremus etiam ut pro nobis precentur, manumq; porrigant, adhæreamusq; ipsi uirtutis studio, ut bona diligentibus Deum promissa, consequi ualeamus. Quam integram Chrysostomi homiliam, qua multis & grauissimis argumentis demonstrat, sanctorum precationes plurimùm bonis ac piis uiris, quique diuinæ legi studiosè parent, prodesse; illis uerò nihil prorsus, qui Christiani hominis debitum officium deserunt, te quæso Kemnici, diligenter, & consideratè legas. clarè enim uidebis, quàm pueriliter, & sophisticè ex illo Ieremiæ loco, Si steterit Moses & Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum. tuus Caluinus concludat, mortales sanctorum, quos ille sceleratè & per summum contemptum mortuos uocitat, precibus nihil iuuari. Prætermitto Oecumenium, qui cùm illa Petri uerba interpretatur, Dabo autem operam & frequenter habere uos post obitum meum, ut horum omnium memoriam faciatis. affirmat, aliquot sanctos Patres ea per traiectionem intelligenda, atque in hunc modum legēda esse, existimasse, Etiam post meum obitum operam dabo, ut uos semper horum memoriam habeatis, ita ut Petrus significare uoluerit, studium, quo illorum salutem curabat, & charitatem, qua illos complectabatur, non esse cum morte interituram. Iam uerò ut Hieronymi, Hilarij, Basilij, Cyrilli, Bernardi, Anselmi, cæterorumq; sanctorum patrum sententias omittam, si ad unius Aug. opera animum aduertamus, infinitum sanè erit loca singula

Caluin. insti. c. 15 nu. 17.

Oecume. in 1. c. 2. epis. Pet.

ſingula numerando percenſere, quibus & ſanctos in maximo honore habendos eſſe, & illorũ preces plurimùm nobis opis, auxilijque afferre poſſe, demonſtrat. Vt uerò ſuperſedeam precationibus, quibus ipſe ſanctos omnes, atque in primis Deiparam Virginem deprecatur, ut ſe foueat, tueatur, atque ſcelerum omnium ueniam impetrent, cùm uerba illa Exodi interpretatur, Facies operimentum aliud tecto, de pellibus arietum rubricatis. ait, Aries autem rubricatus, cui non occurrat Chriſtus paſſione cruẽtatus? Significantur etiam Martyres ſancti, quorum orationibus propitiatur Deus peccatis populi ſui. Et alibi demonſtrans miracula, quæ martyrum meritis fiunt, certiſſima eſſe Chriſtianæ fidei documenta, ait, Pro iſta fide mortui ſunt, qui hæc miracula à Domino impetrare poſſunt, pro cuius nomine occiſi ſunt. Et paulò inferius, Siue omnia iſta per Angelos, quibus inuiſibiliter, immutabiliter, & incomparabiliter imperat, operetur, ut quæ per martyres fieri dicuntur, eis orantibus tantùm, & impetrantibus fiant, ſiue alia fiant iſtis, alia illis modis, qui nullo modo compræhendi à mortalibus poſſunt, ei profectò atteſtantur hæc fidei, in qua carnis in æternum reſurrectio prædicatur. Et paulò pòſt, Faciunt autem iſta miracula martyres, uel potius Deus, uel orantibus, uel cooperantibus eis, ut fides illa proficiat, qua eos non Deos eſſe noſtros, ſed unum Deum habere nobiſcum credamus. Et de Nebidij ſibi familiaritate coniunctiſſimi morte agẽs ait, Iam non ponit aurem ad os meum, ſed ſpirituale os ad fontem tuum, & bibit quantum poteſt ſapientiam

Exodi c. 26. Aug. quæſt. ſuper Exo. q. 108.

Aug. 22. de ciuit. Dei c. 9.

Cap. ſeq.

Aug. confeſ. lib. 9. c. 3.

tiam, pro auiditate sua sine fine felix. Nec sic eum ar bitror inebriari ex ea, ut obliuiscatur mei, cùm tu Domine, quem potat ille, nostri sis memor. Quòd si uera est Leonis sanctissimi pontificis sententia, dubi tandum scilicet nõ esse, quidquid ab Ecclesia in con suetudinem est deuotionis retentum, de traditione Apostolica, & de sancti Spiritus prodire doctrina, nihil certè pijs omnibus notius, atque testatius esse debet, quàm & summum esse sanctis honorem habendum, & plurimùm eorũ preces & merita apud Deũ ad miserias nostras leuandas, uitæ incommoda leniendà, maximaq́; beneficia consequenda, ualere: cùm hanc fuisse omnium ætatum, gentium, populorum, qui Christianam fidem pietatemq́; coluerunt, constantem, perpetuamq́; sententiam, satis constet. Nam si sanctorum omnium patrum sententias non numeremus modò, sed diligenter, & accuratè ponderemus, satis uidebimus, neminem esse, qui id tanquàm nouum ac recens insinuet, sed omnes una tanquam de re explorata, atque antiquitatis auctoritate, & certissima traditione firmata, uerba facere. *Leo. ser. 2. de ieiunio Pentecostes.*

At inquis Gregorium Nazianzenum, quem multis hac in re superstitionibus occasionem dedisse arbitraris, non ausum fuisse affirmare, Basilium in cœlis pro nobis sacrificia offerre, atque pro populo orare, sed ut animi sui dubitationẽ declararet addidisse ὡς οἶμαι hoc est, ut ego quidẽ arbitror, quod ipsum (inquis) fecisse in epitaphio patris sui. unde colligis *priuatas basce fuisse Nazianzeni cogitationes, sine expresso uerbo Dei. Neque enim (* inquis *) de articulis fidei loquitur Ecclesia hoc modo, sed certus est sermo, & omni acceptione dignus.* Vt autem præter-

mittam hunc esse Græcis auctoribus maximè usitatũ loquendi modum, non solùm cùm de incertis atque dubijs rebus, sed cum de certissimis agunt, qui ad Nazianzeni orationem animum diligenter aduerterit, facilè intelliget, uerba illa ὡς οἶμαι non tam ad Basilij pro nobis intercessionem, quàm ad felicissimũ eius statum esse referenda. Nam cùm paulò ante è ui uis excessisset, inter Diuos illum sine temeritatis aliqua nota certò connumerare non poterat. cùm nemo quamdiu uiuit, scire possit, dignus'ne amore sit, an odio.

Vt uerò sanctorum omnium patrum auctoritatẽ eludas, ais, *te ad cumulum omnium sententiarum, quæ afferri ex illis possunt hæc tantũ respondere, quòd Epiphanius inuocationẽ Mariæ, uocat errorem antiquum*. Quod tam asseueras constanter, ac si uerum diceres. ò incredibilem importunitatẽ, ò præcipitem furorem: quis tantam licentiam æquo animo ferat? quis tam effrenata audacia non commoueatur. Non sat tibi fore putasti, sanctorum omnium patrum auctoritatem contemnere, testimonia abijcere, sententias proterere, conculcare, nisi etiam tam grauem ignominiam sanctissimo Epiphanio inussisses? vbi, quæso, unquam Mariæ inuocationem, inueteratum errorem appellauit? vbi sanctorum inuocationem impietatis insimulauit? Nisi fortè ita desipisti, ut inuocationem à Latriæ adoratione non distinguas. neque intelligas quantum intersit inter sanctorum implorationem, & Diuino numini debitum cultum, atque adorationem. Epiphanius enim nunquàm eorum studium improbauit, qui Deiparæ uirginis auxilia implorant: grauiter tamen & pro nefarii

farij sceleris atrocitate reprehēdit mulierculas quasdam Arabes, quæ Deiparæ uirgini sacrificia faciebant. currum enim quendam (ut ille ait) siue quadratam sellam linteolis ornare, ibiq; illustri quodam & sacro anni die panes apponere, atque in Mariæ nomine offerre, solitæ erant. quem errorem adeò inueteratum appellat Epiphanius, quia antiquam & obsoletam idololatriam reuocabat. Neque id alio animo atque consilio faciebant, quàm quòd Deiparam uirginem, Deum esse sibi persuaserant. Quod apertè D. Epiphanius contra Antidicomarianitas agens, qui sanctissimam Mariam post partum uirginem perstitisse negabant, ijs uerbis edocet, Quemadmodum dicimus, nos hoc audisse, quosdam ita ausos fuisse, ut facilimè se proijcerent in peccatum, sic admirati sumus, quum aliud rursus audiuissemus, alios nimirum ita desipere, ut in tractatione de ipsa sancta semper Virgine, pro Deo hanc introducere studuerint, & adhuc studeant, & furore quodam ac amentia ducantur. Narrant enim, quòd quædam mulieres illic in Arabia à partibus Thraces, hanc uanitatem inuexerunt, ut in nomine semper uirginis collyriam quādam sacrificent, & simul congregentur, & in nomine sanctæ uirginis ultra modum quid tentent aggredi, nefario ac blasphemo negotio, & in nomine ipsius sacra celebrent, per mulieres, quod totum impium est, ac nefarium, alienum à prædicatione sancti Spititus, ut sit totum Diabolicum opus, & spiritus immundi doctrina. A' qua Epiphanij sententia, Romana Ecclesia non modò non discedit, sed eos omnes execratur, atque à fidelium cœtu & communio-

Epiph. li 3. Hæres. 79. quæ est Collyridianorum.

Epiph. li. 3. Hære. 78.

ne ablegat, qui Deum alium præter unicum ac Trinum colunt, qui sanctos pro Dijs habent, qui sacra illis faciunt, aut honoribus soli Deo debitis prosequuntur. Neque enim Ecclesia consueuit unquàm sacra Diuis facere, aut dicere (ut Aug. ait) Offerimus tibi Petre, aut Paule. quanuis illorum memorias sacrificijs cohonestare solita sit. Quod D. Aug. multis locis docet, Nos autem (inquit) martyribus nostris non templa sicut Diis, sed memorias sicut hominibus mortuis, quorum apud Deum uiuit spiritus, fabricamus: nec ibi erigimus altaria, in quibus sacrificemus martyribus, sed uni Deo & martyrum et nostro, sacrificia immolamus, ad quod sacrificium sicut homines Dei, qui mundum in eius confessione uicerunt, suo loco & ordine nominantur, non tamen à sacerdote, qui sacrificat, inuocantur: Deo quippe non ipsis sacrificat, quanuis in memoria sacrificet eorum, quia Dei sacerdos est, non illorum: ipsum uerò sacrificium, corpus est Christi, qui non offertur ipsis, quia hoc sunt & ipsi. Hactenus Aug. Quinimmo in Synodo Carthaginensi tertia cautum est, ne quis altari assistens, ad alium preces quàm ad solum patrem dirigat; nam cùm Christus sit quæ immolatur hostia, præter decorum facere sacerdos uidebitur, si ad Christum, hoc est, ad ipsam, quam sacrificat hostiam, orationem referat. insignis uerò dementiæ erit si sanctis, hoc est Christi seruis Dominum offerat, quem semper Ecclesia usum retinuit, & religiosissimè conseruauit. Neque enim cum alio sacerdos dum sacra facit, quàm cũ Deo Patre colloquitur, cui unigenitum eius filium Christum Iesum, & sanctorum merita,

Aug. 22. lib. de ciui. Dei c. 10. & 8. li. de ciu. c. 27.

Synod. Carth. 3. can. 23.

rita, ac preces offert. quo uerò consilio Ecclesia sanctorum mentionem faciat in Missæ sacrificio, satis illa precatione explicauit, Communicantes, & memoriam uenerantes in primis gloriosæ semperq; uirginis Mariæ genitricis Dei, & Domini nostri Iesu Christi: sed & beatorum Apostolorum, ac martyrum tuorum Petri, & Pauli, & omnium sanctorum tuorum, quorum meritis, præcibusq; concedas, ut in omnibus protectionis tuæ muniamur auxilijs, per eundẽ Christum Dominum nostrum. Quod sacrum Tridentinum Conciliũ apertè definiuit, Quanuis (inquit) in honorem, & memoriam sanctorum nonnullas interdum missas Ecclesia celebrare consueuerit, non tamen illis sacrificium offerre docet; sed Deo soli, qui illos coronauit. vnde nec sacerdos dicere solet, Offero tibi sacrificium Petre, uel Paule: sed Deo, de illorum, uictorijs gratias agens, eorum patrocinia implorat: ut ipsi pro nobis intercedere dignentur, in cœlis, quorum memoriam facimus in terris. Anathemateq; eos percellit, qui imposturã, esse dicunt, missas celebrare pro sanctorũ intercessione apud Deum obtinẽda. Non igitur est, Kemnici, quòd nobis Epiphanium Collyrianos summæ impietatis damnantem obijcias, qui non modò nemini sanctorum sacrificia facimus, sed neque eorum in sacrificiis auxilia imploramus, sed memoriam solùm ueneramur, & co honestamus, merita uerò ac preces unà cum Christi corpore meritorum omnium fonte Deo patri offerimus. At uerò extra altare ad illos orationem Ecclesia dirigit, ipsorum opem & aduocationẽ implorat, quos tantum gratia apud Deum ualere intelligit, ut omnia

Concil. Trid. sub Pio4. sess. 6. c. 3.

Ibidem can. 5.

omnia

omnia impetrare facilè possint, quod nusquam Epiphanius reprehensione dignum esse existimauit. Ex quibus apertè sanè constat, quàm præposterè ex istis Aug. uerbis lib. 22. de ciuitate Dei colligas, quòd *quidquid fuerit de depravatis quorundam ueterum cogitationibus, siue (ut dicunt) deuotionibus, manifestum esse ex Augustini testimonio in publicis & solennibus Ecclesiæ orationibus inuocationem sanctorum non fuisse usitatam*. Multum enim interest inter sacrificare sanctis, illosque in sacrificiis compellare, aut nostras orationes cum illorum precibus coniungere; & illorum merita atque preces Deo patri, ad quem orationem habemus, unà cum Christi corpore offerre. hoc enim ita ecclesia semper usurpauit, ut ab illo ualde abhorruerit. Quod ex Cyrillo Hierosolymitano satis constat, qui Augustinum ætate præcucurrit. Deinde inquit, postquàm confectum est illud spirituale sacrificiũ, & ille cultus incruentus, in ipsa propitiationis hostia obsecramus Deum Patrem, pro communi Ecclesiarum pace, pro tranquillitate mundi, pro ægrotis & afflictis, & in summa pro his omnibus, qui egent auxilio. Rogamus te inquam nos omnes, & hoc sacrificium tibi offerimus, ut memineris etiam eorum, qui ante nos obdormierunt, primùm Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum, ut Deus orationibus illorum & deprecationibus suscipiat preces nostras. Sed iam uideamus, quantum ualeat argumentum illud, tibi eiusq; tam familiare, quod à meritorum Christi dignitate atq; amplitudine sumitis, de qua plurimùm ab iis derogari existimatis, qui sanctorum auxilia atque aduocationem procurant, *In nomine* inquis *Christi omnia esse petenda*,

Cyril. Catechе. mystag. 5.

da, illum enim scriptura nobis proponit, non tantùm ut mediatorem ex piationis, uerùm etiam ut aduocatum, qui intercedit & apparet uultui Dei pro nobis. ad huius intercessionem & merita, scriptura nos iubet confugere, quando in inuocatione sentimus nostram indignitatem. Nihil uerò tale dicit de sanctis mortuis. Ex quibus concludis, ualde esse Christi meritis contumeliosum, si quis sanctorum sibi patrocinia asciscat. Principiò libenter confitemur, aduocatum nos habere apud Patrem Christum Iesum, qui introiuit in ipsum cœlum ut appareat uultui Dei pro nobis, non quidem tanquàm inane aliquod & mutum spectrum, sed ut causam nostram apud Patrem continuò agat. cumque pro nostra salute semper deprecetur, non iam quidem cum clamore ualido, & lacrymis, ut in diebus carnis suæ facere consueuerat, sed solo humanitatis suæ conspectu, infinitique amoris erga nos sui significatione. Nam si iusti Abelis sanguis ad Deum è terra clamabat, illumq; ad iram atque indignationem prouocabat; Christi Iesu sanctissimum corpus, sanguis pro humano genere profusus, inflammatæque in nos charitatis insignia sanctissimo ipsius corpori impressa, quæ Deo patri semper adsunt præsentia, an non maximos clamores edere, an non Deum ad misericordiam flectere, ipsiusq; nobis amorem conciliare iudicabimus? Hanc esse precationis Christi rationem, satis hisce uerbis Gregorius pontifex sanctissimus explicauit, Vnigenitum filium pro homine interpellare, est apud æternum patrem seipsum hominem demonstrare, eiq; pro humana natura rogasse, est eandem naturam in diuinitatis celsitudinem suscepisse. Interpellat igitur Dominus pro

ad Hebr. c.9.

Lib. 22. moraliū c.18.

pro nobis, non uoce (scilicet gemebunda) sed misc
ratione, quia quod damnari in electis noluit, susci-
piendo liberauit. Adiutor ergo quæritur, ut desidc
rium exaudiatur. Quia nisi pro nobis interpellatio
mediatoris intercederet, ab aure Dei proculdubio
act.12. nostrarum precum uoces silerent. Huic uerò Christi
pro nobis perpetuæ intercessioni si sanctorum pre-
ces quidquam detraherent, nunquàm profectò tota
Ecclesia, tam ardenter Deum deprecaretur, ut sibi
Petrum in uincula coniectum, saluum restitueret.
Thess. 1. c.5.1.c.3 Iaco.c.5. Neque unquàm Paulus toties Thessalonicenses ro-
garet, ut pro se preces funderent. Non Iacobus fide-
les omnes admoneret, atq; obtestaretur, ut mutuam
salutem à Deo assiduis precibus efflagitarent. Ora-
te (inquit) pro inuicem ut saluemini. At inquis, ual
de hæc esse disparia. nam cùm de uiuorum mutuis
intercessionibus extet exemplum in scripturis, neq;
ullum in ipsis extet uestigiũ de precibus, quas post
mortem pro nobis sancti fundunt, non est quòd unũ
cum alio conferamus, aut unum ex alio conclud a-
mus. Nam Deus (ut D. Ambrosius ait) non nostris
argumentationibus, sed suis æstimandus est uocib.
Sed aduerte, quæso Kemnici, quàm longè ab scopo
aberres; ualde nanque diuersa sunt, atque disparia,
ex scripturis probare, sanctos, qui iam sempiterna il
la uita fruuntur, pro nobis intercedere, aut illorum
preces nihil de unius mediatoris Christi meritis, at-
que auctoritate detrahere. Cum uerò ex scripturis
constet, cum uiuorum, tum Angelorum, qui diuinã
uoluntatem perspectam habent, & exploratam, pre-
ces Deo gratissimas esse, neq; Christi meritis, quid-
quam

quam derogare, rectè sanè concluditur, minimè esse eos in Christum contumeliosos, neque de eius dignitate uel minimùm detrahere, qui alium præter Christum intercessoré atque aduocatum quærunt. Nisi fortè ita insanis, ut sine ulla scripturæ, quam tam insolenter uenditas, auctoritate, existimes, solam Diuorum intercessionem Christo iniuriosam esse. neq; enim ineptius atque pucrilius quidquam excogitari post, quàm eos scripturæ locos, qui Christi pro nobis apud patrem intercessionem prædicant, qui inflammatum eius in nos amorem commendant, qui stimulos addunt, ut illi fidamus, ab illo animis pendeamus, illius potissimùm opem atque auxilia imploremus ita interpretari, ut qui uiuorum hominum, atque Angelorum preces Christi precationibus coniungere curauerint, nullius sint criminis rei: qui uerò à sanctis, qui è uiuis iam excesserunt, ut unà cum Christo regnent, idem officium expetiuerint, nefarium crimen suscepisse, & Christum grauissima iniuria affecisse uideantur. Quare uos quidem estis, qui scripturæ sacræ sensum contorquetis, uos, qui illius sanctitatem, atque fidem uestris imposturis corrumpitis, uos, qui Spiritus sancti sensa deprauatis. nos uerò à sacræ scripturæ uero & integro sensu nulla ratione discedimus, Ecclesiæ iudicium antiquitate firmatum retinemus, patrum nostrorum fidem, ueteris Ecclesiæ erga diuos pietatem, antiquamq; religionem conseruamus. à qua nullis uestris figmentis atque machinationibus abduci unquàm Deo auspicante, poterimus. D. autem Hieronymus contra Vigilantium (cuius uos auctoritatem uniuersali Ecclesiæ præ

tulistis) disputans, summum ducit furorem existimare, sanctos, qui uitæ huius doloribus oppressi, periculis expositi, calamitatibusq; implicati poterant, pro cæteris hominibus preces fundere, postquàm molestiis omnibus liberi Christo fruuntur, nec hiscere quidem posse.

OBIICIS rursus quòd *quanuis Paulus uiuens non dubitauerit, se in Petri dum uiueret, precibus comprahendi, non tamen dixit S. Petre pater noster, qui es in cœlis,* quod nos facere calumniaris. Ne uerò in hac calumnia diluenda multis agam, fateor, Kemnici, quòd siquis tā fuerit amens, qui dominicam precationē diuis ea ratione adhibeat, ut ad illos precationis uerba referat, atq; intellecta de illis esse uelit, grauissimo errore tenebitur, neque eam unquàm Diuos precandi rationem ab Ecclesia didicerit. quæ docet, unicum nos in cœlis habere patrem Deum, cuius nomen apud omnes gentes sanctum esse cupimus, cuius regnum auidissimè exoptamus, & à quo solo bona omnia speramus. At si quis Ecclesiæ fide imbutus, sanctorum preces Deo esse gratissimas arbitretur, quippe quas incensum Deo suauissimum Ioannes uocat, atque eo animo Petrum compellat, ut unà secum orationem coniungat, & dominicam illam precationem Deo offerat, quid admisisse criminis existimare poteris? Neque enim mediatoris munus ij Christo præripiunt, qui scelerum conscientia deterriti, amicos Christo charissimos precantur, ut causam apud Christum eorum agant; sintq́ue mediatores apud mediatorem Christum, ut D. Bernardus ait. quinimmo Christi dignitatem maximopere augent, & amplificant, gratiæq; illius uim mi-

Apoc. 18.

rum

rum in modum commendant, qui ſanctos ſuos ita locupletauit, tantisq; iuſtitiæ opibus & ornamentis auxit, atque illuſtrauit, ut mortalium patroni & aduocati eſſe poſſint. cum præſertim non tam ſuis, quàm Chriſti meritis fidant, illaq; potiſsimùm Deo nobiſcum offerant. quod ſatis Eccleſia docet cùm omnibus precationibus finem imponit meritorum Chriſti commemoratione, quæ cùm noſtris, tum noſtrorum omnium precibus uim atque efficacitatem afferunt. Quòd ſi proteruitatem atque petulantiam aliquantum abijcere, & ad hanc unam precationem, qua Eccleſia D. Aug. interceſſore utitur, animum aduerteris, ſatis tanquàm in exemplari perſpicies, quantum ab omni impietate abſimus longiſſimè. Adeſto (inquit) ſupplicationibus noſtris omnipotés Deus, & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges, intercedente beato Aug. confeſſore tuo, atque pontifice, conſuetæ miſericordiæ tuæ tribue benignus affectum: per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum. hoc eſt, egregia illa atque cœleſtia beneficia, quæ ardenter optamus, Chriſti filii tui meritis, & interceſſione potiſſimùm confiſi, petimus: quam & noſtris & Aug. precationibus uim tribuere confitemur. ex quibus liquidò ſanè conſtat, ſanctos non eodem modo, quo Chriſtus, eſſe mediatores. Chriſtus enim quia non per ſanguinem hircorum, aut uitulorum, ſed per proprium ſanguinem introiuit ſemel in ſancta, æterna redemptione inuenta, noui teſtamenti mediator dicitur, hoc eſt, quia non aliena, ſed propria uirtute homines in Dei gratiam recõciliauit, illiſq; obedientiæ ſpiritum promeruit. *Paul. ad Heb. c. 9.*

At uerò ſanctorum omnium preces, Chriſti potiſſimùm meritis nituntur, quibus & ſpiritum, quo Deo placent, & intercedendi uirtutem acceptam referũt. Mediator autem ſolùm is dici accommodatè poteſt, pro quo nullus interpellat, ſed ille pro oĩbus, ut D. Aug. ait. & paulò inferius, Oratio pro inuicem membrorum omnium adhuc in terra laborantium, aſcendat ad caput, quod præceſſit in cœlum, in quo eſt propitiatio pro peccatis noſtris. Nam ſi eſſet mediator Paulus, eſſent utique & cæteri coApoſtoli eius, ac ſic multi mediatores eſſent, neque ipſius Pauli conſtaret oratio, qua dixit, Vnus enim Deus, unus mediator Dei & hominum homo Chriſtus Ieſus, inquo & nos unum ſumus, ſi ſeruemus unitatem fidei in uinculo pacis. Quare etſi unicus ſit mediator Chriſtus, qui uirtute propria nobis Dei amorem conciliat, & uirtutum omnium ornamentis locupletat, multi tamen ſunt, qui nobiſcum unà diuinum iſtum mediatorem precantur, cuius meritis atque benignitate animati, animum ad precandum appellimus. Quæ omnia & meritorum Chriſti amplitudinem illuſtrãt & ipſius gloriam mirum in modum commendant, & exornant. Quare Theodoretus inter Græcos ſcriptores eloquentia & eruditione egregius, ex miraculis naturæ uim atque modum ſuperantibus, quæ Deus martyrum precibus prouocatus in eorum templis facere ſæpe conſueuit, apertè & euidenter cõcludit, ueram illam eſſe fidem ueramq; religionem, pro qua ipſi occubuerunt, Martyrum (inquit) templa conſpicua cernuntur, magnitudineq; præſtantia, omni præterea ornatus genere uariata, ſplendoremq; quodam modo

Lib. 2. cõtra epiſt. Parm. c. 8.

Theodo. Græcarũ affect. lib. 8.

modo pulchritudinis ſuæ latè fundentia. Neque uerò ad hæc per annũ ſemel aut bis, aut quinquies aduentamus, ſed in eis ſæpenumero dies feſtos peragimus, ſæpe diebus ſingulis eorum martyrum Domino laudes, hymnosq; cantamus. quiq; homines pro ſpera ſunt ualetudine, conſeruari eam ſibi à martyribus petunt, qui uerò ægritudinem aliquam patiuntur, ſanitatẽ expoſcunt. Inſuper & ſteriles uiri, & mulieres dari ſibi filios petunt. qui uerò parentes ſunt, integra ſibi, & propria cuſtodiri, quæ conſequuti ſunt, dona. Item qui peregrè aliquò proficiſcuntur, petũt martyres ſibi comites eſſe in uia, uel potius itineris duces. qui uerò iam hoſpites redierunt, gratias agunt, acceptum beneficium confitentes. Non qui ſe ad Deos accedere arbitrẽtur, ſed qui orent Dei martyres, tanquàm diuinos homines, interceſſoresq; ſibi eos apud Deum aduocent, ac precentur. Piè uerò fideliterq; precatos ea maximè conſequi, quæ deſiderant, teſtantur illa, quæ uotorũ rei dona perſoluunt, manifeſta nimirum adeptæ ſanitatis indicia. Nam alii quidem oculorum, alii uerò pedum, alii porrò manuum ſimulacra ſuſpendunt ex argento, auro'ue confecta. Gratiſſimè nanque accipit eorum Dominus qualiacunque ſunt dona, nec exigua, nec uilia dedignatur, quippe quia ea pro ferentis facultate metitur. Hæc itaque omnium ſpectaculo exporrecta, teſtantur morborum depulſionem, cuius ipſa certiſſima ſigna ſunt, à ſanitatem conſequutis allata, hæc inquàm ſepultorum ibi martyrum, quæ ſit uirtus oſtendunt; martyrum autem uirtus, quem ipſi coluerunt Deum, uerum eſſe Deum declarat.

De

De Imaginibus.

VARIVM esse atque multiplicem Imaginum usum, non modò rerum gestarum monumenta, sed ratio etiam ipsa edocet. Nam uel ad domos decorandas & exornandas adhibentur, uel ad eorũ, quos summo honore dignos esse iudicamus, quosq; in primis charos habemus, memoriam tuendam & conseruandam, doloremq; ex illorum absentia perceptum minuendum atque emolliendum, uel ut rerum gestarum sint monumenta sempiterna, eaq; doceant, quæ nos maximè scire conuenit. neque enim minorem ad docendum uim imagines, quàm literarum notæ habere solent. aut certè eò adhibentur, ut illis cultum uenerationemq; quis deferat, quemadmodum à sacrilegis Idololatris impiè factitatum est, & à nobis per summam pietatem & religionem fit. Cùm enim animus impietatis sedes existat, illi certè gestus ac corporis motus impietatis dãnãdi sunt, qui à nefaria, ac impia persuasione proficiscuntur. De duobus primis imaginum usibus, qui nihil habent cum religione commune, nulla fuit unquàm inter catholicos & hæreticos controuersia. quinimmo Solomon cùm maximè ab omni impietatis significatione abhorrebat, uariis imaginibus augustissimum illud templum illustrauit & cohonestauit. De postremis uerò duobus imaginum rationibus, uariæ sunt hæreticorum huius temporis sententiæ. Kemnicius uerò, cum quo mihi potissimùm res esse, nondũ ita insaniuit, ut illarum historicum usum damnare

au-

audeat; probare tamẽ nullo modo poteſt, quòd Colonienſes dicant, non modò rudes & ignaros homines, ſed etiam doctos, plus interdum imaginibus, quàm libris commoneri: quod in lectionem ſcripturæ ſacræ maximè putat eſſe contumelioſum. *de qua* (inquit) *habemus promiſſionem, de imaginibus uerò minimè*.
Principiò nemo ſanè, niſi oculis orbatus ſit, negare poteſt, tantam eſſe uiſionis uim, ut animus multò magis conſpectis, quàm auditis rebus afficiatur. Quare cùm imagines rem ipſam ueluti ſub aſpectũ ponant, fit, ut animus ea, quæ depicta cernit, ueluti præſentia complectatur, atque ita imagines duplicem uim ad animos afficiendos habent; nam & rem geſtam non ſecus, quàm ornatiſſimè conſcriptæ hiſtoriæ narrant, & res ipſas ueluti præſentes exhibẽt. Quare Gregorius Nicenus teſtatur, ſe quàm ſæpiſſimè lacrymas continere uix potuiſſe, cùm Chriſti cruci affixi imaginem intueretur. Id uerò qui exiſtimat Dei uerbis, ſacriſq; literis iniurioſum eſſe, ſatis prodit, ignorare ſe prorſus, in quo diuini uerbi uis ac ratio poſita ſit. Nam ſi ad ea, quæ D. Auguſtinus de ſignis tradit, animum aliquando aduertiſſet, ſatis profectò perſpexiſſet, nõ minus ſacrarum rerum imagines, Dei uerba dicendas eſſe, quàm uoces, quibus illæ explicantur, aut ipſæ, quibus conſcriptæ ſunt, literarum notæ. Cùm enim rerum aliæ ad aliquid notandum, atque deſignãdum adhibeantur, quæ ideò ſigna dicuntur, aliæ nihil prorſus ſignificent, omnis quidem ſignorum uis, in ſignificando poſita eſt, atque à ſignificatis rebus pendet. Eſt enim ſignum (ut D. Auguſtinus ait) res præter ſpeciem, quam ingerit

Gregor. Nicen. ſerm. de Abrahá.

Aug. lib. 2. de doc. Chriſt.

rit sensibus, aliquid aliud ex se faciens in cognitionem uenire, sicut uestigio uiso transisse animal, cuius uestigium est, cogitamus. signorum uerò, eodem Augustino auctore, quædam ad oculorum sensum pertinent, pleraque ad aurium, paucissima ad cæteros sensus. Cum uerò cuncta, tàm quæ auribus, quã quæ oculis percipiuntur, signa solùm sint, ad significandum comparata, prudenter admodum idem Augustinus ait, uisibiles quasdam uoces appellari posse: quippe quæ earum rerum, quarum sunt signa, cognitionem, non secus, quàm uoces nobis suppeditant. Cum igitur eximia illa uirtus, quam Diuinis rebus, sacrisq; literis cœlestia oracula tribuunt, non in aeris cogitatione uocisq; sono, neque in ipsis literarum notis, sed in rebus significatis posita sit, parũ sanè refert, per aures'ne, an per oculos illis aditus ad animum pateat; atque auribus an oculis signa diuinas res designantia percipiantur. Quare cùm non alium Christum nobis imagines annuntient, quàm uerũ illũ Dei filium, qui sacris literis continetur, nõ minus sanè sacrarum rerum imagines, Dei uoces cœlestiaq; oracula appellari, quàm uerba sacris literis compræhensa, possunt. Nam si cœli enarrant gloriam Dei, si illius infinitam potentiam enunciat firmamentum, si Dei opera omnia uisibiles quædam sunt uoces, nos Dei gloriam, maiestatem, & amplitudinem docentes, quid est, quòd imagines eadem ipsa, quæ Euangeliorum uolumine continentur, mysteria, oculis subijcientes, diuinarum uocum nomine indignas iudicemus? aut si diuinæ sunt quædam uoces, quo modo Dei uerbis is iniuriam infert, qui

magis

magis eorum ſe intuitu, quàm ſacrarum literarum lectione quandoque affici fatetur? magiſq; commoueri ait, cùm Chriſtum cruci affixum intuetur, quàm cùm rem geſtam literis conſignatam legit? Age, quæſo Kemnici, magnam'ne illũ diuinis uerbis ſacriſq; literis ignominiam innuiſſe putas, qui ſurdo homini, qui uarietates uocum ac modos noſcere non poteſt, corporis motibus diuinas res ſignificaret? quòd ſi eum omni culpa uacare arbitraris, quippe quia diuinorum uerborum uirtus in rebus ipſis ſignificatis magis, quàm in ſignis ineſt, quid eſt, quòd reos illos facias, qui multò magis commouentur, cùm ſacras res oculis quàm auribus uſurpant? quid, cedò te impulit, ut hiſtoricum imaginum uſum non eſſe improbandum putares? ſi tibi conſtas, nihil certè aliud, quàm quòd illæ diuinas nos res doceant, & ue luti præſentes exhibeant. quid igitur ille criminis admiſit, qui quandoque mauult oculis, quàm auribus doceri? Quocirca octaua Synodus generalis definiuit, ſacram Domini noſtri Ieſu Chriſti & omnium Saluatoris imaginem æquo honore cum libro Euangeliorum adorandam eſſe. quippe quia ſicut (inquit) per ſyllabarum eloquia, quæ in libro feruntur, ſalutem conſequuntur omnes, ita per colorum imaginariam operationem & ſapientes, & idiotæ cuncti, ex eo, quod in promptu eſt, perfruuntur utilitate. Quæ enim in ſyllabis ſermo, hæc & ſcriptura, quæ in coloribus prædicat & cõmendat. Quare nihil eſt, Kemnici, quòd ſanctam Romanam Eccleſiam reprehendas, quòd in omnibus angulis Chriſti crucem collocari uelit; cùm hoc egregium ſignum tacita ſit quæ-

dam uox, quæ nos perpetuò Christianæ uitæ, gloriæ, atque instituti admonet.

Imagines adorandas esse, et quo modo.

AT Kemnicius, qui historicum imaginum usum damnare non audet, acerrimè insectatur Colonienses, quòd uenerandas atque adorandas esse illas censeant. quos quanuis idololatriæ condemnet, irrisionibus tamen magis, quàm rationibus illorum doctrinam oppugnat, quam paucis expendamus necesse est. Cùm imagines signa quædam esse demonstrauerimus, in quibus non tam est spectandum quid sint, quàm, quid significent, peruium sanè atque apertum esse cuiuis poterit, non debere cultum, non pietatem, non religionem, non mentem atque animum in externa effigie persistere, sed ad eas res, quarum signa sunt penetrare, illisq; omnem cultum & uenerationem deferre, quos tanti fecimus, ut & illorum memoriam perpetuò conseruare, & eos egregio cultu ac ueneratione prosequi uellemus. Nam cùm effigies ipsa inanime quoddam atque mutum simulacrum sit, nemo sanè esse tam stupidus potest, ut cũ se ante imaginem prosternit, spectrum ipsum humano ingenio fabricatum intueatur, ab illo opem atq; auxilium petat, quod omnis esse diuinitatis expers satis nouit, sed omnem cultum in illum transfert, quem imago præsefert ac repræsentat, atque adeò, quanquàm si corporis motus, externamq; ueneratio nem spectes, imago ipsa colatur, animæ certè, quæ pietatis religionisq; sedes est, nihil minus quàm lignum, colores, atque imaginem intuetur, sed totus in re, quam imago refert, positus est. Quare qui imaginem se adorare & affirmabit, & negabit, non pu-

gnantia quidem, sed inter se aptissimè cohærentia dicet, nam & corpore se ante imaginem obijcit, illamque eximio honore ac ueneratione prosequitur, & animum in re, quam imago illa refert, defixum habet, corporisq; illis motibus animi sui aduersus Diuos Christumq; ipsum pietatem atque religionem, quoad eius fieri potest, testatur. Neque enim ulla est tam imperita & ignara anus, quæ cùm uota ad certam aliquam Deiparæ uirginis imaginem nuncupat, aliud quidpiam animo complectatur, quàm cœli illam Reginam, quàm Christi esse matrem credit, à qua opē, atque auxilium implorat, quam animi sui pietatem nulla re magis se declarare posse arbitratur, quàm si hanc aut illam imaginem, quæ cœlestem ipsius personam refert, & repræsentat, omni ratione ueneretur. Quod uel ex eo sanè euadet manifestum, quòd si agresti cui uis ac barbaro homini imago aliqua offeratur, quam is alicuius diuorum esse ignoret, nullum quidem religionis signum edet: at cùm primùm intellexerit Pauli illam aut Petri esse, mox plurima exhibet religionis suæ documenta. quippe qui satis nouit non imagines se, sed illos, qui in cœlis sunt Diuos, nos colere & uenerari debere. cùm igitur uerus ac legitimus cultus in Christum Diuosq; ipsos referatur, ad quorum uenerationem imagines inuitant, & allectant, is sanè imaginum uenerationē solus damnare potest, qui res, quibus imagines adhibemus, ueneratione iniquas esse iudicat. Quod apertè sanè declarauit magnus ille Athanasius, qui causam inuestigans cur cruces fabricemus, quibus Christi crucem repræsentemus, minimè uerò spongiæ ac lanceæ figuram

Athana. in quæst. ad Anthio. quæst. 16.

figuram formemus, cùm tamen hæc nõn minus sint sancta quàm crux: respondet, figuram quidem crucis ex duobus lignis compingentes conficimus, ut si quis infidelium id in nobis reprehendat, quòd ueneremur lignum, possimus duobus inter se disiunctis lignis, & crucis drempta forma, ea tanquàm inutilia ligna reputare, & infideli persuadere, quòd non colamus lignum, sed quòd crucis typum ueneremur: in lancea uerò aut spongia, uel arundine, nec facere hoc, nec ostendere possimus. Et contra Arrianos agens, Si quis (inquit) post conspectam imaginem, uelit regem uidere hunc, ad eum modum ita imago iure loqueretur, Ego & rex unum sumus: ego enim in illo sum, & ille in me, & quod in me animaduertis, id quoque in eo animaduertas, & quod uideris in illo, uideris & in me. Qui igitur adorat imaginem, in illa adorat ipsum regem; quippe cùm ipsa imago nihil aliud sit, quàm regis forma ac species. Quod ipsum Magnus Basilius sæpe edocet, nam contra Arrium ac Sabellium disputans, Neque (inquit) qui in foro imaginem regiam intuetur, & regem dixit eum, qui in tabula est, duos reges confitetur, tum imaginem, tum eum, cuius est imago; neque si ostenso, qui in tabula pictus est, dixerit, hic est rex, exemplar, regis appellatione priuat, immo potius illius honorem per huius confessionem confirmat. si enim imago rex est, multò profectò uerosimilius est, regem esse eum, qui imagini causam exhibuit. Et alibi, Quomodo (inquit) unus & unus, non duo Dei? quia rex dicitur etiam, regis imago, & non duo reges: neque enim imperium scinditur, nec gloria diuiditur,

Athana. serm. 4. cótra Arrianos.

Basil. serm. contra Arrium, & Sabellium.

Basi. lib. de Spirit. Sancto.

uiditur. quemadmodum enim principatus, & potestas una est, quæ nobis dominatur, sic etiam glorificatio à nobis una est, & non multæ, propterea quòd imaginis honor ad exemplar transit. Cùm igitur omnis, qui imaginibus adhibetur cultus, in rem ipsam, quam repræsentant referatur; illi sanè, qui imaginum uenerationem damnant, ipsismet Diuis, quos nobis imagines quodam modo præsentes exhibent, cultum, atque honorem inuident.

QVÒD si diuina mysteria sacris literis consignata penitus cõsideremus, uidebimus sanè, imaginum cultum cum ipsa ferè hominum aduersus Deum pietate & religione incœpisse. Nam si Origeni, Eusebio, Hilario, plurimisq; aliis sanctis Patribus fidem habeamus, confitebimur, Dei filium humana effigie assumpta, Adamo, Abrahamo, cæterisq; sanctis Patribus apparuisse, quoties scriptura ait, Deum in illorum se conspectum dedisse. quæ humana effigies, imago quædam illius erat corporis, quod tempore diffinito à Patre erat assumpturus, quo & summum in nos amorem Christus declarabat, & humanam naturam ei semper in maximis deliciis fuisse non obscurè significabat. Cùm igitur sancti illi Patres diuino spiritu afflati, hominis illam effigiem, quam intuebantur, & quæ Christi humanitatem repræsentabat, non secus quàm Deum ipsum uenerarentur, an non satis nos docuerunt, quem honorem imaginibus habere debeamus? Parum enim ad rem, dequa agimus, refert; ex ære'ne, ligno, auro, argento, aut aere, imago formata sit, & humana, an diuina opera sit fabricata. Nam cùm omnes imagines parem *Gen.c.8.*

ha-

habeant repræſentandi uim, par certè omnibus debetur cultus, quà imagines ſunt; et ſi imagines humana arte fabricatas piaculum eſt adorare, minimè etiam eas colere integrum foret, quæ miraculo formatæ eſſent. Quocirca cùm Dei filius, toties humanitatis ſuæ imaginem uenerandam ſanctis Patribus exhibuit, apertè ſanè declarauit. quo honore ea nos proſequi oporteat, quæ illum referunt ac repræſentant. Vnde etiam fuit, quòd Dominus, filiorum Iſrael, qui à ſancta Hieroſolymæ ciuitate abeſſent, preces tum illi gratas fore ſignificauerit, cùm eas Hieroſolymam uerſus funderent; quippe quia in ea augustiſſimum illud erat templum exædificatum, quod Chriſti filii ſui corpus repræſentabat. Si item ad ignem, quem in rubo Moſes uidit, ſummoq; honore proſecutus eſt, ſi ad ignis columnam, quæ ad portam tabernaculi, cunctis filijs Iſrael aſpectantibus apparuit, & unde Dominus Moſem alloquebatur; ſi ad auram illam, quam Helias in monte Dei Horeb conſpexit, animum aduertamus, facilè uidebimus, hæc omnia, quaſdam fuiſſe Dei imagines, quæ ipſius numen atq; maieſtatem referebant. quas tamen tanto honore ſanctiſſimi illi uiri proſecuti ſunt, ut Moſes non ſolùm pedes nudauerit, ſed faciem etiam abſconderit. Neque enim (inquit) audebat aſpicere contra Deum. Helias item in terram abiectus, uultum pallio occultabat. qui tamen non ita erant diuinarum rerum ignari, ut diuinitatis aliquid in rebus, quas intuebantur, ineſſe exiſtimarent, ſed cùm Deũ ueluti præſentem illæ exhiberent, pietatis ſanè erat, eas ſummo honore proſequi, ac uenerari.

3. Regũ. c. 8. et Daniel c. 6. *Exod. 3.* *Exo. 33.* *3. Regũ. c. 19.*

Quòd

QVÒD si Arcæ fœderis, quam Dominus à filiis Israel maximi fieri uoluit, maiestatem expendamus, perspiciemus sanè, nihil aliud eam numinis habuisse, quàm quòd diuinorum beneficiorum monumenta contineret, Dei gloriam repræsentaret, humanamque Christi naturam, in qua habitabat, omnis plenitudine diuinitatis præfiguraret. at quem illi honorem sanctissimi uiri habuerint, uel ex eo satis cõstat, quòd Dauid non modò summa cum pompa in domum suam illam trãsportauerit, sed quòd Regiæ amplitudinis oblitus, diademate, omnibusq; imperii insigniis atque splẽdore abiecto, accinctus ephod lineo, coram illa totis uiribus saltauerit. Quocirca quanuis tu, Kemnici, eximiam nostram erga imagines, quæ Christum, & diuos non minùs referunt, quàm fœderis illa arca Dei gloriam repræsentabat, pietatem, & religionem, sicut olim inanissima Michol irrideas; breui tamen fiet, ut uberrimum nos, atque sempiternum pietatis fructum, sicut olim Dauid, reportemus, tu uerò in infami Micholis sterilitate permaneas. Nam quemadmodum tùm maximè nostram erga Diuos pietatem declarare arbitramur, cùm illis statuas in templis statuimus; ita qui illas contemnunt & abijciunt, non æri aut ligno, sed Diuis ipsis iniuriam inferunt. Qui enim (inquit Ambrosius) Imperatoris imaginem coronat, utique illum honorat, cuius imaginem coronauit, & qui statuam contempserit Imperatoris, Imperatori utique, cuius statuam conspuerit, fecisse uidetur iniuriam. Vnde fuit, ut religiosissimus Constantinus lege caueret, ne ipsius imago, quæ deprecantis formam ac similitudi-

2. Reg. c.6.

Ambr. in Ps. 118. serm. 10.

Euse. lib. 4. de uita Constant.

militudinem habebat, in idolorum templis colloca retur. summam enim inde contrahere ignominiam est arbitratus, si aliquam ipsius imago impietatis spe ciem præ se ferret. Iulianus uerò Imperator, qui nihil antiquius habebat, quàm omni contumeliarum genere Christi sanctissimum nomen afficere, ut immane hoc ac crudele odium declararet, Christi imaginem, quam in Cæsarea Philippi repererat, antiqui tate & miraculis clarissimam, quæ egregium illud beneficium, quod Christus in mulierem sanguinis profluuio laborantem, contulerat, accõmodatissimè repræsentabat, contumeliosè deiecit, suamq; in illius locum substulit, atque supposuit. Sed ecce sacrilega illa Iuliani effigies de cœlo tacta, non modò cõminuta, sed maxima ex parte humata est. quo miraculo pij omnes animati, Christi illam imaginem in templum detulerunt, atque (ut Nicephorus auctor est) in Diaconico Ecclesiæ collocarunt, & honoratio ri loco positam, cultu conuenienti prosecuti sunt. nam locum (inquit) libenter frequentantes, & imaginem ipsam inspectantes, desiderium suum & amorem erga statuæ ipsius archetypum, primariumque exemplar declarabant. At impii & scelerati homines, qui tantum hunc Christi honorem in inanium Deorum, hoc est, dæmonis ipsius dedecus & ignominiam redundare arbitrabantur; insano quodam furore perciti, furiarumque quasi tædis ardentibus agitati, sacram illam imaginem arreptam funibus ad pedes iunctis, hac illac per mediam urbem summo cum dedecore & ignominia traxerunt, omniumq; contumeliarum genere affe-

Sozome. hist. Eccl. li. 5. c. 21

Niceph. hist. eccl. lib. 10. c. 30.

affecerunt (quod & ipſe, Kemnici, à tuis etiam Deiparæ uirginis Mariæ imagini fieri aliquando, non ſine maximo animi mei dolore uidi) quæ tamen impietas minimè ſanè piorum hominum animos frangere, & abijcere potuit. plurimi nanque Chriſtianorum eas imaginis partes, quæ ex tanto illo incendio ſuperfuerunt, colligentes, in Eccleſiam religioſiſſimè reportarunt. Quod quantùm abſit à ſuperſtitione, ſatis quidem uidebis, ſi ſanctorum Patrum, qui ubique floruerunt, ſcripturarum monumenta euoluas. quippe incredibili ſemper Chriſti ſanctorumq; imagines honore fuerunt proſecuti. Quod uel ex Baſilii Magni uerbis intelligere poteris, Sanctos (inquit) Apoſtolos & Martyres & ad ſupplicationem, quæ eſt ad Deum, inuoco, ut per eos, ideſt, per interuentionem eorum, propitius mihi ſit miſericors Deus, & culparum redemptio fiat. unde & characteres imaginum eorum honoro & adoro, præcipuè cùm hoc traditum à ſanctis Apoſtolis, & nõ prohibitum ſit, quin & nobis & Eccleſiis noſtris oſtendatur depictum. D. uerò Gregorius Magnus, quem ex ueſtris plurimi ſuæ impietatis patronum ſceleratè adoptarunt, Secũdium his uerbis compellat, Scio quidem quòd imaginem Saluatoris noſtri non ideò petis, ut quaſi Deũ colas, ſed ob recordationem filij Dei in eius amore recaleſcas, cuius te imaginem uidere conſideras, & nos quidem non quaſi ante diuinitatem, ante illam proſternimur, ſed illum adoramus aut natum, aut paſſum, ſed & in throno ſedentem recordamur; & dum nobis ipſa pictura, quaſi ſcriptura, ad memoriã filium Dei reducit, animum noſtrum aut de reſurrectione

Baſil. in epiſt. ad Iulian.

Gregor. epiſt. ad Secundinũ c. 53.

2. uolu. Concil. inter decr. Grego. 3.

ctione lætificat, aut de passione mulcet. De Gregorio uerò Tertio, sanctissimo Pontifice memoriæ proditum est, quòd dum daret operam funeri Gregorij secundi prædecessoris sui, literas ad Carolum dedit, ut Italiam à Longobardis liberaret, Synodumq; Episcoporum nonagintatrium coegit, quæ oppugnatores cultus imaginum damnauit. qua de re cùm literas comminatorias ad Leonem Imperatorem, & Constantinum illius filium misisset, & tabellarij, qui per annum integrum detenti fuerant, contumelijs affecti, ad illum re infecta redijssent, ex illis Georgius presbyter, qui literas Imperatori reddere ueritus fuerat; ad eundem (inquit) Imperatorem reuersus est, sibi pœnitentia imposita. quo tempore præclarissima sanè Pontifex sanctissimus Christianaq; plebs uniuersa pietatis & religionis erga imagines documēta dedit. Quanto uerò cum studio Christiani homines crucis signum, Christiq; imaginem semper coluerint, uel ex impijssimo Iuliano constare poterit, qui fidelibus apud Cyrillum obiicit, quòd Iouis, ac Martis simulachris abiectis, crucis signum adorarent, illiusq; imaginem in fronte, & ante domos pingerent. quòd Cyrillus non quidem inficiatur, sed à nobis fieri respondet; quia hoc salutare lignum nobis Christi infinita in nos merita in memoriā reuocat; & suadet (inquit) ut cogitemus, quòd sicut dicit D. Paulus, unus pro omnibus mortuus est, ut uiuentes non ultrà sibi ipsis uiuant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. multisq; demonstrat, quantum crucis effigies nobis commodi atque emolumenti adferat. Quibus autem uerbis septima Synodus ad Con-

Cyr. lib. 6. contra Iulianū.

7. Synod. actio. 7.

stantinum

ſtantinum Imperatorem & Irenem matrem ſcribens imaginum cultum commendet, diligenter, quæſo, aduerte, In confeſſo (inquit) eſt, & ſine ulla dubitatione credimus, acceptam, & placitam coram Deo eſſe uenerandarum imaginum depictionem, & earũ, quæ diſpenſationem domini noſtri Ieſu Chriſti exprimunt, & Virginis quoque Mariæ Deiparæ, intemeratæ: quin etiam glorioſorum Angelorum, & omnium ſanctorum, has quoque adorandas eſſe, & ſalutandas putamus. qui uerò ita non eſt animatus, ſed circa uenerationem ſanctarum imaginum laborat & dubitat, eum Anathematizat ſancta & uenerãda noſtra Synodus, quæ efficacia diuini Spiritus, & Eccleſiaſticis Patrum traditionibus munita eſt, & cincta. At non memineram non minus uobis ſacroſanctam hanc Synodum odioſam atque inuiſam eſſe, quàm imagines ipſas. Quare quid in octaua acciderit, auſculta. Aderat fortè Synodo Theodorus quidam Iconoclaſta, qui in magno ſe precio habere iactabat nu- *8. Synod. actio. 8.* mum ſibi à Baſilio Imperatore donatum, quo eiuſdẽ Imperatoris effigies impreſſa erat, cumq; ei Concilij Patres multis perſuadere conarentur, ut Chriſti etiã ac ſanctorum imagines debito cultu, ac ueneratione proſequeretur, reſpondit, non prius ſe honorẽ imaginibus habiturum, quàm ſibi ea de re Chriſti præceptum fuiſſet oſtenſum. Quare eorum, qui ab errore Iconoclaſtarum reuerſi erant, unus præcelſum quendam, atque editum locum cõſcendens ſingillatim Anathematizauit hæreſim Iconomachorum, & primores eius, & Patriarchas Theodotium, uidelicet, Antonium, Ioannem, & Theodorum nominatũ

Christinum.& paulò inferius scriptum extat; Deinde aduocãs Basilius pijssimus & Magnus Imperator, unumquenque ipsorum, osculatus est eos, & dixit; Nũc erepti estis à diabolica possessione, & facti estis Christiani uerissimi, & saluandi estis cum omnibus orthodoxis à Christo Deo nostro, & uita æterna efficiemini digni. nam nisi hæresim Iconomachorum Anathematizassetis, Christus uobis nihil prodesset. & haud multò pòst, Anathematizat sancta hæc & uniuersalis Synodus Theodorum, & omnes con sectaneos eius, qui imaginibus nullum honorem habendum esse existimabant, tàm qui nunc adhuc super sunt, quàm qui in eodem sensu & opinione uita excesserunt. Quam sanctorum Patrum perpetuam & constantem fidem, ut Constantinus ille Magnus declararet, cœlestiq; admonitioni obtemperaret, crucis signo pro labaro (quod militare uexillum est, auro gemmisq; illustre, ante Imperatorem gestari solitum, quod milites adorare consueuerant) utebatur, ut milites cultum atque honorem illi perpetuò deferrent, ut Sozomenus auctor est. quam egregij Imperatoris pietatem, diuinum numen maximis uictorijs sibi grauissimam esse declarauit. Ne uerò in inculcandis sanctorum Patrum apertissimis testimonijs molestus sim; perlege, Kemnici, quæ hac de re D. Damascenus elegantissimè scripsit,& apertè uidebis, ab ipsis Apostolorum temporibus, pios semper ac fideles homines persuasos fuisse, Christi sanctorum imagines egregio quodam cultu atq; ueneratione prosequendas esse,atq; quàm uerè à te dictum sit, *rem hanc obscuris solùm, atque abiectis auctoribus dignam esse.*

Sozome. li.1.c.4.

Non

Non tamen prætermittam quid ſanctiſſimo uiro acciderit, cùm Leonis Iſaurij impijſſimis conatibus obſiſtere omni ratione conaretur. Nam cùm hic ferus atque immanis imaginum hoſtis, tanto eas odio proſequeretur, ut illarum cultores ultimo ſupplicio afficeret, aut certè in extremas oras relegaret; Ioannes Damaſcenus, qui tantam Chriſti, Diuorumq; ignominiam ferre nullo modò poterat, & Apologiam eruditiſſimam pro imaginum cultu conſcripſerat, datis ad pios, fidelesq; homines creberrimis literis, illos in officio pietateq; erga Chriſti, diuorumque imagines continere ſtudebat. Cùm uerò iniquiſſimus Imperator ferre non poſſet, impiiſſimos eius conatus pauperis & abiecti cuiuſdam monachi opera eludi, Damaſceno Regi perſuaſit, Ioannem illum monachum, nefarium eſſe quendam perduellem, qui nihil ardentius optaret, quàm patriam unà cum ipſo Rege prodere. Quare ſubita indignatione commotus barbarus Rex, dexteram ſanctiſſimi uiri, qua pro fligatiſſimum Leonem irritauerat, abſcindi iuſſit: ut quæ paulò antea atramento piiſſimè conſcripſerat, ſanguine conſignaret. At uir hic pietate & eruditione illuſtriſſimus, rara quadam & inſolēti ſpe erectus & animatus, ad Virginis Deiparæ quandam imaginem confugit, ab illa, cuius cauſſa in tantam fuerat ærumnam & calamitatem coniectus, opem atque auxilium depoſcebat, maximisq; ab ea precibus contendebat, ut ſtupendo aliquo miraculo & ipſius innocentiam, & quàm piam ac iuſtam cauſam tueretur, declararet. Sed ecce arctiſſimus quidam ſomnus ſanctiſſimum uirum complexus eſt, diuinoq; benefi-

Ioan. Patriar. Cōſtantin. de uita Ioan. Damaſceni.

cio,

cio, ei manus est subitò restituta, atque, ut ipse narrare solitus erat, in somnis ueluti cœlitus admoneri, sibi uisus est, ne ab incœpta imaginum defensione ulla ratione abduci unquàm posset. quod quàm egregiè præstiterit, apertè sanè illius scripta omnia testantur.

QVÒD si te, Kemnici, eorum, qui imagines religiosè semper coluerunt, uitæ integritas, sanctitas, innocentia, summa cum auctoritate coniuncta, parùm mouent, illorum sanè, qui ipsas insectati sunt, tantæq; impietatis auctores semper extiterunt, perfidia, uitæq; turpitudo ab hác te sententia abducere,
7. Synod. atque abstrahere, debuisset. Primus enim, qui Chri
actio. 5. sti sanctorumq; imaginibus bellum indixit, fuit Sarantapechis quidam Hebræus ueneficus, atque præstigiator, qui per id temporis erat Tyberiadis Dux, qui præter odium, quod uafra hæc, & perfida gens in Christi nomen habet, innatum, atque ueluti ab ipsa natura penitus insitum, omnis erat dissensionis amantissimus. Quare, ut Christo, cuius erat infestissimus hostis, atrocissimam iniuriam inferret, Ezido Imperatori, homini leui & inconstanti, omnibusq; fœdis uoluptatibus, quæ rationis inimicæ esse solét, delinito, triginta annorum uitam pollicitus est, si omnes imagines euerteret, atque demoliri faceret. Quibus inanissimis pollicitationibus, leuissimus Imperator inductus, hoc tantum facinus Hebræis atque Arabibus impijs, & sceleratis hominibus commisit. quippe quia nullus unquàm pius atque uerè Christianus extitit, qui tanta iniuria eorum effigies afficere uoluerit, quos omni pietatis cul

tu uenerandos esse ducebant. Non tamen defuit unus Nacoliæ Episcopus, qui se magis Iudæis atque Arabibus Christiani nominis hostibus, quàm pijs & fidelibus hominibus, aggregare uoluerit. diuina tamen prouidentia factum est, ut sacrilegus Imperator, qui longioris uitæ spe, tanquàm mercede, ad tantum scelus fuerat impulsus, paulò pòst, hoc est, ante duos annos mortuus fuerit sceleftus uerò ille Hebræus iustas sceleris sui pœnas luerit. Nam ab Vlido, Ezidi filio, imperijq; successore ac hærede, morte mulctatus est.

IN Syria uerò tantæ huius impietatis, Zenone imperante, auctor extitit Xenaias quidam, callidus ac nefarius homo, qui cùm fugitiuus seruus esset, necdum sacro lauacro expiatus, clericum se esse simulauit; quare à Petro Cnapheo hæretico homine Episcopus Hierapolitanus creatus est, atq; Philoxenus dictus. Cùm uerò Cnapheus intellexisset, hominem à se nondum baptizatum, Episcopum factum fuisse, sufficere dixit pro baptismo consecrationem. Hic igitur Xenaias cùm nactum se esse occasionem uidit, ut impietatem prodere, atque declarare posset, persuadere populo studuit, Christi, & Diuorum imagines nullo esse cultu ac ueneratione prosequendas. Cuius tamen impietatis auctores, etsi non minoribus quàm uos fuerint præsidijs communiti, illorum tamen insania non aliter, quàm cæteri portentosi errores, deleta fuit prorsus atque extincta. Nam si potentiam spectes, plurimi quidem fuerunt Imperatores, qui eam armis, magis quàm officio, in Ecclesiam introducere conati sunt: si ex scripturis ducta argu-

Niceph. hist. eccl. lib. 16. c. 27.

menta

menta quæras, eiſdem ſanè, quibus uos, ſcripturarum teſtimoniis Eccleſiam oppugnarunt. Semper.n. in ore habebant diuinum illud præceptum, toties à Deo per Moſem repetitum, à uobis uerò Dei Eccle-
Exo.20. ſiæ petulantiſſimè obiectum, Non facies tibi ſculptile, neque omnem ſimilitudinem, quæ eſt in cœlo de ſuper, & quæ in terra deorſum, nec eorum, quæ ſunt in aquis ſub terra. Quibus uerbis plurimi non incommodè arbitrantur, ſolùm prohiberi ne quis Deum alium, præter uerum coleret. quod Leuitici illa uer-
Leuit. c.26. ba docere apertè uidentur, Non facietis uobis idolum, & ſculptile, neque titulos erigetis, neque inſignem lapidem ponetis in terra ueſtra, ut adoretis eum, ego enim ſum Dominus Deus ueſter: cuſtodite ſabbata mea, & pauete ad ſanctuarium meum, ego Dominus. Si tamen ſcripturæ loca omnia inter ſe conferamus, apertè ſanè uidebimus, non quidem pingendi, atque ſculpendi artem à Deo prohiberi, cùm Dominus multarum rerum ſimilitudines fieri iuſſerit, omnesq; rerum notiones animis noſtris inſitæ, eorum, quæ ſenſibus percipimus, imagines quædam ſint, quas non uerbis ſolùm, ſed quauis etiam alia ratione exprimere licet. At ne quis eſſet in cultu error, cauit Deus, ne ullam filii Iſrael facerent Dei, quem nemo unquàm uidit, ſimilitudinem, & cuius formam, atque ſpeciem percipere nemo homi num poteſt. Nam cùm cultus, qui imaginibus defertur, in id, cuius ſunt imagines, potiſſimùm referatur;
Ro.c.1. corporea uerò ſimilitudo, non niſi rem corporeã, atque creatam repræſentare poſſit; Dei ſanè ueritatem in mendacium ii commutant, atque creaturæ

potius,

potius, quàm creatori ii seruiunt, qui Deum in aliqua corporea imagine colunt,& uenerantur. Quare, etsi filii Israel cum aureo uitulo diuinos honores detulerunt, Deumq; illum appellarunt, qui ipsos de terra Aegypti eduxerat, non aurum ipsum colerent, sed numen,quod uitulo repræsentari arbitrabantur, idololatriæ tamen damnati sunt, quippe qui non Deum, sed bouem reipsa uenerabantur. Cùm enim bouis imago nisi bouem referre possit; qui ita insaniebant, ut illum adorarent,quem aureus uitulus repræsentare poterat, boues sanè diuinis honorib. afficiebãt. Quare Dauid sanctissimus, eos dixit mutasse gloriã suã in similitudinẽ uituli comedẽtis fœnum. Cum.n.Deus sit incõpræhẽsus,illiusq; formam qualis sit,ne suspectione quidẽ attingere ualeamus, detestabilis amentiæ est, opere uelle,atq; artificio uim illius numinis sempiternam imitari, illudq; uelle similitudine exprimere,cuius nullum exẽplum sit,ad quod manum,atq; artem dirigere possis. quo spectãt illa Iesaiæ uerba, Cui similẽ facietis Deum, aut quã imaginẽ ponetis ei? Nunquid sculptile conflabit faber,aut artifex auro figurabit illud, & laminis argenteis argentarius? Quocirca id potissimùm Deus prohibebat filijs Israel, qui ad Idololatriã ualde procliues erant, atq; propensi, ne ullum diuinæ maiestatis simulacrum formarent, sed ante tabernaculũ, quod Dei gloriam ipsis repræsentabat, omnes pauerent. Quod satis quidem declarauit, cùm præcepti huius causam reddens, ait, Non uidistis aliquam similitudinem in die, qua locutus est nobis Dominus in Horeb de medio ignis. Ne fortè decepti faciatis uobis,

Exo.32.
Ps.101.
Iesa.c.40.
Deut. 4.

sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, aut
Deut.5. fœminæ. Quinimmo scriptura ait, Dominum ad filios Israel de medio caliginis locutum fuisse, nihilq; eos præter ignem, nubem, atque caliginem inspectare unquàm potuisse. ut intelligerent, non eum esse Deum, qui humana arte atque ingenio figurari posset. Nam si alicuius rei similitudinē, cum Deus eos alloquebatur, uidissent, eam existimarent Dei esse effigem, taliq; forma Diuinum numen præditum esse arbitrarentur, quale illius imago præseferret. Et
Rom.c.1 D.Paulus eorum insaniam reprehendit, qui mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei, in similitudinem imaginis corruptibilis hominis, & uolucrum & qua-
Iustin.2. apolog. drupedum, & serpentium. illi enim, ut Iustinus martyr auctor est, diuinitatis se formam exprimere taliq; Deum effigie, præditum esse arbitrabantur, qualem spectra ipsa præseferebant. A'qua impietate cùm nos absimus quàm longissimè, non est, quòd diuina illa præcepta quis nobis obiiciat, quinimmo summæ es-
Damasc. lib.4.de Fide orthodox. c.17. se dementiæ, extremæq; impietatis, cum Damasceno ducimus, diuinitatem, quam nulla ratio, nullum acumen, nullumq; ingenium consequi potest, effingere, atque figurare, & tales imagines Deo in Chri-
Aug.lib. de Fide et Symbolo c.7. stiano templo collocare, nefas cum Augustino, ducimus. De quo imaginum genere Concilium Elibertinum agere mihi sanè uidetur, cùm decreuit, ne picturæ in Ecclesiæ parietibus fierent, ne id, quod co-
Concilii Elibert. Can.36. litur, aut adoratur, in parietibus depingatur. At postquàm Dei filius humana se forma induit, & hominis naturam sibi arctissimè copulauit, multaq; gessit, ac perpessus est, quæ animo concipi, & effingi

manibus

manibus possunt, nullum certè impietatis specimen habet, Christi Iesu personam resq; ab illo gestas figurare, illiusq; imaginibus ad eum colendum, atq; uenerandum induci. neque est, mutare Dei ueritatem in mendacium, talem Dei filium figurare, qualem se efficere propter nos homines, & propter nostram salutem uoluit. Quinimmo cùm Pater, ac Spiritus sanctus aliquando se ueluti in præsentia, atque ante hominum oculos ponere, sub aspectabilibus aliquibus formis uoluerint, nullum certè is scelus suscipere uidetur, qui eas formas atque species finxerit, illisq; debitum cultum & uenerationem exhibuerit; quatenus res illas à Deo gestas referunt, ac repræsentant; quemadmodum cùm columbæ, aut ignearum linguarum specie Spiritum sanctum effingimus; cùm uenerandi cuiusdam senis specie, Dei Patris personam significamus, qui, ut suam æternitatem declararet, sub ea forma à Daniele uideri uoluit. Quantopere uerò illi insaniant, qui dicunt, per antiquum dierũ apud Danielem, non magis Patris quàm Spiritus sancti personam significari, satis intelliget, qui ad reliquum uisionis Prophetæ animum aduerterit, Aspiciebam (inquit) ego in uisione noctis, & ecce cum nubibus cœli quasi filius hominis ueniebat, & usq; ad antiquum dierum peruênit: & in conspectu eius obtulerunt, & dedit ei potestatem, & honorem, & regnum, & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient: potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur, & regnũ eius, quod non corrumpitur. satis autem ex plurimis scripturæ locis constat, Christo traditam esse à Patre omnem potestatem in cœlo, & in terra.

Dan.c.7.

Dan.c.7.

Hhhh 2 ita

Ita enim Dauid Christum loquētem inducit, Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie (hoc *Psal. 2.* est secundum Hebraicæ linguæ proprietatem) uerè & haud dubiè genui te: postula à me, & dabo tibi gētes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. nisi fortè unà cum imaginibus, diuinarū etiam personarum distinctionem isti auferre cupiūt. Cùm igitur sapientissimus Dominus his se formis, sub hominis aspectum ponere uoluerit, nemo sanè uitio uertere potest, si illius nos sapiētiam atque uolūtatem imitati eisdem eum speciebus effingamus, atque exprimamus. Neq; enim sexta synodus damnare, aut omnino improbare ausa est illam pingendi rationem, qua agnus, qui Christum refert, præcursoris digito monstratur, quanquàm consultius dixit, Christum humana specie figurare cùm agnus ad umbram, ueteremq; legem magis quàm ad nouā spectaret. At Kemnicius Eusebij nobis Cæsariensis auctoritatem objicit, qui cùm ait, Christi, sanctorumq; imagines in usu apud ueteres fuisse, affirmat ex Ethnica id consuetudine profectum fuisse. unde concludit, à pietate ac religione illarum usum abesse quàm longissimè. aduertere tamen debuisset Kemnicius, non omnia, quæ in Ethnicorum more ac consuetudine fuerunt, à sanctis Patribus abiecta fuisse & repudiata; sed sapienter instituisse, ut quæ illi impiè usurpabant, Christiani homines piè & religiosè conseruarent. Nam Dominus eisdem sacrificiis à filijs Israel coli uoluit, quæ Ethnici idolis faciebant, ut eisdem signis, quibus isti impietatem significauerant,

S. Synodus Constāt inop. Can. 82.

Eusebius histor. Eccl. lib. 7. c. 14.

rant,

rant, suam illi aduersus Deum religionem testatam apud omnium animos relinquerent. Quocirca omnes, qui ueram Ecclesiæ fidem confitemur, unà cùm Basilio Ancirę episcopo, palàm & apertè dicimus, imaginum confractoribus, Anathema: his, qui dicũt, quòd sicut ad Deos Christiani ad illas accedũt, Anathema: his, qui spernunt magisteria sanctorum Patrum, & traditionem catholicæ Ecclesiæ prætendentes & assumentes uoces Arrii, Nestorii, Eutichetis, Dioscori, Lutheri, Caluini, Zuinglii, Kemnicii, atque perhibentes, quòd nisi de ueteri, ac nouo testamento euidenter fuerimus edocti, non sequimur doctrinas sanctorum Patrum, atque traditionem catholicæ Ecclesiæ, Anathema: his, qui præsumunt dicere catholicam Ecclesiam aliquando idola suscepisse, Anathema.

Basilius Ancirę Episco. in 7. Synodo. ait. 1.

R. DO.

DIEGHI PAYVA ANDRADII, LVSITANI, ORTHODOXARVM EXPLICATIONVM LIBER DECIMVS.

De Cœlibatu.



VM princeps mũdi huius, cuius nos crudeli ac ſuperbiſſimo dominatu Chriſtus Ieſus liberauit, nihil ardentius optet, quàm à Chriſto inſtituta ſacramenta, in quibus potiſſima ſalutis noſtræ præſidia poſita eſſe intelligit, euertere atque demoliri, nulla ſe id ratione cõmodius efficere poſſe exiſtimauit, quàm ſi ſacerdotes, quibus illorum diſpenſatio commiſſa eſt, de medio tolleret, & Eccleſiaſticum ordinem funditus deleret, atque extingueret. Quare in ipſa humanæ naturæ infirmitate inſidias parauit, & in ipſa imbecilla carne laqueos propoſuit, quibus mortales deterriti egregium hunc, ac planè diuinum ſtatum, tanquàm ſaluti uehementiſſimè nociturum, fugerent, ac declinarent. Lutherum enim cæteroſq; perditos & ſceleratos homines, qui illius impietatem imitati, ab Eccleſia ſe Romana his tẽporibus præciderunt, ex Herebi ſedibus excitauit, qui clericorum cœlibatum omni ratione deteſtarentur, hominibuſq; perſuaderent, pauciſſimis ſolùm Deoq; in primis charis, poſſibile

eſſe

esse cœlibem uitam degere, sibiq; à fœdis uoluptatibus temperare. Quare tyrannicam esse Ecclesiæ legem, quæ nuptiis, Ecclesiasticis uiris interdicit. quippe quæ miseros homines in æterna impiorum supplicia, imasq; inferorum sedes præcipitet. Cùm enim Satan meminerit quantũ sibi unius Heuæ opera contulerit, ut uniuersum genus humanum ab altissimo iustitiæ gradu deiectum, in has miserias & angustias coniiceret, atque deprimeret; omnium sibi fœminarum ueluti auxilia nunc adiunxit, magnoq; impetu in Ecclesiasticum ordinem inuasit, ut & illi pudicitiæ, castimoniæque splendorem eriperet, & uniuersum tandem ordinem obrueret, atque extingueret. Quod ab aliis iam hæreticis factum esse, D. Hieronymus auctor est, qui procacissimas fœminas sibi asciuerunt, illarumq; opera in hominibus persuadẽdis utebantur, ut miseros homines uoluptatum illecebris delibutos, facilius deciperent, & in sua castra minori cum negocio pellicerent. Simon Magus (inquit) hæresim condidit Helenæ meretricis adiutus auxilio. Nicolaus Antiochenus omnium immunditiarum repertor, choros duxit fœmineos. Marcion Romam præmisit mulierem, quæ decipiendos sibi amicos prępararet. Apelles Philomenem suarum comitem habuit doctrinarum. Montanus immundi spiritus prædicator, multas Ecclesias per Priscam & Maxillam nobiles, & opulentas fœminas, primùm auro corrupit, deinde hæresi polluit. Quantum uerò Luthero horum mutatio contulerit, cumulatissimè quidẽ testantur Germania, Vngaria, Boemia, amplissimæq; aliæ prouinciæ hac pestifera labe infestæ, quæ

Hieron. epist. ad Ctesiphontem, aduer. Pelagianos.

tanta ſacerdotum inopia laborant, ut non modò Ecclesiarum multitudinem non exæquent, ſed uix unus ſacerdos reperiatur, qui præfici decem Eccleſiis poſſit, quæ uel potiſſima cauſa eſt (ut à grauiſſimis uiris ſæpius audiui) quòd plurimi tandiu in tantis illis hæreſum miſerijs uolutentur. Nam cùm homines à natura ſint ad effrenatam licentiam corporisq́; uoluptates procliues, nihil mirum, ſi honeſto nuptiarum nomine, honoratiq́; cõnubij ſimulatione, quàm plurimos circumuenire, & in omne turpitudinis genus inducere facilè potuerit. Neque enim ulla eſſe poteſt maior turpitudo, nulla tetrior fœditas, quàm perfidam, & ſacrilegam obſcœnitatem fucatis titulis cohoneſtare. Quòd ſi ad diuina oracula ſacris literis conſignata animum aduertamus, facilè uidebimus, quantum à nobis Deus exigat, ut fidem illi ſemel datam liberemus, quantumque illi ſcelus ſuſcipiant, qui promiſſam Deo corporis caſtimoniam fœdiſſimarum nuptiarum ſimulatione uiolare audent.

Deuter. 23. Cum uotum (inquit) uoueris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus, & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum: ſi nolueris polliceri, abſque peccato eris. Quod autem ſemel egreſſum eſt de labijs tuis, obſeruabis, & facies, ſicut promiſiſti Domino Deo, & propria uoluntate, & ore tuo locutus es. Prætermitto Prophetam Dauidem quàm ſæpiſſimè inculcantem, nihil ſe antiquius habere, quàm, quæ ſemel Deo promiſit ſumma cum fidelitate præſtare. *Ieſaias. c. 19.* Ieſaias certè inter Eccleſiæ, quam Chriſtus ex Aegypto conuocaturus erat, ſigna, atque notas enumerat, quòd uotis damnati,

nati, ea cum singulari pietate, atque sanctitate persoluerent. Cognoscent (inquit) Aegyptii dominum in die illa, & colent eum in muneribus, & uota uouent Domino, & soluent. Quare si Iesaiæ fides habenda est, illa sanè Christi Ecclesia esse non potest, quæ & uouendi morem atque pietatem damnat, & persoluendi uota studium irridet. At Andreas Fricius, qui hac nostra ætate clericorum, monachorumque cœlibatum summa cum procacitate oppugnat, omnia hæc scripturæ loca, sola plurimorum clericorum impudicitiæ exaggeratione eludi posse arbitratur. Nam cùm uota, quæ in deteriorem exitum uergunt, seruanda non sint, in tam corruptis presbyterorum moribus, in tam effrenata libidine, minimè quidem obligari incontinentes clericos cœlibatus uoto arbitratur. Quod probat ex sententia Isidori decernentis ne ea quis præstet, quæ contra Domini præcepta promisit. Neque tamen aduertit homo callidus, quantum intersit inter incommoda, quæ ex re promissa, & quæ ex corrupto atque deprauato uouentis animo oriuntur. Nam si incommoda ita sunt cum re ipsa coniuncta, ut illam ueluti necessitate quadam consequantur, atque uitari à uouente commodè non possint, minimè quidem uoto constringitur. Nam cùm nuncupata uota in Dei cultum atque honorem potissimùm dirigantur, minimè quidem præstanda sunt, si cum diuina lege atque uoluntate aliqua ex parte pugnent; ueluti si qui ieiunium uouit, in eam ægritudinem incidat, ut non possit sine maximo salutis dispendio ieiunare. At incommoda, quæ ex deprauato animo, cupiditatibusq; imbuto proficiscuntur,

Andreas Fricius. 4 lib. de Ecclesia.

22. q. 4. c. si quis & c. si aliquid. eadem q. ex Sothere Papa.

tur, minimè quidem reuellunt obligationis uinculum. Nam qui se sponte aliquo uoto damnarunt, simul etiam se obligarunt ea omnia studiosè uitare, quæ mentem ab illo præstando abducere atque auocare possent; quare quò se quis grauioribus cupiditatum ictibus ab instituto pelli uidet, eò maiorem conatum in coercendis uoluptatibus, nefarijsq; cupiditatibus refrenandis adhibeat, necesse est. Cùm præsertim certò constet, nullas esse tam effrenatas cupiditates, nullam tam effusam in omni intemperantia libidinem, quæ precationibus atque pœnitentia nō restinguantur. Quare omnes sancti Patres, qui de conseruanda corporis pudicitia sermonem faciunt, preces, atque ieiunia mirum in modum, tanquàm castitatis firmissima præsidia, commendant. Cùm igitur profunda plurimorum sacerdotum libido ex deprauatis animis, corruptisq; moribus magis, quàm ex uoto oriatur, possintq; intemperantē illum animum, si uelint, exuere, non est quòd aut cœlibatus uotum damnemus, aut illos obligationis uinculo solutos esse arbitremur. nisi fortè & diuinam legem, quam omnes nefariè uiolamus, & per quam in peccati cognitionem se deuenisse Paulus ait, damnandam esse existimemus.

Cent. 3. c. 10. tit. de Ep's. Cæsareæ Palestinæ.

NON tamen prætermittam admonere lectorem, quanta sit eorum hominum, qui Centurias conscripserunt, perfidia, & impudentia: quos non pudet affirmare, ex Basilij epistola 63. certò constare, tempore Gregorii, quem magnum atque θαυματοῦργον appellarunt, non fuisse in usu atque more Ecclesiæ, Litaniis Deum precari, neque cœlibatum uouere.

qua

quà in epistola cùm D. Basilius tueatur monasticum uiuendi genus, atque rationem canendi in Ecclesia Psalmos alternis uersibus, contra Sabellii & Marcelli importunitatem, qui hæc Gregorii illius Magni auctoritate oppugnabant, Respondet, demirari se quòd illius auctoritatem obiiciant, cuius testimonia afferre nullo modo possent, Quod (inquit) hæc non erant temporibus admirandi illius Gregorii, quæ testimonia producere potestis? nihil enim illius institutorum, neque adhoc tempus conseruastis. Et ad finem epistolæ inter ea, quæ Neocæsariensibus cauẽda erant, enumerat, Gregorii uoces, ne falsò exponite. Ex quibus constat, ab illis hæreticis aliqua Gregoris uerba conficta aut adulterata fuisse, quibus & monasticæ uitæ sanctitatem, & psallendi pietatem oppugnabant. Sed non memineram Centuriarum auctores maiorem fortasse Sabellio atque Marcello fidem, quàm Basilio habendam esse, arbitrari. Quare illorum nobis calumnias pro Basilij sententia obtrudunt. Sed ut institutam disputationem persequamur, si sacerdotalis dignitatis amplitudinem debitis momentis ponderemus, facilè uidebimus, nihil magis sacerdotes, quàm corporis castimoniam, atq; cœlibatum decere. Vt uerò egregiis, & accommodatissimis D. Hieronymi uerbis rem explicem, si κλῆρος Græcè, sors Latine appellatur, propterea uocantur clerici, uel, quia de serte sunt Domini, uel, quia ipse Dominus sers, idest, pars clericorum est. Qui autem uel ipse pars Domini est, uel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino; qui Dominum

Hier. ep. ad Nepotianum, de Vita cleri. et sacerdotũ.

Psalmo.

poſſidet, & eam Propheta dicit, pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere poteſt. ſi autem ego pars Domini ſum, & funiculus hæreditatis eius, nec accipio partem inter cæteras tribus, ſed quaſi Leuita & ſacerdos uiuo de decimis, & altari ſeruiens, altaris oblatione ſuſtentor, habens uictum & ueſtitum, ijs contentus ero: & nudam crucem, nudus ſequar. Cum quibus ſi coniugii incommoda à Paulo enumerata coniungamus, negarè certè non poterimus, coniugii ſtatum mirum in modum ſacerdotes dedecere. Mulier (inquit) innupta & uirgo cogitat quæ Domini ſunt, ut ſit ſancta corpore & ſpiritu: quæ autem nupta eſt, cogitat quæ ſunt muudi, quomodo placeat uiro. cum qua importuna ſolicitudine, tribulationem etiam carnis coniūctam eſſe idem Paulus ait. Cùm igitur ſacerdotum officium ſit, Domino addictos eſſe & conſecratos, diuinis rebus perpetuò uacare, altiſſimis fidei & religionis myſteriis intentos eſſe; quo'nam, quæſo, modo cum hoc cœleſti ſtatu illa uiuendi ratio cōuenire poteſt, quæ hominē in contraria ſæpe ſtudia diſtrahit, quæ animum inaniſſimis curis excruciat, & tēporalibus rebus immergit? ſi coniugali uinculo conſtrictis præcipit Paulus, ut mutuò conſenſu aliquandiu à corporis uoluptatibus abſtineant, quò uacare orationi commodius poſſint; illis, quorum uniuerſa uita precibus atque ſacrificiis eſt mancipata, qui in diuinarum rerum ſtudio atque meditatione incumbere potiſſimùm debent, quomodo illud uitæ genus conuenit, quod ſui corporis poteſtatem non habet, quippe quam omnem ad uxorem tranſtuliſſet? Quare filiorum

1. ad Cor. c. 7.

1. ad Cor. c. 7.

liorum Leui, qui clericorum ordinem designabant, & præfigurabant, benedictio, in eo potissimùm sita fuit, quòd digni essent, qui sacra Domino facerent: quippe qui omnium rerum curis atque amore abiecto, se totos diuino numini consecrassent. Qui dixit patri suo, & matri suæ, nescio uos, & fratribus suis ignoro illos, & nescierunt filios suos, hi custodierũt eloquium tuum, & pactum tuum seruauerunt, iudicia tua ò Iacob, & legem tuam ò Israel: ponent thymiama in furore tuo, & holocausta super altare tuũ. *Deut. 33*
Cuius singularis erga Deum amoris & pietatis, egregium quidem documentum dederunt, cùm neque filiorum amore, neque fratrum charitate retardati sunt, quominus Mosi se coniungentes, horribilem stragem ederent, triaq; circiter hominum millia una die interficerent. Cùm igitur ecclesiasticos uiros deceat, diuinis rebus tantopere addictos esse, ut naturæ quodam modo sensum exuisse uideantur; nulla sanè æquior, atque conuenientior lex ferri ab Ecclesia potuit, quàm illis, ne uxores ducerent omni ratione interdicere. Quibus accedit, amplissimo, atque cœlesti statui, cœlestes mores maximè conuenire; si quid uerò in humanis rebus est, quod cœlitum splendorem præseferre, Angelorum puritatẽ, innocentiam, integritatemque referre uideatur, illa certè est uiuendi ratio, quæ omni se fœda uoluptate abdicat, castumq;, atque integrum corpus conseruat. Quare magnus ille Athanasius Alexandrinus, quem fidei & religionis conseruatorem, atque uindicem appellare licet, in potissimis Christianæ religionis insignijs enumerat, quòd plurimi in catholi- *Exo. 32.* *Athana. in Apolog. ad Impera. Constant.*
ca

ca Ecclesia cœlibem, castamq; uitam degant, Dei (inquit) filius Dominus & Saluator noster Iesus Christus, homo propter nos factus, profligata morte, & ascito à seruitute & corruptione humano genere, inter cætera dona, largitus est nobis in uirginitate exẽplar Euangelicæ sanctitatis. certè puellas ea uirtute præditas, sponsas Christi catholica Ecclesia appellare solita est; quas Ethnici conspectas, ut templum uerbi, admiratione prosequuntur. Nusquam enim alibi sanctũ illud & cœleste æternæ uirginitatis mandatum fœliciter adimpletur, nisi duntaxat apud nos Christianos, atque in eo magnum documentum est, planè apud nos esse ueram religionem. Has præ reliquis omnibus beatæ memoriæ religiosissimus pater tuus Constantinus Augustus in precio habuit, & tua religiositas sæpius eas ĩ suis scriptis preciosas, & sanctas nominat. Et paulò inferius asserit, uirginum mẽbra, præcipua & propria Christi esse. Quis igitur negare poterit, nihil eos, qui dispensatores sunt ministeriorum Dei, qui ueluti luminaria in excelso loco collocati sunt, ut omnibus in domo existentibus lucem afferant, qui Euangelicæ sanctitatis doctores, atque exemplaria esse debent, qui Christi corpus conficiunt, qui illo familiarissimè utuntur, frequentissimeq; sustentantur, magis decere, quàm eam uitã degere, quæ Christianam religionem mirum in modum illustrat & cõmendat? cùm præsertim (ut Philo Iudæus auctor est) ueteres illi Essei, qui cultores uocabantur, & qui se totos diuinarum rerum meditationi tradebant, corporis castitatem præ cæteris omnibus uirtutibus colerent. quippè quam sui instituti

Euse. hist. eccl. li. 2. c. 17.

tuti ueluti fundamentum, aliarumq́, omnium uirtu tum firmissimam basim esse arbitrabantur. At Fricius inquit, non se sacerdotum castimoniam, sed incontinentiam damnare, atque adeò cùm uideat Ecclesiasticos uiros, ab illo natiuo splendore, morumq́; integritate, quæ illorum ordinem decet, tantopere degenerasse, non posse non iniquam illam legem pronunciare, quæ illos ad castitatem, quam plurimi non seruant, astringit. quinimmo Ecclesiasticorum uirorum turpitudine iam abrogatam illam esse, & antiquatam, præ se fert, existimare. Neque animaduertit homo acer & acutus, quantum intersit inter leges, quæ omnes promiscuè & communiter obligāt, & quæ certum aliquod uitæ genus, quod nemo nisi spontè suscipit, instituunt & informant. in illis enim ferendis maximam morum atque temporum rationem habere oportet, in his uerò rogādis ita est temporum ratio habenda, ut ea potissimùm spectentur, quæ uitæ illud genus maximè decent, quæq́; illud exornare, atque illustrare in primis possunt. neque enim iniqua & immanis lex dici potest, qua nemo nisi liberè & sponte sua constringitur, & cuius uincula nemo sibi nisi ultrò iniicit. Cùm igitur Ecclesia neminem in Ecclesiasticum ordinem ui aut necessitate inferat atque intrudat, neque ad uitæ huius sanctissimum institutum suscipiendum aliqua ex parte cogat, quinimmo omnibus & legum seueritatem principiò exponat, & persuadeat, ne temerè & inconsiderate uiuendi illam rationem ingrediantur; nulla certè causa est, quare sanctissimam legem calumniari quis possit, aut illius seueritatem pudoris & modestiæ

ſtiæ inuitamentum ægrè ferat. Quinimmo minimè ſanè Eccleſia ſuæ dignitati conſuluiſſet, niſi Eccleſiaſticum ordinem ita æquiſſimis legibus illuſtrare, clericorumq; mores grauiſſimis inſtitutis ita conformare conaretur, ut ſanctiſſima munera, pro dignitate exequi poſſent. Quòd ſi peccatorum quorundã hominum nefaria turpitudo, ſanctiſſimarum legum ſplendorem obſcurare, auctoritatem'ue labefactare poteſt, omnes ſanè leges ad rerum publicarum ſtatũ conſeruandum latas, omniumq; ſcita ad hominum mores rectè informandos prudenter excogitata, quæ paſſim contemnimus & conculcamus, iniqua & funeſta erunt.

QVANTVM uerò Eccleſiæ hæc de cœlibatu *Ieſ.c.56.* lex cum ſacris literis conueniat, uel ex eo Ieſaiæ loco apertè conſtare poterit, Non dicat (inquit) Eunuchus, ecce ego lignum aridum; quia hæc dicit Dominus eunuchis; qui cuſtodierint ſabbata mea, & elegerint, quæ ego uolui, & tenuerint fœdus meum, dabo eis in domo mea, & in muris meis locum, & nomen melius à filiis & filiabus, nomen ſempiternum dabo eis, quod non peribit. Quæ certè de his ſunt eunuchis intelligenda, qui ſe caſtrarunt propter regnum cœlorum, atque propter excellentioris ſanctitatis ſtudium, à mulierum ſe conſortio reuocarunt, ut liberi & expediti ardentius in ſtudium religionis incumberent, his inquã pollicetur Deus in domo & Eccleſia ſua, in qua non adumbrata, ſed uera religio ſumma ſanctitate colitur, ne que quadrupedum, ſed Chriſti Ieſu ſanguine litatur, egregium atque præcipuum locum (quod notæ יד quæ manum propriè *Deut.23* ſignificat,

ſignificat,uis,abundè explicat)atque adeò illos quibus templi ingreſſus olim interdicebatur, quoſque lex execrabiles ducebat, clarioribus dignitatis ornamentis afficiendos eſſe Propheta ait, quàm ſi multiplicem ſobolem genuiſſent. quæ ſanè in alios quàm in clericos,qui propter regnum cœlorũ degunt quiq; in Chriſti Eccleſia principem locum obtinent, quadrare nullo modo poſſunt.

QVòD ſi quàm longiſſimum interuallum eſt,inter Euangelium hoc noſtrum & Leuiticum ſacerdotium interiectum, quis non uidet cœleſtes hoſce ac planè diuinos ſacerdotes,illos caſtimonia & ſanctitate quàm longiſſimè antecellere debere? illorum uerò ſi uitæ inſtituta memoria repetamus, facilè uidebimus, tandiu ab uxoribus illis temperandum fuiſſe,quàm diu ſacris muneribus fungi,Deoq; litare debuiſſent. Quare neque Dauidi panes propoſitionis contingere licuit, niſi à mulieribus mundus eſſet. quæ ſatis indicant,aliquid ineſſe in uxorum uſu turpitudinis, quæ eos uiros maximè dedecet, qui diuinis rebus uacare debent. At Caluinus homo acutus ac callidus, inquit,non eandem eſſe perſonam Euangelici miniſtri, quæ fuit ſacerdotij Leuitici. Nam illi tanquàm *ἀντιτύποι* Chriſtum repræſentabant, qui mediator Dei & hominum ſua puritate nobis erat Patrem reconciliaturus. cùm uerò omni ex parte exhibere peccatores typum ſanctitatis eius nõ poſſent, quibuſdam lineamentis ut adumbrarent, iuſſi ſunt, ultra humanum morem ſe purificare, dum ad ſanctuarium accederent, qui tunc Chriſtum propriè ſignificabant. hanc perſonam quia hodie non ſuſtinẽt

Calu. in ſtit. c. 3. n. 69.

Kkkk Eccle-

Ecclesiastici pastores, frustrà cum illis comparantur. ò inauditum acumen, ò singularem solertiam, quis tam egregium diuinarum rerum æstimatorem non admiretur? sacerdotes Leuitici, Christi personam repræsentabant, Euangelici sustinent: illi referebant, isti exprimunt: illi Christum præfigurabant, isti eius locum tenent, illos tamen Christi puritatem adumbrare quantum maximè possent, oportuit, istis uerò eò longius ab illa abesse licet, quò ad illius officium atque dignitatem propius accedunt: illi cùm agnum immolabant, hostiam à nobis oblatã præfigurantem, sibi ab omni libidine temperabant: nobis qui idem sacrificium, quod Christus semel obtulit, continenter offerimus, libidinem perpetuò explere, putidisq; manibus diuina illa mysteria contrectare licebit? Expende, quæso Caluine, sacerdotij Euangelici dignitatem, & amplitudinem; confer illius munia cum ijs, quæ Christus dum inter homines uersaretur, in reconciliandis cum Patre hominibus præstitit, & perspicies, nostros sacerdotes humanam redemptionem ueluti continuare. nam quód Christus paucis annis docuit, illi in omnẽ posteritatem diffundunt: quam Christus iustitiam promeruit, illi quodam modo exhibent, dum sacramenta conficiunt, quæ iustitiam, & sanctitatem continent. quò fit, ut cooperatores Dei dicantur. Quare nihil à te, Caluine, magis absurdũ magisq; præposterum dici potuit, quàm eos ad Christi sanctitatem propius accedere debuisse, qui ab illius muneribus atque excellentia longius aberant.

Hebr. c. 13. At inquis, Paulus uocat honorabile connubium in omnibus, & thorum immaculatum; quare nihil

de

de sacerdotum dignitate is detrahit, qui illis uxores permittendas esse censet. unde, etiam concludis, mirum nos in modum matrimonii honestatem deprimere, dum sacerdotii, atque cœlibatus dignitatem amplificare, & illustrare cogitamus. sed quare tam magnificis titulis coniugiũ Paulus exornauerit, mox explicat, Fornicatores enim (inquit) & adulteros iudicabit Deus. ea enim à coniugibus licitè, & quandoque sanctè fiunt, quæ ab aliis sine scelere ne cogitari quidem possunt; tantaq; est matrimonialis thori honestas, ut illa cohonestare possit, quæ sine maxima ignominia effari, atque ab impuris & mulierosis hominibus, sine summo flagitio admitti non possunt. si præsertim eas leges cõiuges obseruent, quibus Christianorum matrimonium, ab eorum, qui ignorant Deum, matrimoniis maximè distingui, docet Augustinus, ut scilicet concupiscentiam illam carnis, qua caro concupiscit aduersus spiritum, in usum iustitiæ conuertant, habentes animum, non generandi modò, sed generandi regenerandos, ut qui ex iis secuti filii nascuntur, in Dei filios nascantur: & qui hoc animo non concurrunt, carere putat Augustinus uera pudicitia coniugali. in quem sensum interpretatur illa Pauli uerba, Hæc est uoluntas Dei sanctificatio uestra, ut abstineatis uos à fornicatione, ut sciat unusquisque uestrûm suum uas possidere in sanctificatione & honore, & non in passione desiderii, sicut & Gentes, quæ ignorant Deum. mutuam (inquit) fidem sibi coniuges seruare debere, non mutuam carnem zelantes, sed ne per adulterium à Christo separentur. quando igitur coniugale thorum hisce fuerit lu-

Aug. 1. lib. de nuptijs et concupis. c. 4. & 8.

ad Thessal. c. 4.

Aug. de nuptijs, et concupiscen. c. 17.

minibus illustratum, uerè immaculatum dici potest; quæ qui fuerit consecutus, omnis iam libidinis motus tam habet repressos atque extinctos, ut in mediis flammis non uratur. Attamen infra cœlibatus splendorem & dignitatem, matrimonium semper positũ esse, uel ex eo satis patet, quòd cũ Paulus matrimoniũ illis, qui continere nollent, permittit, optare tamen se ait, omnes esse sicut se ipsum. quibus uerbis egregiam suam castimoniam, atque ab omni libidine abstinentiam eum significare, inter cæteros sanctos Patres auctor est D. Augustinus. Cùm itẽ idem Paulus consulit, ut coniuges mutuo consensu sibi ad tempus omnibus uoluptatibus interdicant, quò uacare orationi commodius possint, satis docet, tantam esse humanæ carnis fragilitatem, ut uix uxore sine labe atque culpa uti quis possit, atque adeò aliquid inde animum torporis contrahere, quod cœlestis spiritus impetum retardare, charitatisq; ardorem aliqua ex parte extinguere possit. Quo factum est, ut in ueteribus Romanæ Ecclesiæ moribus positum fuerit, ne quis Ecclesiam ea die, qua uxore usus fuisset, ingrederetur, ante quàm se aqua studiosè ablueret. quam consuetudinem pietatis plenissimam D. Gregorius renouauit, atque instaurauit, non quidem quòd sancti Patres existimarent, in aqua aliquam in esse diuinam uirtutem ad culpam in coniugum admistione susceptam eluendam, ut Petrus Viretus procacissimè calumniatur, sed quòd illa ceremonia homines admonitos esse uellent, habere coniuges de admistione sua quod doleant, cùm non amor procreandæ sobolis, sed uoluptas dominatur; ut D. Gregorius

1. ad Corint. c. 7.

Aug. de gratia et libero arbitrio. c. 7.

C. iur. 33 q. 3.

Petrus Viretus, de Adulterinis sacramẽtis. c. 15.

gorius ait. Quæ satis quidem ostendunt, quantum il la officia sacros uiros dedeceant, quæ præstari sine peccato uix possunt, & quæ diuinarum rerum contemplationi aduersantur.

SED iam uideamus egregia illa argumenta, quibus Lutherus, Caluinus, similesq; ganeones Christi Ecclesiæ maximam cladem attulerunt, plurimorumq; ingenia miserè corruperunt, atque deprauarunt, quorum capita Kemnicius paucis uerbis com plexus est. *Norunt, inquit, Iesuitæ, Paulum loqui sine exceptione: qui non continet, matrimonium in Domino contrahat. melius est enim nubere, quàm uri. sciunt quid Cyprianus lib. 1. epist. ij. scripserit; quid Augustinus etiam iudicauerit de nuptijs illorum, qui cœlibatum uouerunt, si continere non possunt.* Qui uerò ad orationis Pauli contextum animum aduerterint, satis intelligent, ita licere incontinentibus, matrimonii honestate suæ intemperantiæ mederi, ut possint alia etiam præstantiora remedia adhibere: quare minimè necessarium esse, ut qui non continent, nubant; sed inquit, præstare nubere, quàm nefarijs se libidinibus contaminare. neque enim urerè, significat cupiditatum ictibus pelli atque exagitari, cùm ad meritum id augendum plurimùm faciat, sed illis cedere atque succumbere, aut (ut Augustini uerbis utar) occulta flamma concupiscentiæ, in ipsa concupiscentia uastari. Quinimmo nubere, eorum est medicina, qui ita sunt desides, ut sibi ipsis uim inferre, nefariisq; cupiditatibus repugnare nolint. quam Pauli mentem ex superioribus uerbis satis, Kemnici, perspicere poteris; Nolite (inquit) fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, ut uacetis orationi.

Aug. de sácta uirginitate. c. 34.

1. ad Corint. c. 7.

Et iterum, reuertimini in idipsum, ne tentet uos Satanas propter incontinentiam uestram. hoc autem, dico secundum indulgentiam, non secundum imperium. perspicuum autem est, remedium illud concupiscentiæ non in coniugali uinculo, sed in coniugũ admistione positum esse. Cùm igitur matrimonij uinculo iam constrictis non præcipiat, sed permittat Paulus ut reuertantur in idipsum, ne concupiscentiæ ictibus succumbant, an non satis indicat, non illud esse necessarium concupiscentiæ remedium, sed pluribus aliis eos posse libidinis impetus comprimere, qui se castrare uellent propter regnum cœlorum? neque enim secundum indulgentiam, sed secũdum imperium dixisset, ut in idipsum reuerterentur, si hoc unicum esse cõcupiscentiæ remedium existimaret. quo fit, ut D. Ambrosius dicat, hæc Pauli uerba ad non politicã, & ad nondum uelatam uirginẽ pertinere. nam qui se (inquit) spopondit Christo, & sanctum uelamen accepit, iam nupsit, iã immortali iuncta est uiro, & iam si uoluerit nubere, communi lege coniugii adulterium perpetrat, ancilla mortis efficitur. Quæ etiam Pauli uerba, si cum antiquissimis Ecclesiæ consultis conferas, planè uidebis, ita licere propter incontinentiam uxorem ducere, ut præstaret fœdas cupiditates egregiis aliis remedijs coercere atque comprimere. Nam cùm Paulus non innuptas modò, sed uiduas etiam alloquatur, Ecclesia tamen graui pœna eos mulctare solita erat, qui secundo, aut tertio matrimonio coniungebantur. Concilium enim Neocæsariense, quod magnum illud Nicenum antecessit, aliqua pœna mulctandos esse illos

Ambr. ad uirginem lapsam. c. 5.

Concil. Neocæs. can. 3. & c. de his, qui frequenter. 31. q. 1.

los ſtatuit, qui ſæpius uxores ducunt. Quare preſbyteris interdixit, ne conuiuiis, quæ fiunt nuptarũ, quæ ſecundò cõiunguntur uiro, ulla ratione intereſſent. quòd ſi matrimonium, neceſſarium eſſe incõtinentiæ remedium Paulus exiſtimaret, minimè ſanè ſancti Patres Apoſtolorum temporibus proximi, eos pœna aliqua affeciſſent, qui libidinis ſtimulis excruciati, diuinæq; legi obtemperantes, uxorem duxiſſent. At cùm plurima alia ſint incontinentiæ præſtantiſſima, Chriſtianoq; homine digniſſima medicamenta, prudentiſſimè exiſtimarunt, intemperantis animi, & qui ſibi imperare neſciat, documentum eſſe, ſecundò uxorem ducere. quare audentes hoc, inter eos, qui non ſatis Chriſtiani hominis officia didicerant, collocabant. Nam cùm Chriſtiana diſciplina in animo maximarum uirtutum luminibus illuſtrãdo, atque in prauis cupiditatibus refrenandis potiſſimùm poſita ſit; qui ſibi ipſis uim afferre neſciunt, minimos ſanè in Chriſtianæ religionis inſtitutis progreſſus feciſſe uidetur. Quare cùm Eccleſia in eos, qui ſæpius uxores ducunt, animaduertit, non quidẽ ſecundas nuptias, ſed incontinentem animum improbauit. Vnde fuit, quòd lenius cũ illis agebatur, qui ex priori coniugio liberos non ſuſcepiſſent; quia filiorum deſiderio ad matrimonium induci uidebãtur: in eos uerò, qui filijs abundabant, ſeuerius animaduerti, ſolenne erat; quippe, quia corporis uoluptatem, filiorum amori, liberaliq; eorum educationi anteferre uiderentur. Quod quidem lex ab Imperatore Conſtantino Porphyrogeneta hac de re lata, ſatis indicat, Si illi (inquit) qui quadrageſimum annum

Eodem Conc. can. 7. et c. de his, qui. 32. q. 4.

Theodot. Balsamõ in 4. can. Basil. annũ excesserit, & nec naturam ueritus, nec honestate uitæ, quæ à Christianis debetur, ullam curam gerens, sed sola libidinis perturbatione uictus se in tertium matrimonium proiecerit, & cum omni diligẽtia & obseruatione sit usque ad quinquennium sacramenti communionis minimè particeps, & nec hoc tempus illi contrahatur. Qui autem post quadragesimum sordem in Christi Ecclesia esse, uel dici amauit, quod melioris uitæ argumentum præbebit? Et paulò pòst, Hæc autem dicimus, quando ex prioribus matrimonijs non fuerint liberi iis, qui post 40. annum tertiam uxorem ducere uoluerint. nam si liberos habuerint, eis nullo modo tertium permittitur matrimonium. est enim ualde iniquum tempestiuæ libidini indulgere, priorum autem matrimoniorum liberis non prospicere, & à molestia ac perturbatione remoti. Quòd si quis 30. annos natus & ex prioribus matrimoniis habens liberos, tertiæ mulieri coniunctus fuerit, is quoque nulla ei uenia data, ad quartum usque annum communionis sacramentorum sit expers, quia manifestum est, eum sola intẽperãtia motum, & quòd sit carnalis libidinis seruus, ad hoc se matrimonium conferre. quò fit, ut D. Chrysostomus dicat, secundam uxorem accipere, secundum præceptum Apostolicum, licitum esse, secundũ autem ueritatis rationem, ueram esse fornicationẽ. ferè enim fit, ut qui secundò contrahunt matrimonium, libidine, quam rafrenare nesciant, potissimùm inducantur. Quare quæ ex se honesta connubia sunt, magnam quidem turpitudinis speciem gerunt, si ad contrahentis animum aduertas. *31. q. 1. c. hac ratione.*

At apertè (inquit Kemnicius) Cyprianus ait, quòd uirgines, quæ se ex fide Christo dicarunt, pudicè & castè sine ulla fabula perseuerent, ita fortes & stabiles præmium uirginitatis expectent: si autem perseuerare nolunt, uel non possunt, melius est ut nubant, quàm in ignem delitiis suis cadant. qua Cypriani sententia ita omnes exultant aduersarii, aç si de uniuersa iam Ecclesia triumphassent. neque aduertunt, plurima per magistratuum auctoritatem fas esse admittere, quæ priuato iudicio suscipi sine nefario scelere non possunt. Cùm igitur Martyr sanctissimus non præcipiat, fœminas uoto obstrictas, quæ induci ad castimoniam non possunt, in matrimonium collocari, sed solùm dicat, satius esse nubere, quàm sempiternas turpitudinis pœnas dare, non aliud certè innuit, quàm æquum esse, ut illis liberum ac Episcopi auctoritate integrum fieret nubere. quod sanè propio arbitrio facere, nullo modo licebat. quippe quæ uoto omnem sibi nubendi potestatem præciderant. Nam cùm uir sanctissimus Carthaginensis esset Ecclesiæ antistes, qui inter omnes Africæ Episcopos, primas tenebat; quare primæ sedis Episcopus dicebatur, ut ex 3. Concilio Carthaginensi constat (quod ineptissimè quidam de Romano Pontifice intelligendum esse arbitrantur) illius sanè erat totius Africæ rebus consulere, atque prospicere, & Deo facta uota cùm æquitatis iustitiæq; ratio postularet, irrita facere siue (ut dici solet) dispensare.

Cyp. lib. 1. epist. ad Pomponium.

Conc. 3. Cathag. can. 16. & dist. 99. c. primæ sedis:

QVÒD uerò ad Augustinum attinet, fateor quidem, apertè demonstrare, fœminas, quæ castitatis uoto contempto, matrimonio alicui coniunguntur, adulteras

Aug. de bono uiduit. c. 9. & 10.

adulteras dici non posse, cùm uerum illud, & non fucatum, ac fallax coniugium sit, quod nos minimè inficiamur; nam quamdiu uotum Ecclesiæ auctoritate sacrum, religiosum, ac solenne non efficitur, matrimonia uera atque solida esse, certò scimus. At uerò quantum illi scelus suscipiant, qui uoti sanctitate despecta, fidem Deo datam fallunt, mox idem Augustinus his uerbis docet, Non possum (inquit) dicere à proposito meliori lapsas, si nupserint, fœminas, adulteria esse, non coniugia; sed planè non dubitauerim dicere, lapsus & ruinas à castitate sanctiori, quæ uouetur Deo, adulterijs esse peiores. si enim, quod nullo modo dubitandum est, ad offensionem Christi pertinent, cùm membrum eius fidem non seruat marito, quanto grauius offenditur, cùm illi ipsi non seruatur fides, in eo, quod exigit oblatum, qui non exigeret offerendum? Cùm enim quisque non reddit, quod non imperio impulsus, sed consilio cõmonitus uouit, tanto magis fraudati uoti auget iniquitatem, quanto minus habuit uouendi necessitatem. Quare, Kemnici, si Augustino credis, si illius iudicio rem diiudicare uelis, eorũ sanè impudentiam detestaberis, qui fidem Deo datam fœda quadam uoluptate commutarunt, eaq; uota quæ minimè soluerent, nuncuparunt.

Aug. de Bono uiduitatis. c.20.

ANDREAS uerò Fricius decretorum insignis corruptor, clericorum cœlibatum oppugnat Martini testimonio, quem inquit statuere, ut diacono, qui à ministerio cessare uoluerit, fas sit, contracto matrimonio uti. quippe quia & si in ordinatione castitatis uotum obtulerit, tamen tanta est uis in sacramento con-

27. dist. c. Diaconus.

iugij,

iugii, ut neque ex uiolatione uoti ipsum possit coniugium dissolui. qui nisi temeritate ac perfidia magis, quàm fide aut pietate duceretur, nunquàm profectò Gratiani ineptissimam explicationem, pro Martini integerrimo decreto, & quod antiquam illam Ecclesiasticæ disciplinæ seueritatem, continentiæq; splendorem non obscurè præ se fert, atque declarat, nobis obiiciendam existimasset. cuius hæc sunt uerba, Diaconus, qui eligitur, si contestatus fuerit pro accipiendo matrimonio, & dixerit se in castitate non posse manere, hic non ordinetur. quòd si in ordinatione tacuerit, & ordinatus fuerit, & postea matrimonium desiderauerit, sit alienus à ministerio & uacet à clero. Quæ matrimonium à Diacono nefariè initum, non quidem approbant, ut Gratianus delirans somniat, sed grauissima illum pœna afficiendum esse decernunt, non solùm (ut mihi quidem uidetur) si matrimonium contraxerit, sed si significauerit facti cum uoti pœnitere, atque nuptias ardenter exoptare. *Gratiani error.* Plurimis enim ac magnis argumentis Augustinus probat, uirgines, quæ nubere uolunt, ob solam nefariam uoluntatem, uiolati uoti reas esse. *Aug. de bono uiduit. c. 9.* Continentia (inquit) expetita & electa, & uoti debito oblata, iam non solùm capessere nuptias, sed etiam si non nubāt, nubere uelle, damnabile est. Quod D. Paulus apertè significauit, cùm de adolescentioribus uiduis agens (inquit) quòd cùm luxuriatæ erint, in Christo nubere uolunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt. *1. Tim. c. 5.* quanuis enim nunquàm matrimonio coniungantur, fidem tamen Deo datam fregisse censendæ sunt, si matrimonij de-

 litias,

litias, castimoniæ, sanctitati, uel solo animo antefe-rant. Quare nisi Dei timore rursus libidinem uincant, in mortuis deputandos esse idem Augustinus ait, Siue (inquit) in delitiis agant, siue in laboribus atque ieiuniis, nulla cordis correptione superfluis & magis ostentationi, quàm emendationi seruientibus. Quocirca nihil aliud, mea quidem sententia, Martinus Pontifex significare uoluit, quàm Diaconos, quos facti uoti pœnitet, quiq; præ se ferunt matrimonia se uehementer cupere, non aliter mulctandos fore, quàm si re ipsa fidem Deo datam fefellissent. quòd apertè sanè innuit, cùm non in eos animaduerti statuit, qui uxores duxissent, sed qui matrimonium desiderassent. quippe qui in corpore necessitate magis, quàm uoluntate continenti animum haberent incontinentissimum.

SED Caluinus omnis turpitudinis patronus ac defensor, tantam hanc perfidiam & impietatem diuinorum beneficiorum necessitate tanquàm firmissi mis præsidiis munit. in quibus exaggerandis, etsi quandoque summo cum illorum dedecore nimius sit atque profusus, nunc tamen tam angustis ea, atq; breuibus terminis circumscribit, ut maximam immanitatis notam diuinæ benignitati inurat. Casti-
Calu. 9. insti. c. 3. n. 64. & 65. tatem (inquit, donum Dei esse) nõ passim omnibus, sed certis quibusdam hominibus tributum, ut apud Matthæum Christus dixit, Non omnes capiunt uerbum istud, sed quibus datum est. Et paulò post. Qui potest capere, capiat. unde concludit, eos, qui castitatis dono carent, diuini præcepti esse uiolatores, ni si matrimonio coniungantur. Ne uerò quis diuinæ

gratiæ uim illi opponeret, quæ educit montes in conualles, & aspera in uias planas, ut est apud prophetam, nihilq; est tam durum, atque asperum, quod illa non leniat atque emolliat, ait cœleste hoc auxilium illis solùm à Deo tribui, qui in uiis suis ambulant, hoc est, in sua uocatione, à qua illos omnes se subducere affirmat, qui reiectis Dei subsidiis, necessitates suas superare, eluctariq; inani temeritate contendunt. Quare cùm maior hominum pars inconti nentiæ sit uitio subiecta; qui (inquit) se à matrimonii uocatione subducit, cùm perspectum non habeat donum continentiæ, est in Deum ingratus. cùm præsertim cœleste illud donum sæpe à Deo tribuatur tantùm ad tempus. quare cùm quis respicit sibi ad domandam libidinē uires deficere, intelligat se à Deo uocari ad matrimonium. Hæc Caluinus. Ex qua fucata inaniq; oratione apertè sanè concludit, diuina auxilia ad lasciuiētis carnis impetus coercendos necessaria illis solùm tribui, qui iam habent castitatis donum, neque ulla ratione à Deo precibus, atque officiis impetrari posse. Nam si illis tantummodò Deus opem atque auxilium fert, qui aut castitatis donum habere certò sciunt, aut qui ad matrimoniū, cùm ardentissima libidine exagitantur, tanquàm ad sacram ancoram confugiunt, sanè eos, qui seipsos propter regnum cœlorum castrare animo obfirmato statuunt, atque ut præstare id possint, sibi ipsis uim afferunt maximam, diuinam opem summis precibus implorant, castitatis donum toto pectore à Christo efflagitāt, nullumq; officium prætermittunt, quo omnem à se nefariam turpitudinem propulsare possint,

ab

ab optimo atque benignissimo Deo deseri, & tanquàm ingratos repudiari. quæ tamē ex aduerso cum
Matth. c.7. illis Christi apud Matthæum uerbis pugnant, Petite, & dabitur uobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur uobis. omnis enim, qui petit accipit; & qui quærit, inuenit; & pulsanti aperietur. Nam si pessimi, & scelerati homines solent egregia dona efflagitantibus filiis tribuere, quanto magis Pater noster cœlestis dabit bona petentibus se? Neminem, Calui ne, à certissima impetrandi Spiritum suum spe exclusit Christus, omnibus hæc est promissin communis, omnibus fidem recepit suam, qui excellentissima fide erecti, certissima uerò spe confirmati ad *Spiritus* sancti dona petenda accedunt. Quare cùm tam sint certa diuina subsidia omnibus, qui precibus debitisq; officijs illa consequi conantur, eorum sanè, qui castitatis uotum nuncuparunt, uocatio est (quantumuis cupiditatum ictibus impetantur) fidem Deo datam præstare, & omnes neruos contendere, ut castitatis donum à Deo impetrent. Nam si rem accuratè expendas, facilè uidebis, non minus castitatem coniugalem, quam cœlibatum, donum Dei esse. quinimmo
Aug. de bono coniug. c.27 plurimos esse, uel Augustino auctore, qui facilius se abstinent, ne unquam utantur nuptiis, quàm sibi temperent, ut illis bene utantur. Quare conferens idem Augustinus continentiam Ioannis Baptistæ, cum matrimonio Abrahami inquit, quòd quemadmodum non impar est meritum patientiæ in Petro, qui passus est, & in Ioanne, qui passus non est; sic non est impar meritum continentiæ in Ioanne, qui nullas expertus est nuptias, & in Abrahamo, qui filios

filios genuit. Et haud multò pòst, candidè de se ipso fatetur, quòd facilius non uteretur nuptijs, quibus usus est Abrahamus, quàm sic illis uti quemadmodũ Abrahamus usus est. Quid igitur illis faciendum esse existimas, qui quannis matrimonio cõiuncti sint, uagæ tamen, ac dissolutæ libidinis ardore æstuant, egregioq; illo continentiæ dono, quo fœdæ omnes cupiditates coercentur, se carere intelligunt? quo, quæso, se uertent? quid capient consilij? An quia diuini illi doni sunt prorsus expertes, nefariis cupiditatibus habenas laxabunt, & in omne se turpitudinis genus ingurgitabunt? Quòd si maxima spe recreatus ad cœlestia illa præsidia impetranda se adiungere, & ad præstantissimum continentiæ donum exornandum omnes animi, ac corporis uires comparare debet, quid est, quòd existimes, eum, qui Deo cœlibatum uouit, non posse eadem subsidia impetrare? an quia plura sibi de diuina misericordia pollicetur, maioraq; propter Christum præstare cupit, minora à Deo beneficia consequetur? aut quia maiori Deum charitate complectitur, seueriorem, & immaniorem illum experietur? Quæ si te parum mouẽt, agedum uideamus, quid tuis faciendum esse cẽseas, cùm coniugum alter graui & assiduo morbo uehemẽter afflictatur; si per id temporis dono se continentiæ carere, atque ad domandum libidines uires deficere intelligant? si tibi constas, secundam ac tertiam coniugem permittas, necesse est; atque sensim ad effrenatam Mahometi turpitudinẽ accedas: quin etiam si mulier à uiro fuerit lõgissimis locorum spatijs disiuncta, quippe qui in Indiam iusta decausa nauigauerit,

Aug. de Bono coniugali. c. 22.

uerit, mœchum'ne introducere, aut alteri se collocare licebit? Nam ut omnes in matrimonia promiscuè impellas, constanter affirmas castitatis donum sæpe ad tempus tantùm tribui. quare necesse est, ut tunc matrimonia omnes ineant, cùm se cœlesti illo dono destitutos esse intelligunt. Quare nisi confitearis eos, qui castitatis dono carent, illud posse à Deo precibus & officijs exorare, omnia certè sacrilegis turpitudinibus ex plebis, nefariisq; libidinibus polluces. Quod ut apertius uideas, audi qua illos oratione ad castimoniam Augustinus inducit, qui uxorem ob adulteriũ repudiarunt. Hos igitur alloquor, ut quod facere deberent, si haberent coniuges, diuturno languore marcescentes, uel loco sibi inaccessibili absentes, uel animositate illicita continentes, hoc faciant si habuerint coniuges adulterina inquinatione sordentes, & propter hoc à suo consortio diuortiantes, non alia quærant coniugia, quia nõ erunt coniugia, sed adulteria. & haud multò pòst, Non eos terreat sarcina continentiæ, leuis erit, si Christi erit; Christi erit, si fides aderit, quæ impetrat à iubente, quod iusserit. non eos frangat quòd uidetur eorum continentia necessitatis esse, non uoluntatis, quia & illi, qui eam uoluntatem delegerunt, fecerunt eam esse necessitatis, quoniam uani sine damnatione ab illa deuiare non possunt, et qui in eam necessitate contrusi sunt, faciunt eam esse uoluntatis, si non de se ipsis, sed de illo, à quo est bonum omne, confidunt. Illi ad eam conscenderunt causa maioris gloriæ, ut aliquid amplius inuenirent; isti ad eam confugerunt, cura salutis nouissimæ, ne perirent: utrique permaneant,

ug. de Adulterinis coniug. lib. 2. c. 19.

neant, utrique in quod peruenerunt, ambulent usq; in finem; seruiant studiis, supplicent uotis, quia & illis salus cogitanda est, ut ab eo, quod uoluntas arripuit, cadere timeant, & istis gloria desperanda non est, si in eo, quod necessitas intulit, persistere diligant. fieri enim potest, ut Deo terrente & hortante, conuertente & impellente, humanus in melius mutetur affectus, atque ita uoueant sine coniugio, & sine ullo cõcubitu, atque immunda libidinis attrectatione perseuerantissimè uiuere, ut etiam si separata coniugia locum ducẽdi alias moriendo aperuerint, claudatur ex uoto, quod patẽret ex licito, & quod erat necessitate cœptum, fiat charitate perfectum. Hactenus Augustinus. Et paulò inferius incontinentium hominum turpitudinem, in hunc modum reprehendit, quæ uerba diligenter, quæso Caluine, expende; neque enim fieri potest, quin tuæ te impietatis ualde pudeat, nisi fortè ostiũ nefariis adulteriis, fœdisq; libidinibus de industria aperire optas, Cùm à fœminis (inquit) habentibus carnem, tantam flagitant mariti castitatem, ut quando ab uxoribus diutissimè peregrinantur, uelint eas ab adulterino concubitu incontaminatas feruorem transigere iuuentutis, ut plurimæ pudicissimæ transigunt, & maximè Syræ, quarum mariti negociandi quæstibus occupati, iuuenes adolescentulas deserunt, & uix aliquando senes ad aniculas reuertũtur, eò ipso euidentius conuincunt, non esse impossibile quod se non posse causantur. si enim hoc non posset infirmitas hominum, multò minus id posset sexus infirmior fœminarum. Quid uerò de sacerdotum continentia idem

Aug. de Adulterinis coniugijs. lib. 2. c. 10.

Augustinus sentiat, & quibus eam præsidiis munire, atque tutari debeant, paulò pòst aperuit, cùm impuris, impudicisq; hominibus sacerdotes his uerbis obiicit, Solemus (inquit) eis proponere etiam continentiam clericorum, qui plerunque ad eandem sarcinam subeundam capiuntur inuiti, eamq; susceptā usque ad debitum finem, Domino adiuuante, perducunt. dicimus ergo eis, quid si & uos ad hoc subeundum populorum uiolentia caperemini? non'ne susceptum castè custodiretis officium, repentè conuersi ad impetrandas uires à Domino, de quibus nunquàm antea cogitastis? sed illos inquiunt, honor plurimum consolatur. Respondemus, & uobis timor amplius moderetur. si enim hoc multi Dei ministri repentè atq; inopinanter impositum susceperunt, sperantes se illustrius in Christi hæreditate fulgere, quā to magis uos adulteria cauendo uiuere continenter debetis, metuentes non in regno Dei minus lucere, sed in gehennæ ignibus ardere? Quòd si sanctorum res gestas accuratè, Caluine, euoluas, perspicies sanè, plurimos ardentes libidinis flammas precibus & austera pœnitentia restinxisse, illustreq; illud continentiæ donum, quo diutissimè caruerant, à diuina tandem bonitate impetrasse. ne uerò à D. Aug. cuius testimonia plurimùm apud te momenti habere debent, recedamus, is ingenuè fatetur, tam ardenti se libidine diutissimè deflagrasse, ut uix tres integros dies contineri potuerit. quod tamen malum non nuptiis, sed precibus, atque uigiliis curauit. quod uerò ad Christi uerba attinet, Non omnes capiunt uerbum istud, sed quibus datum est. apertè sanè D. Augustinus

August. ibidem.

Aug. de diligendo Deum c. 13.

Matth. c. 19.

gustinus docet, diuinæ solùm gratiæ necessitatem il lis demonstrari, tantamq; esse liberi nostri arbitrii in firmitatem, ut nisi diuinis auxiliis muniatur, atque confirmetur, minimè possit lasciuientis carnis impe tus comprimere. Nam quanuis Paulus nemini nu- bendi necessitatem afferat, sed unumquenque dicat habere potestatem suæ uoluntatis, licereq; aut uirginem suam in matrimonium collocare, aut uirginem perpetuò conseruare: non ita tamen à liberi arbitrii uiribus pendet, quin diuinæ gratiæ præsidiis egeat. non enim omnes capiunt uerbum istud, sed quibus datum est. At dices, qui nam sunt isti tam beati, atque felices, quibus egregium hoc, planeq; diuinum donum à Deo conceditur? Apertè respondet Augustinus, Quibus (inquit) non datum est, aut nolunt, aut non implent, quod uolunt; quibus autem datū est, sic uolunt, ut impleant, quod uolunt. Quare, qui omnem conatum ad fœdas cupiditates propulsandas adhibent, qui precibus inuigilant, diuinaque subsidia omni animi cōtentione deposcūt, nec quid quàm eorum prætermittunt, quæ sunt ad castimoniam comparandam necessaria, difficile illud ac arduum uerbum capiunt, ipsisq; cœleste continentiæ donum à Deo conceditur, quo feliciter conseruare queant, quæ piè & sanctè uouerunt.

Aug. lib. de gratia. et libero ar bi. c. 4.

1. ad Corint. c. 7.

SED ad sanctissimæ societatis Iesu aduersarium Kemnicium reuertamur, qui audacissimè Coloniensibus Græcæ Ecclesiæ morem obijcit, quæ & si deprauata, multisq; erroribus deformata, atque turpificata sit, hac tamen in re gloriatur, se à ueteribus decretis, maiorumq; institutis minimè discedere. Nam

cùm Tridenti ipse agerem, & per literas Zachariam Carapharam Cretensem Patriarchæ Constantinopolitani Venetijs Vicarium rogarem, ut omnem mihi Ecclesiæ suæ de sacerdotum matrimonio morem significaret, ueteres Conciliorum canones ad me misit, quos à suis sacerdotibus sanctè conseruari affirmabat. Quare ueteris Ecclesiæ ritum ab ipsis Apostolorum temporibus paucis inquiramus, ut quæstionis huius penetralia illustrius pateant. Vt uerò Paulum prætermittam, qui unicam uxorem Episcopis permittit (neque enim bigamos sacerdotes Ecclesia unquàm passa est) principiò ex antiquitatis munimentis satis constat, Ecclesiam ab Apostolis accepisse, ne quis sacris iam initiatus, matrimonium contraheret. In canonibus enim Apostolorum decretum est, ut ex illis, qui cœlibes ad Ecclesiasticum ordinem conscendissent, solis Lectoribus, atque Cantoribus liceret uxores ducere. cum quo Neocæsariense Cõcilium, & sexta Synodus mirabiliter consentiũt. quæ decreta tam religiosè perpetuò conseruarũt sancti illi patres ut plurimis in locis, neque Cantoribus quidem atque Lectoribus integrum fuerit uxores ducere, ut ex Concilio Calcedonẽsi constat. Nam cùm, ait, quibusdam in prouinciis licere psalmistis, & lectoribus uxores ducere, atque illis interdicit, ne uxores à Christiana religione alienas ducant, satis significat, plurimis etiam in locis id illis fas minimè fuisse. Quin etiam pii, & religiosi Imperatores, qui Ecclesiæ decreta legibus confirmare soliti erant, sæpius decreuerunt, ut qui uxorum expertes ordinandos suscepissent, diligenter inquirerent, an uellent cœlibẽ

Can. Apost. 26.
Conciliũ Neocæsariense. cap. 1. 6.
Synodus. can. 6.
Concil. Calced. can. 13.

atque castam uitam perpetuò degere, ut qui contine re non posse affirmarent, uxores prius ducerẽt quàm ad Diaconatus dignitatem conscenderent. Quare Episcopos, qui Diaconum matrimonium inire permiterent, Episcopatibus priuandos esse decernebãt. Quinimmo Diaconissæ, quæ quanquàm inter Ecclesiasticos gradus à ueteribus Conciliis enumeratæ fuerint, infimum tamen in Ecclesia locum semper obtinuerunt, nam ægris mulieribus curandis, earũq; corporibus lauandis uacabant, cum presbyteri (ad quos pauperum cura ac prouidentia spectat) id præcipiebant, ut D. Epiphanius auctor est. Atque item in Orientis Ecclesiis baptismati mulierum ministrabant, illasq; fidei nostræ mysteria priuatim domi docebant, ut auctor commentariorum in epistolam ad Romanos, quæ Hieronymo ascribuntur, asserit. Illæ inquam, Diaconissæ extremo supplicio afficiebãtur, si matrimonium cõtrahebant. Concilium enim Calcedonẽse Diaconissam unà cum marito anathemate percellit, quia iniuriam (inquit) affert gratiæ Dei. Imperatorum uerò scita, eas mortis reas faciebant, illarumq; bona omnia proscribebant, & in Ecclesias ac monasteria transferebant, maritos uerò capitis condemnabant, quorum etiam fortunas omnes fiscus inuadebat: quippe quia summam dedecoris ac turpitudinis notam sancto ordini inusserant. Quibus accedit sanctissimi atque continentissimi uiri Paphnutii auctoritas, qui cùm in Concilio Niceno prohibuisset, ne aliqua de sacerdotum cœlibatu noua lex rogaretur, dixit, satis esse ut qui clericatu ante nuptias potiti essent, secundum antiquam Ecclesiæ traditionem,

Concil. Nicenũ. can. 19.

Epiph. lib. 3. haeresi. 79. et eodem lib. in compẽdiaria doctrina fidei.

In 16. c. epist. ad Rom.

Concil. Calced. can. 14.

Socrates Hist. Eccl. lib. 1. c. 11.

ditionem, ad nuptias amplius non accederent. Quæ uerba Caluinus, ac cæteri, qui egregium Paphnutiũ impietatis suæ patronum adoptare solent, silentio uafrè & ueteratoriè prætermittunt.

DEINDE, qui Ecclesiæ annales diligenter euoluerit, luculenter intelliget, Ecclesiam plurimi semper cœlibes sacerdotes fecisse, magnæq; apud omnes existimationis, atq; cæteris omnibus antelatos fuisse. Epiphanius cùm de perditissimo Nicolao Diacono agit, qui Ecclesiæ temporibus, ab Ecclesiæ fide defecit, inquit, quòd cùm haberet spectatæ formæ uxorem, ab illius tamen consuetudine se aliquandiu abstinuit, ad eorum imitationem, quos Deo dicatos uidebat. ad quod Apostolorum magis cõsilio, quàm lege inductos fuisse, ex posterioribus Conciliis constat: quemadmodum & bona omnia uendere, atque ante Apostolorum pedes abiicere soliti erant. Quæ multò apertius alibi idem Epiphanius edocet. nam cùm de creandis Ecclesiæ ministris agit, & affirmat, Ecclesiastici ordinis ueluti fundamentum esse sanctam uirginitatem, quam multi (inquit) sanctè & magna cum laude perpetuò conseruant, ad hũc modum scribit, Sacerdotium utplurimùm quidem ex uirginibus procedens, si uerò non ex uirginibus, at ex solitariam uitam degentibus: si uero hi non sufficiant ad ministerium de illis, qui continent à propriis uxoribus, aut ab unis nuptijs uiduitatem seruantibus. Nam eius, qui secundas nuptias contraxit, non licet sacerdotium suscipere. At quoniam sæpè rari erant, qui ab uxoribus abstinere uellent, Ecclesia ut plebis necessitatibus consuleret, atque prospiceret, illos etiam

Epiph. lib. 1. hæresi. 25.

Epiph. lib. 3. in compendiaria doctrina fidei catholicæ.

tiam

tiam ad sacerdotii dignitatem admittere solita erat; qui unius essent uxoris uiri cùm cœlibes non reperiebantur. Quod D. Epiphanius contra Catharos agens, explicatè demonstrat, Adhuc (inquit) uiuentem & liberos gignentem unius uxoris uirum Ecclesia non suscipit, sed eum, qui se ab una continuit, aut in uiduitate uixit Diaconum, & presbyterum, & Episcopum, & hypodiaconum, maximè ubi sinceri sunt Canones Ecclesiastici. At dices mihi, omnino in quibusdam locis liberos adhuc gignere presbyteros, & Diaconos, & hypodiaconos. At hoc non est iuxta canonem, sed iuxta hominum mentem, quæ per tempus elanguit, & propter multitudinem cùm non inueniretur ministerium. ut uerò Ecclesiæ mentem, sanctissimaq; instituta apertius declararet, addit, Nam quod decentius est, id semper Ecclesia per Spiritum sanctum bene disposita uidens, statuit apparere, ut cultus diuini indistracti Deo perficerentur, & spirituales necessitates cum omni beniuola conscientia peragerent. Dico autem quòd decorum est ptopter repentina ministeria, ac necessitates, ut presbyter, & Diaconus, & Episcopus Deo dicatus sit. Hæc Epiphanius. Socrates uerò scholasticus præcipuos (inquit) maiorisq; auctoritatis clericos in Oriẽte uxorum consuetudinem prorsus abiecisse, non necessitate legis, sed sponte sua: quæ castimonia tantopere Thessalonicensibus, Macedoniis & Helledis placuit, ut illos tantùm sacra facere permitterent, qui cœlibem uitam degerent. quam consuetudinem uniuersam postea Græciam usurpasse, testatur Nicephorus: quæ tamen temporum iniuria, hominumq; in- continen-

Epiph. lib. 2. hæresi. 59.

Socrates Hist. Eccl. lib. 5. c. 22.

Niceph. Historia Eccl. lib. 12. c. 34.

continentia antiquata fuisse uidetur.

QVOD uerò attinet ad aliam quæstionem, an scilicet fuerit sacerdotibus olim integrum uxoribus uti, in qua uideo diuersas esse doctorum hominum sententias, satis puto ex ueteribus Conciliis constare, non eundem fuisse Orientis & Occidentis morem. Nam cùm nulla extet à primis illis uniuersalibus Synodis ea de re lex lata, diuinoq; præcepto uxorum usus sacerdotibus non sit prohibitus, licuit sanè prouincialibus Synodis uarias ac diuersas leges condere, ex quibus regionum mores, atque instituta luculentissimè aucupari licebit. Quæ si euoluas, perspicuum sanè fiet, Ecclesiæ Occidentali, quæ ut Petri cathedra cœlesti beneficio exornata, atque illustrata est, ita fidei integritatem, pietatis candorem, religionis sinceritatem, disciplinæ præstantiam cumulatius semper conseruauit, familiarem, atque sacrosanctum fuisse sacerdotum, Diaconorumq; cœlibatum; Ecclesiam uerò Orientalem suis sacerdotibus uxorũ usum permisisse. quod tamen tantum discrimen in fide consensionem, mutuamq; conuinctionem non disrumpebat. Vt uerò ab Apostolorum canonibus ordiamur, Presbyteros illos excommunicant, & ab Ecclesiæ corpore abscindunt, qui uxores obtentu religionis abiiciunt, atque repudiant; cuius canonis uerum sensum ab illo eorundem Apostolorum canone petendum esse existimo, qui in illos Episcopos, Presbyteros, & Diaconos seuerè animaduertendũ esse decernit, qui nuptiis, carnibus & uino abstinẽt, non ut mens ad cultum pietatis reddatur exercitatior, sed propter abominationem. quem sensum satis

Can. Apost. 6.

Can. Apost. can. 50.

tis uerba illa sexti canonis præ se ferunt, obtentū religionis. à Latinis enim auctoribus religio, sæpius pro scrupulo usurpatur, qui alicuius mentem stimulat, ac pungit, & quo quis ab aliqua actione retardatur; ut apud Ciceronem inijcere alicui religionem, & habere aliquid religioni. Quare Concilium Gangrense contra Eustachium, qui nuptias damnabat, coactum, anathemate eos percellit, qui presbyterorum uxores habentium oblationes detrectassent, immundasq; iudicassent. Quare quanuis hi canones satis apertè innuant, integrum olim fuisse sacerdotibus, uxoribus coniunctos esse, nihil tamen de eorum usu certi decernunt. Quòd uerò clericorum cœlibatus semper fuerit in more atque instituto Ecclesiæ Occidentalis, satis, ut dixi, ex prouincialibus Conciliis, quæ prioribus illis quingentis annis à Christo nato celebrata sunt, constare potest. Concilium.n. Elibertinū in Hispania coactum, magno illi Niceno proximum decreuit, ut Episcopi presbyteri, diaconi, & hypodiaconi à coniugibus omnino abstinerēt, neque liberis operam darent. huius uerò sanctissimæ legis uiolatores à gradu, atque dignitate deijciebat. In Concilio uerò Arelatensi secundo Syluestri temporibus in Gallia celebrato, cauetur, ne ex illis, qui matrimonio coniuncti sunt, ad sacerdotium quis assumatur, nisi conuersionem, hoc est, perpetuam castimoniam prius promiserit. Et paulò pòst persanctè prohibetur, ut unà cum presbyteris, aut diaconis eadem in domo fœminæ habitent, exceptis auia, matre, sorore, filia, nepte, atque conuersa uxore, hoc est, quæ castimoniam etiam uouisset. Quod explica-

Concil. Gangrē. Can. 4.

Concil. Elibertinum can. 33.

Concil. Arelat. I. can. 2.

Concil. Agatense in Gallia. can. 12.

tius, multoq; seuerius Agathensis Synodus statuit, Si coniugati (inquit) iuuenes consenserint ordinari, etiam uxorum uoluntas ita requirenda est, ut sequestrato mansionis cubiculo, religione promissa, postea quàm pariter conuersi fuerint, ordinentur. In Concilio uerò Carthaginensi Siricii summi Pontificis tēporibus, hoc est, anno à Christo nato 428. celebrato, scriptum extat, Aurelium Episcopum dixisse tres gradus, Episcopatum scilicet, presbyteratum, diaconatum, præscriptione quadam castitatis per consecrationem annexos esse. qua oratione Patres omnes inducti, lege iusserunt, ut tres illi gradus perpetuam continentiam seruarent, quò facilius omnia possent à Deo impetrare, Vt quod (inquiunt) Apostoli docuerunt & ipsa seruauit antiquitas, nos quoque custodiamus. In Concilio uerò Africano clauum in Ecclesia tenente Bonifacio primo, his uerbis interdicitur clericis uxorum usus; Cùm de quorundam clericorum, quanuis erga uxores proprias incontinentia referretur, placuit Episcopos, presbyteros, & diaconos secundum priora statuta etiam ab uxoribus contineri. Quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico remoueantur officio: cæteros autem clericos adhoc non cogi, sed secundum uniuscuiusque Ecclesiæ consuetudinem obseruari debere. Quas sanctissimas leges integerrimaq; instituta Occidentalis Ecclesia religiosè semper retinuit, studioseq; conseruauit. à qua integritate nulla unquàm potuit principis tenebrarum ui atque potentia conuelli.

Concil. Carthag. 2. can. 2.

Concil. Africanum. can. 37.

ORIENTALIS uerò Ecclesia quanquàm sacerdotum castimoniam semper fuerit admirata, nunquàm

quàm tamen illis omnino uxorum uſu interdicere anſa fuit. Quare cùm plurimi ſint canones, qui de uxoribus ſacerdotum agant, nullus tamen eſt, qui caueat, ne illis utantur. Concilium enim Anciranum ante magnum illud Nicenum celebratum, hoc eſt, anno à Chriſto nato 308. ſtatuit, quòd ſi quis diaconus dum ordinatur, proteſtatus fuerit, uelle ſe habere uxorem, neque poſſe continere, ſi poſtea ad nuptias uenerit, manere debere in miniſterio, propterea quòd illi Epiſcopus licentiam dederit. Qui uerò tacuerit, & ſuſceperit manus impoſitionis profeſſi continentiam, ſi poſtea ad nuptias uenerint, à miniſterio ceſſare debent. ex quo canone duo apertè conſtant, cùm fas olim fuiſſe clericis matrimonii uinculo iam conſtrictis, uxoribus uti, tum poſt conſecrationem id integrum nequaquàm fuiſſe, cùm diaconibus id non fuerit permiſſum, niſi primùm & ſuam incontinentiam profiterentur, & ueluti quodam pacto Epiſcopiq; fide interpoſita, diaconus ſe creari pateretur. Concilium uerò Neocæſarienſe, quod Nicenum etiam anteceſſit, legem rogauit, ut ſi clerici alicuius uxor adulterio ſe contaminaſſet, eã quàm primùm maritus repudiaret: at ſi eius conſortium retinere uoluiſſet, ſuſcepto miniſterio, perfrui nequaquàm poſſet. ſicut neque ad Eccleſiaſtica munia obeunda aſſumi illi poterant, qui aut ſcortum duxiſſent, aut quorum uxores, dum eſſent laici, adulterium admiſiſſent. Prætermitto Concilium Gangrenſe, quod ab Eccleſiæ communione illos reiicit, qui ſacrificia à ſacerdotibus matrimonio cõſtrictis oblata ſpernunt, & condemnant. Quibus accedit ſacro-

Concil. Anciranum can. 10.

Concil. Neocæſarienſe. can. 7.

Laterar-nense. 1. sancti Concilii Lateranensis œcumenici sub integerrimo atque doctissimo Pontifice Innocentio Tertio coacti auctoritas: quod cum seuerè animaduertendum esse in turpes & impudicos clericos statuit, ait; Qui autem secundum regionis suæ morem non abdicarunt copulam coniugalem, si lapsi fuerint, grauius puniantur, cùm legitimo matrimonio possint uti. Ex quibus perspicuum sanè esse puto, Orientalem Ecclesiam ita semper fuisse clericorum castimoniam admiratam, aliquibusq; in locis eam coluisse, ut neque generali lege, & quæ ad omnes pertineret, illam iusserit, neque à sacerdotibus perpetuò retenta, atque conseruata fuerit. Quare Græci sacerdotes, qui hodiè antiquis illis Orientis legibus se uiuere dicunt, ita uxoribus fruuntur, ut omni ratione conentur continentiæ aliquod specimen edere. Nam unicam uxorem ducunt, illamq; uirginem, à qua aliquot diebus abstinent ante quā sacra faciant, & postquàm sacris initiati sunt, diaconi præsertim, & presbyteri matrimoniū inire nulla ratione possunt. semper enim integrè conseruaruntNeocæsariensis Synodi canonem, qui presbyteros ab ordine deponi iubet, qui uxorem duxerint. At Kemnicius, qui non Germaniam modò, sed Orientem etiam nefariis libidinibus replere optat, Conciliorum auctoritati, legum sanctitati, historiarumq; fidei *opponit narrationem Erasmi, qui (inquit) in Apologia aduersus Parisienses scribit, se Venetijs apud Græcos uidisse sacerdotem post susceptum ordinem ducere uxorem, sed unicam, ac uirginem; & Vuolfangum Musculum, qui,* inquit, *recitat anno 1540. Græcos quosdam adfuisse Vuormatiæ, & confirmasse, Diacono in Græca Ecclesia licere, etiam postquàm electus est, ut*

Concil. Neocæsariense. c. 1.

uirginem

uirginem ducat uxorem; etiam eum, qui in ſacerdotium ordinatus eſt, poſſe uxorem ducere, ſi id faciat πρὶν τοῦ ἱερουργεῖν, ſed ſi poſtquàm ſacrificauit, hoc fecerit, à ſacerdotio remoueatur. Narrarunt itaque ſacerdotes ſtatim poſt ordinationem, prius quàm ſacrificent, matrimonium contrahere. Omitto, Kemnici, Gentium inſtituta, atque ritus, magis ex legibus, quibus inſtituuntur, quàm ex corruptis moribus accipienda eſſe. Quare cùm Conciliorum illæ leges, quibus ſe uiuere Græci iactant, id religioſè prohibeant, nihil eſt, quòd paucorum quorundam corruptos, & deprauatos mores Colonienſibus obiicias; niſi fortè noſtris etiam licere ſacerdotibus exiſtimas ſcortari, quia plurimi turpem uitam & nefariis libidinibus reſperſam, ſummoq; Eccleſiaſtici ordinis dedecore agunt. Sed quãdo Græcorum, qui Venetiis uiuunt, auctoritatem, Conciliorum ſanctitati præfers, eorum & ego tibi teſtimonia oppono, cum quibus ſæpiſſimè egi, & à quibus eorum mores, & inſtituta curioſè & diligenter didici. quibus cùm ego hanc Eraſmi & Vuolfangi fabulam narraſſem, mihi perſanctè affirmarunt, ſummam ignominiæ notam Græcæ Eccleſiæ illos inurere, qui hoc dictitarent. quippe quia ſolis eorum hypodiaconis liceret poſt conſecrationem, unicam ac uirginem ducere; quòd ſi quis Diaconorũ, aut preſbyterorum, poſtquàm ſacris eſſent initiati uxorem duceret, mox altaris miniſterio illis interdici & laicis annumerari; meq; obnixè illorum quidam orauit, ut illos à tam graui infamia liberarem. Te igitur per uiſcera Domini noſtri Ieſu Chriſti, Kemnici, oro, perq; ſalutem tuam obteſtor, ut calumniandi iſtum animum aliquando deponas, ſummoq; ueritatis

tis cognoſcendæ ſtudio flagres, atque diuinum illum ſpiritum, qui ſapientium dux eſt,& prudentium omnium emendator,qui omnibus ſapientiam abundè largitur, & non improperat,qui ſolus erroris omnes nebulas expellere, mentemq; ueritatis ſplendore illuſtrare poteſt,toto pectore depreceris,ut puram tibi atque ſinceram ueritatis lucem commonſtret, errorumq;omnium tenebras ab animo tuo expellat; atque edoceat,quæ ſit uoluntas Dei bona,benè placens, & perfecta. Nam ſi ad diuinæ gratiæ thronum non fictè & fallaciter, ſed uerè ac candidè acceſſeris, à cœleſtiq; illo ſpiritu puram, & integram ueritatis cognitionem depopoſceris, fieri certè non poteſt, quin diuino ſplendore te illuſtratum, harum omniũ calumniarum ualde pœniteat; Eccleſiæ Romanæ fidem ſacris oraculis munitam, diuinis præſidijs tutatam,omniumq;ſæculorum conſenſu firmatam,quam tui præceptores per ſummum ſcelus abiecerunt,& repudiarunt, auidè complectaris, ſocietatemque Ieſu, quæ uniuerſam hanc Eccleſiæ fidem mirabiliter edocet, Chriſtianæ uitæ inſtituta purè & religiosè aperit, diuinamq; legem ſanctè & caſtè cuſtodit, ab omnium calumniis & importunitatibus tuearis & defendas.

Rom. c. 12.

FINIS.



RERVM, ET VERBORVM Memorabilium, quæ in Reu. Dom. DIEGHI PAYVI ANDRADII doctissimis atque elegantissimis libris continentur, nec non locorum, quæ in sacra scriptura illustrantur atque explicantur, INDEX locupletissimus;

A' BERNARDINO GNISSIO *Theologo Carboncionensi in Christiani lectoris gratiam conscriptus.*

A. chartæ frontem. B. tergum significat.

B.

Brasilien-

Crucis

Euangelio

M

Pu-

 cauit

FINIS.

Qui Indice hoc nostro uti uoluerint, notas numerales chartarum quaternionum, Cc. Nn. & Ccc. ita emendabunt, ut proximæ præcedentibus, & subsequentibus ordine respondeant: sunt.n. Typographorum culpa deprauatæ.

Typographorum errata, sic expunges.

Prior numerus chartam. A. chartæ frontem. B, tergum significat. numerus posterior lineam.

3.a.14.callidum.4.a.16.Kemnicij.8.b.29.præferant.9.a.20.Loyolam.11.a.6. Xauier.13.a.5.præclarius.15.b.9. retento apud se.27.b.1. quorum.28.a.4. antea scripsisse.45.b.10. fauens.47.b.39.compescendum.53.a.2.ne si ipsorum.54.a.7.suppeditet.64.b.27.quia inquit.70.a.5.aduertet.75.b.14.certissima norma.88.a.4.prægestis.89.b. 6. minimè consentientib,118.a.3.dialogo.139.a.15.oppressus.157.b.9.obganniat,158.a.3.illud guoluam.160.a.emenda in margine; Compend.159.b.21. Sabbato Paschæ, 169.a.22. consequatur.208.b.5.augeri.231.a 6. & 14.Liturgia.314.a.27.de sorte. 317.a.6. cœlibem uitam degunt.

REGESTVM.

* ABCDEFGHIKLMNOPQRSTVXYZ.
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn
Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy Zz. Aaa Bbb
Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn
Ooo Ppp Qqq Rrr Sss Ttt Vuu Xxx Yyy Zzz.
Aaaa Bbbb Cccc Dddd Eeee Ffff Gggg Hhhh
Iiii Kkkk Llll Mmmm Nnnn Oooo Pppp Qqqq.

Omnes ſunt quaterniones, præter * quinternionem, & Q q q q, duernionem.

Venetijs, ex Officina Iordani Zileti.
M. D. LXIIII.

